GERHOHI

REICHERSBERGENSIS PRAEPOSITI

OPERA HACTENUS INEDITA.

CURAVIT

Friedericus Scheibelberger.

TOMUS I.

LIBRI III DE INVESTIGATIONE ANTICHRISTI

UNACUM TRACTATU ADVERSUS GRAECOS.

LINCII, 1875,
SUMPTIBUS M. QUIREIN.

Typis societatis catholicae librorum imprimendorum.

CELEBERRIMAE AC PERANTIQUAE

de bono tam religioso quam publico

MERITISSIMAE

Canoniae Reichersbergensi

ET

OMNIBUS HABITANTIBUS IN EA

D. D. D.

Plurimum Reverendi!

Cecinit quondam laureatus procul dubio vates dignum laude virum vetante Musa omnino non mori, ignorans certe, saepe saepius illos potissimum viros oblivioso dari tumulo, quorum ingenium quasi alter sol dies, doctrina quasi altera luna noctes melius illuminassent. Equidem mea impulsus indole ab incunabulis doctus magnorum investigare vestigia virorum sat esse laudabile, nil anxius optabam, quam mereri de quodam, cuius ingenium grande, robur fortius, gloria denique immortalis extiterunt.

Ad Vestras P. R., ut nostis, oras appulso fontem mihi pandistis, Principem Vestrorum Praesulum ostendendo, quem Vestrae adhucdum non licuit celebrare modestiae.

Pandistis Gerhohum!

Quantus ille fuerit, et iniquitas temporum, quibus eminebat, testatur et celebris, quam habuit, utriusque potestatis principum consuetudo. Addite, quaeso, animum nulla vi fractum neque frangendum et doctrinam sat amplam et admirandam, quam nil latere potuit quidquid scientiarum aetates illae sinu tegebant. Quid adhuc scripta, quae conspicitis, commemorem: immortale Gerhohi monumentum?

Latuit, ut omnia dicam, intra moenia Vestra illustris Germaniae Bernardus.

Volvuntur saecula et eadem hodiedum innovatur temporum difficultas. Sunt, qui vera falsis miscere tentant; sunt, qui auctoritatem, sive sit sacra sive profana, penitus abolendam putant, aciem inter claves ecclesiae gladiumque civilem instruendo, unde maxima ubique et religionis et reipublicae lues evasit.

Inter hoc triste rerum discrimen Vestram societatem P. R. neque Gerhohi animus neque doctrina deseruit. Nullus hucusque Vestrum hosti male tergum dedit: sacra fides et alma pax Gerhohi ossa circumvolant.

Tuemini virtutes cineremque viri, et, quem Vobis propono, illius litterarum decorem moenibus Vestris inserite.

Dabam Lincii Idibus Octobris 1874.

Clientelae Vestrae

addictissimus

Friedericus Scheibelberger.

Prologus

in libros de investigatione Antichristi.

Inter libros a Gerhoho conscriptos praecipuum locum tenent libri III. de investigatione Antichristi.

Partes hujus operis jam Gretserus et Jodocus Stülz, viri de literarum republica optime meriti, ediderunt, prior in tomo VI. operum suorum sub titulo „Gerhohi syntagma de Henrico IV. et V.," posterior in Archiv für Kunde oesterr. Geschichtsquellen, tom. XX.

P. Gretserus de cura circa hoc opus Gerhohi impensa sic scribit: „Quaesivi duos hosce autores (Gerhohum scilicet et Paulum Bernriedensem) in Bavaria et extra diligenter, partim mea partim amicorum opera, nec reperi."[1]) At cum Monachium venisset Gewoldus ei diu conquisitum Gerhohi opus ultro tradidit. Sic enim Gewoldum affatur:[2]) „Tu Gerohum ubique gentium, etiam Reichersbergae, frustra a me, licet perquam studiose, quaesitum, ex latebris eduxisti, eductumque mihi in manus tradidisti. Non igitur tantum ingratus sed et omnino inverecundus essem, si Gerochianis postibus alium titulum appenderem, quam istum: D. Christophorus Gewoldus reperit."

Elapso post Gretserum saeculo hoc opus P. Bern. Pez se editurum promisit. Sic enim scribit in „Thesauro suo anecdotorum novissimo" tom. V. diss. isag. IX. „de investigatione Antichristi et schismate libri II. ad Eberhardum Archiepiscopum Salzburgensem. Hos ex codice Reichersbergensi praelo

---

[1]) pag. 16. H.

[2]) pag. 237.

paravit Adm. rev. P. Reinerus Reitter, doctissimus sodalis meus, typis mandandos in aliquo sequentium Thesauri voluminum. Raderus unius duntaxat libri de antichristo meminit, ut qui opus ipsum numquam inspexerit: sed re vera duo sunt.“ At nec unus, nec duo, sed re vera tres sunt hujus operis de invest. antichristi libri, uti ex sequentibus paginis e codice Reichersbergensi diligenter exscriptis patebit.

Codex membraneus Reichersbergensis non inelegans at mendose scriptus a pluribus saeculo XIII manibus exaratus 118 foliis constat, quae hosce tres libros de inv. Antichr. unacum Tractatu adversus Graecos, qui post librum II inseritur, sed non integros continent quia in fine codicis unum vel plura folia desunt.

De fide historica relationibus nostri Gerhohi exhibenda consule Kugler Studien zur Geschichte des zweiten Kreuzzuges. Stuttgart 1866 pag 34.

Scripsit Gerhohus hoc opus exeunte anno 1161 et ineunte 1162 uti patet ex capp. 67. 82. post Concilium Tolosanum cap. 61. Quaedam vero capp. uti cap. 89 posteriori tempore in recensione altera, cum Cardinalis Hyacinthus priorem retineret, adjuncta videntur; forsan a. 1167—68.

Hujus operis Gerhohus ipse saepius mentionem facit e. gr. de quarta vigilia noctis nro. 18. „Haec dicta, inquit, de immundo antichristo nunc sufficiant, quoniam alias inde plenius disseruimus ad nostri temporis Romanos pontifices Innocentium, Lucium, Eugenium, Adrianum et novissime ad papam Alexandrum; quamvis mihi de simonia et concubinatu dicta videantur;“ libr. de fide cap. 5. „Opusculum de illius bestiae investigatione scriptum porreximus antehac Hyacintho Cardinali perspiciendum, nobisque reddendum atque corrigendum, prout oporteret. Sed ille hoc non reddidit. Unde si quid est in eo correctione indigens nobis non debet imputari.“ — Haec ultima verba, quaeso benevole lector, aspicias, si quae tibi minus recte dicta videantur.

En amice lector, quod P. Bern. Pez promisit, quod Gretserus et J. Stülz ex parte jam implevere, ego nunc ad finem desideratum deduxi, nempe — magni Gerhohi libros III de inv. Antichristi nunc primum integros evulgatos tibi offero.

Reliqua magni Gerhohi scripta sunt:

1) Liber de aedificio Dei ad Chunonem episcopum Ratisbonensem — ed. Bernhard Pez in Thesaur. anecdot. noviss. II. II. 223.
2) Dialogus de differentia inter Clericum saecularem et regularem ad Innocentium II. Papam. Pez Thes. anecd. II. 2. col 437.
3) Epistola ad Eberhardum episc. Babenbergensem, quomodo secundum s Hilarium glorificaturus filium Pater major, glorificatus autem Filius minor non sit, cum in Symbolo Athanasii Filius aequalis Patri secundum Divinitatem, minor Patre secundum humanitatem dicatur. Pez thes. I. II. 315.
4) Liber contra duas haereses sui temporis ad Godofridum abbatem Admuntensem. Pez thes. I. 2. col. 283.
5) Liber de gloria et honore Filii hominis, ad Eberhardum archiepiscopum Salzburgensem. Pez thes. I. 2. 165.
6) Tractatus adversus Simoniacos. apud Martène Thes. novus anecd. tom. V. p. 1459.
7) Commentarius in Psalmos et quidem:
   a) in Pss. 1—20— Pez thes. V.
   b) in Pss. 21—30— ibidem
   c) in Pss. 31—37— adhuc ineditus; sed extat in codice Monacensi 16012.
   d) in Pss. 38—44— Pez thes. V.
   e) in Pss. 45—50— desideratur;
   f) in Pss. 51—64 Pez thes. V. Commentarium in Ps. LXIV. sive de corrupto ecclesiae statu vide etiam: Baluzii Miscellan. libr. V. p. 63. Gallandii Biblioth. Patr. tom. XIV.
   g) in Ps. 65—78 Pez thes. V.
   h) in Ps. 118—150 „ „ „
8) Opusculum ad Cardinales ed. Eng. Mühlbacher in Archiv für österreichische Geschichtsquellen. XLVII. Bd. II. Hälfte pag. 355.
9) opusculum de sensu verborum s. Athanasii in symbolo — edidi in Oesterr. Viertelsjahrschrift für kathol. Theologie. 1871. Heft IV., unacum:

10) libro de quarta vigilia noctis.

11) Epistolas Gerhohi, vide Pez thes. tom. I. et VI. His accedunt libri in sequentibus voluminibus typis mandandi:

12) De investigatione Antichristi libri III.;

13) Dialogus adversus Graecos;

14) Liber de fide;

15) Libellus, utrum Christus homo sit Filius Dei naturalis;

16) de novitatibus hujus saeculi ad Adrianum papam;

17) liber de ordine donorum spiritus sancti;

18) Commentarius brevis in Psalmos 79—115;

19) Expositio canonis Missae.

De vita Gerhohi scripserunt nostris temporibus clarissimus D. D. Jodocus Stülz praepositus inclytae canoniae ad St. Florianum nostrae dioeceseos[1]), et R. D. J. Bach almae litterarum universitatis Monacensis professor celeberrimus.[2])

---

[1]) Denkschriften der Wiener Akademie I. 113—166.

[2]) Oesterreichische Vierteljahrsschrift für kathol. Theologie. Wien 1865. S. 19—118.

Praefatio ad Episcopum Eberhardum Salzburgensem Magistri Gerhohi praepositi

de investigatione Antichristi.

Exigit a me tua sancta dignatio, domine ac pater in Christo dilecte Eberharde Juvavensis ecclesiae archipraesul venerande, ut sensa mea de investigatione antichristi tuae sanctitati scribam, eo quod opusculum pridem meo labore sub tali titulo confectum ac semel in ipsis adhuc scedulis in romanam curiam perlatum rehaberi nequiverit sicque et meo usui et tuae lectioni praereptum sit. Et fateor opus quidem, quod petitur, arduum existere, quod antehac fortasse non tam prudentia quam temeritate temptaverim, unde velim alios id assumere per quos competentius expleri possit, qualium nonnulli nostro etiam in tempore viri illustrissimi exstiterunt et adhuc plerique supersunt toti fere mundo, maxime autem spiritualibus ex lectione suorum operum cogniti et dilecti. Non enim humano sensu expediri posse arbitror sed divina revelatione ad intelligendum aut exponendum iniquitatis mysterium opus esse putaverim. Unde Apostolus quoque loquens inde revelationis et mysterii verbum ac nominibus utendum putavit, ut reveletur, inquiens, in suo tempore, nam mysterium jam operatur iniquitatis.[1]) Sic nempe et prodigiosus ille Christi venditionis minister Judas non humana suspicione ab Apostolis aestimatus vel agnitus est sed domini designatione discipulo, quem diligebat, revelatus, qui et recubuit in coena super pectus

---

[1]) 2 Thes. 2. 7.

magistri et innuente sibi Petro inquisivit dicens: Domine, quis est, qui tradet te,[1]) et dominus ad eum, cui ego, inquit, intinctum panem porrexero. Da igitur et mihi discipulum super pectus Domini nostro in[2]) tempore recumbentem, quo mediante Dominum de portentuoso hoc iniquitatis ministro interrogem et sic forte in materia proposita proficere potero. Et esse quidem tales apostolorum pedissequos etiam nostro in tempore non diffiteor sed Deo magis cognitos quam hominibus, quorum tamen aliquos etiam ad meae parvitatis notitiam per manifesta divinae pietatis indicia confiteor pervenisse ad laudem nimirum Dei, qui etiam nunc nostro videlicet in tempore in sanctis suis laudandus est. Novi ego unum sacerdotem Deo et hominibus dilectum et jam non apud Deum tantum sed etiam apud homines magnum, qui adhuc aetate junior professae castimoniae in habitu monachi conservandae sollicitus et multum Deo supplicans evidenti divinae clementiae signo in se facto exauditus sit. Siquidem in visione apparuit ei haud dubium quin Dei angelus in specie medici, qui circa genitalia loca corporis ejus balsamo perunxit. Ex quo tempore in eo non solum omnis tentatio carnalis refriguit sed pro semine corruptibili gratia verbi Dei seminandi adeo in ipso aucta est, ut benivolus auditor audiens dicat, quod vere particeps effectus sit sapientiae de se dicentis: Et balsamum non mixtum odor meus.[3]) Novit et tua sanctitas hominem notum Deo et sibi ipsi. Quis enim novit, quae sunt in homine, nisi sapientia ejus, qui in ipso est? Alioquin timere posset animae suae ignoranti se ipsam convenire illud in canticis canticorum: Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum et pasce hoedos tuos juxta tabernacula pastorum.[4]) At ille, ut nosti et ut novit ipsa ejus anima coelestibus intenta, non consuevit hoedos pascere sed agnos. —

Scio et alium de numero sacerdotum, qui ante annos ferme XXX item adolescentior adhuc post nocturnas fratrum vigilias

---

[1]) Joh. 21. 20.

[2]) Glossa in margine codicis: Habuisti quidem sed non perfecte, ut etiam nulli homini in hanc usque horam datum est.

[3]) Eccli 24. 21.

[4]) Cant. 1. 7.

crebrius in oratione perdurans etiam ipse divinae in se clementiae inter cetera signum tale acceperit. Erat post laborem nocturnarum vigiliarum sedens ad pedes Crucifixi in capitulo claustri dulcique sopore soporatus, quali se in canticis canticorum sponsa gloriatur soporatam: ego, inquiens, dormio et cor meum vigilat,[1]) cum ecce subito factus est sonus de coelo tamquam advenientis spiritus seu venti vehementis,[2]) qui leniter quidem incipiens in majus ac majus crescebat loco, in quo erat sedens, adproximans inque ipso sono lucidissima quaedam substantia quasi talentum auri liquentis fenestrae vitreae, quae capiti sedentis erat contigua, fortiter impacta est perque ipsam fenestram, integro permanente vitro, ingressa continuo velut in atomos resoluta replevit totam domum ubi erat sedens. Deinde per poros corpori sedentis illabi eadem quasi nebula coepit ipso nimirum bene sentiente et gratiam ingredientis suavitatis admirante, donec totum receptaculum corporis et animae illius repletum est eademque plenitudinis gratia non parvo post tempore permansit ipso secum rei eventum admirante, sicut scriptum est: et in plenitudine sancta admirabitur.[3]) Atque ut ait de se videlicet terrae explorator Josue jam aetatis annos habens octoginta quinque, quoniam illius temporis fortitudo, quando ad explorandum missus sum permanet, inquit, in me usque hodie tam ad bellandum quam ad gradiendum,[4]) ita et de hoc philochristo dicere possum, qui et ipse ad explorandam terram viventium divina dignatione taliter admissus est, quoniam illius temporis fortitudo permanet in ipso usque hodie tam ad bellandum contra vitia vel vitiosos quam ad gradiendum in exercitiis spiritualibus et ambulat usque adhuc in fortitudine cibi illius sperans se etiam in futurum eadem gratia non deseri usque dum veniat ad montem Dei. Alius etiam quidam theophilus[5]) alio vidente et in visione coelesti admirante quasi oleo calente, coelis super eum

---

[1]) Cant. 5. 2.

[2]) Conf. Ps. 54. Pez thes. anecdot. noviss. tom. V. col. 1015 ubi eadem vel similis visio narratur.

[3]) Eccli 24. 3.

[4]) Josue 14. 11.

[5]) cod. tephilus.

apertis, abundanter effuso perfusus est ipseque videns aspergine guttularum[1]) in se ex altero venientium non leviter est stupefactus. Et usque hodie fervor sancti zeli nec non gratia scribendi in eodem de quo loquimur theophilo vere oleo laetitiae peruncto perseverat. Idem furtivis precibus intentus cum oraret expansis manibus dulcedine mirabili perfusus faciem suam ita scintillare persensit, ut quantulumcumque Deo donante acceperit experimentum illarum scintillarum de quibus dicitur: fulgebunt justi et tamquam scintillae in arundineto discurrent.[2]) Item: Dorsa eorum plena sunt oculis et scintillae ac lampades in medio dorsi. Denique abhinc idem philochristus impiger fuit ad discurrendum et scintillandum pro modulo suo in arundineto mundi hujus. Et haec pro eo dixerim, quod et nostro tempore tales personas non deesse crediderim, quae Dominum de secretis coelestibus et scripturarum impletione interrogare cum Johanne valeant et de qualibus Dominus dicat: num celare potero Abraham, quae gesturus sum vel quae gesserim?[3]) Sed quid haec ad me hominem ingenio pauperem, miseria obsitum, ignorantia obvolutum, sermone incultum et nullius mihi ex me facultatis et gratiae ejusmodi conscium? Num vero idcirco postulationi tuae detrectare debeo, quae mihi pro divino debet esse oraculo, quod non sit mihi auxilium in me et non potius de postulantis fide et jubentis auctoritate confidere in Domino unde veniat auxilium mihi, qui et clamat dicens: si quis sitit veniat ad me et bibat et de ventre ejus fluent aquae vivae,[4]) qui aperit ora mutorum et linguas infantium facit disertas,[5]) ne forte et objiciatur mihi, quod prius quoque in eadem materia operatus sim et Domino cooperante opus domnis etiam cardinalibus viris nimirum litteratissimis ac prudentibus Hugoni maxime et Jacincto gratum confecerim? Aggrediar igitur scribere et scribendo de perditionis filio investigare ego licet multum dispar a discipulo quem diligebat Jesus tuo sancto hortatu praeeunte

---

[1]) cod. cuttularum.

[2]) Sap. 3. 7.

[3]) Gen. 18. 17.

[4]) Joh. 7. 38.

[5]) Sap. 10. 21.

quasi Petro mihi innuente et in hoc ipsum auctoritate praestante de materia videlicet scrupulosa praeterita conjectans, futuris non praejudicans, ita ut totus sermo meus magis inquirentis quam difinientis sit, qui et a canonicae scripturae, quibus innititur, fundamentis non recedet, quamvis praeter usum communem ejus interdum de ultimis temporibus aenigmata resolvat, vel ab aliis resoluta demonstret. Nam omnes fere scriptores de discessibus, facienda de persecutione Antichristi, de signis et prodigiis illis mendacibus, de duobus testibus ab eo occidendis, de Judaeorum reliquiis convertendis se in futurum tempus extendunt: ego vero praeteritos ecclesiae agones et iniquorum ecclesiam persequentium regum saevitiam extendens[1]) in hoc ipsum pensabo si forte ad iniquitatis mysterium complendum sufficientes inveniri valeant. Oportet enim impleri scripturas de ecclesiae passionibus et antichristi persecutione prophetantes, quomodo et de Domino nostro Jesu Christo et de ejus traditore completae sunt. Sane in quantum jam etiam de antichristo et ecclesiae agonibus prophetarum et apostolorum atque ipsius Domini oracula completa vel pene completa inveniri[2]) poterunt, inaniter ut aestimo eorum, quae[3]) jam completa vel fere completa sunt, in longe futurum adimpletio exspectatur. Nec curiosus, ut aestimo, secretorum inquisitor aestimari debeo dum in talibus sermo meus versabitur, quomodo nec Petrus et Johannes personam traditoris a Domino exquirentes, siquidem omnis tam nostra quam illorum inquisitio ex dilectione magistri ac Domini Jesu et odio inimicorum Christi et ecclesiae descendat. Nec vero incongrua inter meam parvitatem tuamque sublimitatem atque inter nos et tantos apostolos similitudo est licet proportione dissimili. Siquidem tu cum Petro et post Petrum saeculi calcas fluctus et rete trahis ecclesiae, mihi vero, si cum Johanne super pectus Domini recumbere non contigit, tamen adhaerere Deo etiam mihi bonum est et meditationi sanctae scripturae incumbere suave interdum habeo, in qua velut in pectore Domini omnes thesauri sapientiae ac scientiae absconditi sunt, de cujus

[1]) cod. extendunt
[2]) cod. inunire
[3]) cod. qui

secretis exquirendis etiam illa dicenda iniquitatis mysteria propositum habeo. In ipsa vero inquisitione mea aliorum exquisitis et inventis tamquam paratis uti delectabile mihi erit, ne ab uno solo dicta facilius contemptui habeantur, quamquam et ab uno solo testimonia pietatis prolata contempnenda non sint. Sic enim et sancti Evangelistae quaedam simul, quaedam et soli dixerunt et tamen omnia eorum dicta, prout opportet, in apice canonicae auctoritatis habentur. Quod et si potuero testimoniis scripturarum cum ecclesiasticis gestis comparatis Dominum in omnibus sermonibus suis justificatum demonstrare, quemadmodum scriptum est: ut justificeris in sermonibus tuis et vincas cum judicaris;[1]) nemo tamen aestimet me per sermonem vel scripturam territare velle homines quasi instet dies Domini, siquidem omnis sermo meus sine praejudicio futurorum sit et novi a quo dictum est: non esse nostrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate[2]) et de die illo idem filius Dei nemo, inquit, novit neque angeli in coelo neque filius nisi Pater solus.[3]) Proinde nemo a me exspectet vel suspicetur velle me diffinire, quod in solius Patris notitia et potestate situm est. Totus vero sermo noster ad hoc tendit, ut demonstret praeterita ecclesiae et inimicorum ejus contra eam gesta sufficientia esse ad impletionem scripturarum de antichristo loquentium etiam si non veniat talis bestia qualis vulgo aestimatur venturus antichristus, qui videlicet Christum non fuisse Christum, se vero Christum esse asserat, qui in templo materiali sedeat ostendens se tamquam sit Deus et inter caetera signa mendacia materialem ignem de coelo descendere faciat ac duos testes Enoch et Heliam materialiter occidat ac caetera peragat, quae de illo ecclesiastica magis opinio quam fides tenet. Fides enim nobis solum in Deum Patrem et in Dominum Jesum atque in amborum Spiritum est et esse debet atque in his, quae in corpore pro nostra salute passus est vel egit Dominus Jesus et de futuro judicio. De antichristo vero nihil aliud nobis in fide esse debet, nisi quod per ejus adventum et operationem scripturae de illo

---

[1]) Ps. 50. 6.

[2]) act. 1. 7.

[3]) Math. 24. 36.

prophetantes compleri necesse est. Unde et nobis opinari vel aestimare licet de antichristis, qui praecesserunt, si forte ad impletionem scripturarum et mysterium iniquitatis sufficientes sint, an non, nimirum cupientibus nobis in sermonibus suis justificare Dominum ac demonstrare justificatum et si hodie fieri velit finale judicium sicut scriptum est: justificata est sapientia a filiis suis.[1] Et haec de praefatione dicta sint. Nunc divinum invocamus adjutorium cujus spiritu scripturae, de quibus nunc interest, conditae sunt, ut det nobis in eodem, quo conditae sunt, spiritu de ipsis scripturis recta sapere ac de ejus semper consolatione in ordinando ac struendo sermone gaudere.

Item alia praefatio super commemoratione Schismatis.

Cum librum hunc primum investigationis antichristi scriberem et recens jam schisma de contentione papatus Alexandri atque Octaviani, quem Victorem dicunt, ferveret singulis partibus quod sibi commodum videbatur in sui favorem assumentibus et alterutrum sive per veritatem, sive per occasionem, derogantibus; dumque partes utraeque multitudine magnorum et non contemnendorum sacerdotum insuper et regum ac principum se favore munirent: fateor hac contentionis nebula totam terram tegente faciemque ecclesiae tetra caligine obfuscante non satis mihi claruit vel puritas electionis ecclesiasticae in Alexandrum factae vel pervicax praesumptio partis octavianae. Unde pendulo gressu inter illas divisiones incedens et quasi concionatoris modo sententiam suspensam tenens in neutram partem declinare facilis fui. Cum ignorantibus ignorabam, cum dubitantibus dubitabam factusque sum sicut homo non audiens et non habens in ore suo redargutiones[2]) et quasi nesciens reprobare malum et eligere bonum.[3]) At nunc postquam mendaciorum nebulae contra canonicam electionem Alexandri confictae coeperunt rarescere, ipsis etiam negantibus ac solemniter negare

[1]) Math. 11. 19.
[2]) Ps. 37. 25.
[3]) Js. 7. 15.

paratis, quae contra imperium sacrilege conspirasse dicebantur et nulli mortalium velle super his rationem reddere, tamquam soli coelo debentes innocentiam, accedentibus quoque in consensum electionis in Alexandrum factae sedibus apostolicis id est jerosolymitana, in qua sedit Jacobus Apostolus; Antiochena quoque, in qua primo sedit beatus Petrus, quae et utraeque ecclesiae litteras apostolicas meruerunt; sanctae quoque Romanae ecclesiae majore et potiore cardinalium numero, tribus videlicet solum exceptis, in eiusdem Alexandri electionem consentientibus, quem videlicet dominorum Cardinalium coetum nos Romanam ecclesiam intelligimus: his, inquam, declaratis jam ultra dubitandi locus non est, quin is pro Papa legitimo habeatur, quem et electio canonica et consecratio eorum pontificum in sedem beati Petri promovit, quorum id juris fuisse antiquae Romanae ecclesiae juxta morem probat institutio. Et haec dicimus nostrae dubitationis ambages excusatas esse cupientes.[1]) Nam finis loquendi audiendus est non concionatoris percontationibus inhaerendum. Ceterum in hac ipsa catholicae electionis parte acceptanda multa sunt et esse apparent correctione digna, ut est appellationum abusio et avaritiae seu fastus immoderatio, quae quoadusque Dominus suo purget ventilabro ad purum excoqui posse non puto, sed pia interim ecclesiae patientia cum gemitu toleranda donec mittat Dominus angelos suos, qui colligant de regno ejus omnia scandala.

---

[1]) conf. quid capp. 82. 84. sentiat de Alexandro et partibus schismatis.

Liber I.

Cap. I.

An res quae quaeritur investigationem admittat?

De investigatione antichristi divina favente clementia scripturo id mihi primo investigandum[1]) videtur, utrumnam ipsa res investigationem admittat. Nam si ea, quae de antichristi adventu publica tenet opinio, constantem haberent[2]) veritatem et scripturae sanctae indubitata auctoritate subnixae sunt, nostra investigatio locum non habet. Siquidem ubi constat veritas et scripturae sanctae certum quid manifesta confirmat auctoritas, aliud velle investigare stultum esset atque impium. Videndum igitur quibus innitatur fundamentis eadem de antichristi adventu opinio videlicet quod de tribu Dan nasciturus, quod de Babilonia, Chaldaeorum metropoli, venturus, quod in templo Dei Jerosolymis sessurus, quod duos testes Enoch et Heliam in personis materiali gladio occisurus dicitur, quod tres reges Aethiopiae, Lybiae et Africae superaturus et post trium annorum et dimidii regnum a Domino interficiendus perhibetur.

Cap. II.

De eo, quod de tribu Dan antichristus dicitur nasciturus.

Et primo quod de tribu Dan nasciturus dicitur, non aliunde fere auctoritatem habere aestimo, nisi quod eadem tribus Dan in

---

1) cod. vestigandum.

2) cod. haberet.

dispositione castrorum, cum proficiscerentur de Aegypto filii Israel, locum ad aquilonem sortita est, et quod de eadem tribu in benedictionibus patriarchae Jacob filios suos benedicentis dicitur: fiat Dan coluber in via, cerastes in semita[1]) mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retrorsum.[2]) Et illud quod tribus Dan ad aquilonem in dispositione castrorum locum sortita est parum vel nihil ad rem facere videtur, ut de tribu illa venturus antichristus putetur. Aut si aquilonaris locus antichristi generationi competere aestimetur, quia scriptum sit: ab aquilone pandetur malum,[3]) nihil tamen cogere videtur, ut non de alia quam de tribu Dan antichristus nasciturus sit, cum plurimae gentes, ne dicam tribus, ad aquilonem habitent, ut de qua illarum[4]) eadem bestia nascatur dubitabile sit. Neque vero sola tribus Dan sed cum illa quoque aliae duae tribus Aser et Nephtali castra metati sunt ad aquilonem. Illud vero patriarchae Jacob fiat Dan coluber in via etc. cum antichristi impietati non incongrue aptetur eo quod ipse coluber per versutiam tortuosus et quasi cerastes per elationem videlicet tyrannicam et virulentam nequitiam cornuto serpenti similis deputetur ungulas equi mordens, populum christianum Domini subjugalem decipiens, ut cadat ascensor ejus, quilibet videlicet praedicator, retrorsum, populis nimirum rectores suos et in ipsis Dominum sine honore abjicientibus, tamen quia prophetia est, quae utique propria obscuritate obtegitur, nemo per hoc cogitur, ut non nisi de antichristo dictum intelligatur, maxime cum alii eandem prophetiam in Samsone impletam asseverent. Ipse enim inimicis gentis suae Philistaeis in terra Saraa et Estaol erat quasi coluber in via non sinens illaesos transire hinc inde venientes, quos inopinate utut ipsi causari poterant more colubri vel cornuti serpentis non semel sed saepius ingenti plaga percussit, ut de casu quoque illorum retrorsum facto scriptura non tacuerit dicens, quia stupentes

---

1) Gen. 49. 17.
2) Num. 2. 25.
3) Jerem. 1. 14.
4) cod. illorum.

et stupore cadentes suras femori imponerent.[1]) Et illi quidem potentia et numero superiores velut in equis immo et vere in equis et in curribus vectabantur. Hic vero interdum solitarius incedens equum et ascensorem more dejecit serpentis improviso mordentis. In quo et id serpentinae astutiae vel prudentiae exstitit, quod aliquando se funibus vinciri et vinctum allophylis tradi permisit, quibus traditus hostes funibus diruptis delevit, quod captis quoque vulpibus alligans faces segetes eorum incendit sicque diversis modis laedendi inimicos serpentina calliditate occasionem nactus est. Sive autem quis de antichristo sive de Samsone hanc scripturam interpretetur, non cogimur per hoc, ut de genere Dan et non aliunde antichristus nasciturus aestimetur. Possunt enim, quae de tribu Dan prophetia praedixit, etiam per tropum similitudinis antichristo convenire, quamvis de illa tribu nasciturus non sit, sicut econtra mysteria Christi per eundem Jacob per similitudinem in tribu Joseph prophetata sunt, de qua tamen tribu, ut notum est, Dominus Jesus secundum carnem non descendit. Sic enim ait inter caetera idem Jacob benedicens Joseph: Dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum ejus per manum potentis Jacob, inde pastor egressus est lapis Israel.[2]) Haec siquidem verba cum ad sensum vel superficiem litterae illi tunc in carne degenti convenirent Joseph, cujus vincula brachiorum et manuum, quibus eum Dominus suus eunuchus regis, Aegypti vinxerat dissoluta sunt per manum potentis, videlicet Dei, qui est potens et Dominus Jacob, unde idem de qua vinculorum solutione egressus est pastor ipse Joseph pascens Aegyptum simul et fratres, quibus ait, nolite timere ego pascam vos et parvulos vestros[3]) ipseque lapis idest fulcimentum et firmamentum fratrum suorum filiorum Israel, cum hoc, inquam, sensu jam dicta verba typico conveniant Joseph, mysteria tamen Domini nostri Jesu Christi ipsis verbis prophetata sunt. Ipse est enim verus Joseph filius accrescens, qui a

---

[1]) Jud. 15. 8.
[2]) Gen. 49. 24.
[3]) Gen. 50. 21.

fratribus, videlicet Judaeis, venditus ac traditus est gentibus vel Aegyptiis ad illudendum et flagellandum et crucifigendum, cujus brachia et manus usque ad clavorum fixionem ligatae ad tempus fuerant, sed soluta sunt vincula brachiorum et manuum ejus per manum potentis Jacob i. e. per manum propriae seu paternae potestatis, qui est Deus potens ac Dominus Jacob. Unde ait: Potestatem habeo ponendi animam meam et potestatem habeo iterum sumendi eam.[1])

Et inde de solutione vinculorum ejus egressus est pastor, ipse videlicet, qui de se fidenter ait: Ego sum pastor bonus[2]) et idem ipse lapis, firmamentum nimirum et fundamentum vero Israeli populo videlicet in se credenti. De quo lapide scriptum est: lapidem quem reprobaverunt, hic factus est in caput anguli.[3]) Sicut itaque haec prophetia sub nomine Joseph in Christum tendens non exegit, ut de tribu Joseph Christus nasceretur, sic in antichristum prophetia sub nomine Dan tendens non exigit, ut de tribu Dan antichristus nasciturus sit.

Cap. III.

Quod de Babilonia perhibetur nasciturus.

Nunc de eo, quod de Babylonia nasciturus seu venturus antichristus aestimatur, quid firmitatis vel constantiae habeat videndum et cui parti scripturarum innitatur. Et nulla quidem canonica scriptura testatur hoc verbis manifestis, nisi forte ad tropologias se quis conferens dicat de antichristo id intelligi debere quod in Jeremia sic scriptum est: Quid tu vides Jeremia? Et dixi: ollam succensam ego video et faciem ejus a facie aquilonis[4]) et illud quod Domino visionem ipsam exponente sic dicitur ab aquilone exardescent mala super

---

[1]) Joan. 10. 18.
[2]) Joh. 11. 14.
[3]) Math. 21. 42.
[4]) Jerem. 1. 13.

omnes habitatores orbis. Haec enim quamvis ad faciem litterae de rege Babylonis contra Jerusalem secundum situm terrae ab aquilone tunc venturo dicta sunt, non erit incongruum etiam de antichristo interpretari. Sicut illic etiam virga vigilans[1]) visa est per quam Christus et christianae disciplinae vigor intelligitur cui sicut olla succensa in visione prophetica opponitur, ita nimirum Christo et christianae disciplinae ac vigilantiae antichristi pervicacia adversatur, quae homines non solum in hac vita vitiorum et errorum igne gehennali incendit sed tandem in ignem quoque aeternum praecipitabit dicente ipsa virga vigilante Domino Jesu in fine his, qui a sinistris ejus erunt: Ite maledicti in ignem aeternum.[2]) Ad quam rem et illud pertinere mystica interpretationc potest quod Ezechiel[3]) propheta ventum turbinis ab aquilone venientem vidit ignemque involventem et nubem magnam, cui et illic electri species et quatuor animalium seu unius animalis quatuor facies habentis visio opponitur, siquidem semper et ubique antichristi tyrannidi Christi vigilantia obsistit, quae in multitudine oculorum unius animalis salvis aliis sanctis intellectibus animadverti potest. Et in regno quidem Chaldaeorum Daniel et tres socii ejus regis iniqua imperia spernentes illustres miraculis et potentia dignitatum inclyti et clari effecti sunt, in regno vero Christi sanctae Trinitatis cultores quasi pueri tres innumera milia martyrum inter ignes et tormenta ab antichristo illata fide illaesi a Domino conservati et victores inclyti claruerunt. Sed et sancti Confessores juxta gratiam Danieli a Deo collatam visionum propheticarum veluti somniorum regalium mysteria intelligentes sanctaequae scripturae aenigmata solventes etiam ipsi in regno Dei apud Deum et homines clari et inclyti effecti sunt. Sed quid hoc totum ad comprobandum quod de Babylonia, quae ad aquilonem ab Jerusalem sita est, venturus sit antichristus, cum per aquilonem in sanctis scripturis non semper illa terrena Babylon, sed interdum etiam diabolus intelligi soleat, ut est illud

[1]) Jerem. 1. 11.
[2]) Math. 25. 41.
[3]) Ezech. 1. 4.

in Canticis Canticorum: Surge aquilo et veni auster.[1]) Nempe aquilo frigidus ventus recte in typo diabolo congruit quia et ipse a caritatis igne alienos homines suos sequaces impietatis gelu constringit. Unde ipse in typo regis Babylonis de se apud Isaiam prophetam loquitur dicens: In coelum conscendam supra astra coeli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo;[2]) diabolo quippe in coelum conscendere est homines conversatione coelestes sibi velle subjugare. Super astra coeli solium illi exaltare est illustriores inter sanctos veluti subjectos velle possidere. In monte testamenti sedere illi est etiam litteratos ac scientia legis eminentes obsequentes habere. Super altitudinem nubium ei conscendere est ordini in ecclesia praedicatorum vel etiam in coelo agminibus angelorum semetipsum falsa aestimatione praeferre. Habet tamen diabolus etiam in veritate astra sibi subjecta, sidera videlicet errantia, homines mente corruptos in impietate spectabiles, reprobos, circa fidem errantes, et in errorem mittentes. Habet et suas nubes sed nubes sine aqua[3]) et nebulas turbinibus agitatas, homines scilicet suae impietatis bajulos sed transfigurantes[4]) se velut ministros justitiae cum sint ministri satanae, quemadmodum et ipse satanas se transfigurat in angelum lucis. Hi sacramenta ecclesiae quamvis interdicti, degradati et excommunicati, licet haeretici et schismatici ritu ecclesiastico nobiscum specietenus celebrant, propter quod nubes ac nubium similes sunt, speciem quidem pietatis in eisdem sacramentis habentes, virtute vero vel efficacia spiritali in eis carentes immo et damnationem sibi suisque post interdictum communicatoribus afferentes, quod et nubes quidem esse sed aquis carere ac pro aquis grandines[5]) igne mixtas emittere. Coeli quoque hujus aërei diabolus usque in diem judicii, quando mittetur in abyssum, habitator est, unde

---

[1]) Cant. 4. 16.
[2]) Js. 14. 13. 14.
[3]) Judae 14.
[4]) cod. transfurantes.
[5]) cod. grandiores.

apostolus: Colluctandum nobis, ait, contra spiritualia nequitiae in coelestibus.[1]) Sicque per omnia diabolus ruinosus mortis praepositus per contrarium nititur similis esse Altissimo, ut et in contrarietate similitudo et in similitudine contrarietas sit. Quia vero haec, quae de diabolo sub typo regis Babylonis dicuntur ejus compari vel suppari antichristo congruunt, quippe qui et sua aestimatione in coelum conscendit, in monte testamenti, in eminentia videlicet legisperitorum, in lateribus aquilonis in frigidis et a caritatis calore extraneis hominibus sibi sedem collocat, super altitudinem quoque nubium, quales dictae sunt sine aqua vel nebulae turbinibus agitatae, ascendit, super astra etiam coeli, qualia item dicta sunt sidera videlicet errantia, solium suum exaltat, non incongrue forte quis aestimabit ipsum de quo loquimur antichristum de Babylonia nasciturum seu venturum, ut quemadmodum christo antichristus opponitur ita et civitati Jerusalem de qua scriptum est: quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem[2]) civitas illa diaboli Babylon etiam in hoc opponatur, quod ex ea venturus sit antichristus. Et quis huic opinioni contradicat? Quis vero etiam affirmare audeat? Nam si manifestis sancta scriptura diceret verbis antichristum de Babylonia venturum adhuc subesset dubium de quanam venturus esset Babylonia, utrum videlicet de illa, quae proprie Babylonia dicitur, sita in campo Dura,[3]) an de Roma civitate, quae tropice Babylon dicitur, nimirum propter superbiae ac morum illius similitudinem. Unde Petrus apostolus Romae constitutus fidelibus scribit: Salutat vos, inquiens, ecclesia in Babylone collecta,[4]) sub nomine Babylonis Romam volens intelligi. Aut etiam quia Babylonis nomine mundi hujus in maligno positi confusio solet generalis in scripturis accipi ut est illud; super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus[5]) et illud:

---

[1]) Eph. 6. 12.
[2]) Jos. 2. 3.
[3]) Dan. 3. 1.
[4]) I. Petr. 5. 13.
[5]) Ps. 136. 1.

filia Babylonis misera,[1]) item et illud quod fronti mulieris super bestiam coccineam sedentis inscriptum in apocalypsi sua Johanni revelatum est mysterium Babylon magna mater fornicationum[2]) et abominationum terrae, cum, inquam, in his et similibus mundi hujus confusa et confusionis plena cupiditas soleat accipi, quis contradicere possit etiam de tali Babylonia antichristum surrecturum esse, ut necesse non sit illam, quae proprie Babylonia dicitur, intelligere etiam si in eis scripturis, quarum auctoritati cedendum est, tale quid manifestis verbis dictum, quod minime arbitror, inveniretur? Et hoc pro eo dictum sit, utrumnam de Babylonia illa Chaldaeorum metropoli antichristum venturum aestimare oporteat.

Cap. IV.

De eo, quod in templo Dei perhibetur sessurus.

Jam et illud, quod in templo Dei sessurus ab Apostolo perhibetur, deducatur ad medium. Huic enim verbo, quoniam apostolicae auctoritatis fundamento [3]) nititur, refragari fas non est. Quia vero templo Dei nominatio aequivocatur ad duo, ad templum videlicet manufactum et ad templum spirituale, quod est ecclesia Dei, unde idem apostolus templum, inquit, Dei sanctum est, quod estis vos [4]) et an nescitis, quoniam corpora vestra templum sunt spiritus sancti, [5]) dubitare licet de quonam templo dictum convenientius accipi possit, aut si sententia se habeat aequaliter ad utrumlibet, unum eorum pro constanti affirmare forte stultitiae reputetur. Et de templo, quod dicitur, aliquo manufacto, quod in eo sessurus sit antichristus contradicere non ausim, ostendens se in eo tamquam sit deus, quomodo et

---

[1]) Ps. 136. 8.
[2]) apoc. 17. 5.
[3]) 2 Thess. 2. 4.
[4]) I. Cor. 3. 17.
[5]) I. Cor. 3. 16.

Herodes, funestus Jacobi Apostoli occisor, in veste regia et auro fulgenti pro tribunali sedisse perhibetur acclamantibus sibi populis: voces Dei et non hominis, [1]) unde quia non dedisset honorem Deo insanabili plaga percussus vermibus scatens exspiravit. Sic ergo et forte antichristus in templo aliquo manu facto sedebit, ad cetera vero templa imaginis suae statunculum mittet, ut impleatur quod dictum est per Danielem [2]) Prophetam et quod in Evangelio ab ipso [3]) Domino praedictum est, staturam abominationem desolationis in templo vel quod idem est in loco sancto sive ubi non debet. Ad quod etiam pertinere quis forte arbitretur illud, quod de bestia illa alia ascendente de terra in apocalypsi Johannis scriptum est, quoniam faciat omnes habitantes in terra adorare bestiam primam et facere imaginem bestiae, cujus plaga mortis curata est. Et nos quidem tali sessioni antichristi in templo manufacto non contradicimus sed adimpletionem prophetiae necessariam non aestimamus. Etenim ut adimpleantur ad litteram scripturae id satis esse potest, quod Philo refert, tempore Caji Caesaris inter ceteras calamitates genti Judaeorum illatas accidisse. Multa quidem, [4]) inquit, in Cajo erat ingenii pravitas, qua erga omnes homines, tum praecipue erga Judaeorum gentem ferebatur et speciali quadam saevitia loca eorum, quae divinis habent supplicationibus consecrata, incipiens ab Alexandria diripi et contra religionem moremque gentis profanari jubet, statuis suis et signis ea atque imaginibus replens. Templum quoque sanctae civitatis, quod solum manebat totius profanae contagionis intactum et a majoribus perduraverat asylum, commutare in templum proprii nominis ausus est, ut aedes Jovis et nobilissimi novi dei Caji vocaretur. Josephus quoque in secundo judaici belli libro consona Philoni scribens dicit: Is autem, qui missus est a Tiberio in Judaeam procurator Pilatus, noctu velatas introferri Jerosolymae imagines Caesaris jubet ac statui. Quod ubi dies exortus est

---

[1]) act. 12. 22.

[2]) Dan. 9. 27.

[3]) Marc. 13. 14.

[4]) confer infra cap. 46. Philo. op. ed Paris 1640 p. 1040.

magnam perturbationem populis excitavit Judaeorum stupentibus et perturbatis ad novam faciem rerum. Et haec quidem abominatio desolationis, proximante jam civitatis et templi excidio, in templo statuta est, quemadmodum a Domino eadem abominatio desolationis quasi excidii praecursorium signum fore praedicta est, ut signa infausta et horribilia horribiliores calamitatum et excidii eventus sequerentur nimirum pro piaculo in salvatoris nece commisso, quem, electo sibi Barraba latrone, reprobantes clamaverunt, ante faciem Pilati: Non hunc sed Barrabam.[1]) Item: Non habemus regem nisi Caesarem[2]) quasi rebus ipsis diceretur eis: Seditionis vobis auctorem et Caesaris regale dominium, reprobato salutis auctore, elegistis, seditionibus intestinis et gladio Caesaris trademini disperdendi. Denique palam faciens Dominus abominationem desolationis statuendam in templo calamitatis secuturae signum existere cum praemisisset dicens discipulis suis: [3]) Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, consequenter de excidio secuturo praemunit dicens: Tunc qui in Judaea sunt fugiant in montes et cet. Beatus etiam Hieronymus asseverat [4]) Adriani equestrem statuam [5]) in eodem sancto sanctorum loco usque ad sua stetisse tempora. Cum itaque de abominatione desolationis statuenda in templo prophetia Danielis temporibus Tiberii et Caji regum sufficienter adimpleta sit, quid necesse est adimpletionem ejus litteralem tempore antichristi per manufacta simulacra seu per sessionem illius filii perditionis materialem in templo materiali exspectare? Quod si objicitur nobis ad antichristi tempora respicere quod in apocalypsi Johannis scriptum est de bestia ascendente [6]) de terra, quod faciat homines adorare bestiam primam et ut faciant imaginem bestiae,

---

[1]) Joan. 18. 40.
[2]) Joan. 19. 15.
[3]) Math. 24. 15.
[4]) cod. assueverat.
[5]) cod. statuam usque in.
[6]) apoc. 13. 12.

cujus curata est plaga mortis, — fatemur quidem sic scriptum esse, sed in libro obscuritatibus parabolicis pleno, de quo ante nos dictum est, quia tot habeat sacramenta quot verba, immo quod in singulis verbis multiplices lateant intelligentiae. Et quia scriptum de ejusdem filii perditionis astutia sit virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus[1]) non arbitramur bestiam illam tantae fatuitatis existere, ut putet homines ab unius Dei cultu, quo jam olim assuefacti sunt, ad apertum scelus idolatriae posse detrahere siquidem et gentes multae, super quas necdum nomen Christi invocatum est, simulacra manufacta abdicarunt; sed tota res, ut aestimo, sub specie pietatis peragetur, virtute tamen ejus abnegata, quomodo si in aliquo schismate generali vel haeresi excommunicato, quae et reges auctores seu defensores habeat, minores erroris discipuli majoribus erroris magistris reverentia parent et exhibeant faciantque suae perversitatis discipulos, terram videlicet inhabitantes ac terrena plus quam coelestia amantes, haeresiarchis illis seu schismatis principibus obedire ac sacramenta per eos et eorum pseudosacerdotes ministrata suscipere. Hoc namque est imaginem bestiae facere ipsamque immo in ipsa diabolum adorare. Sicut enim verissime dicit veritas discipulis suis: Qui vos audit me audit et qui vos recipit me recipit, qui autem me recipit, recipit eum qui me misit[2]) sic et filio perditionis vel cuilibet haeresiarchae seu schismatis principi [3]) discipulis suis verum dicere erit: qui vos recipit me recipit et qui me recipit, recipit patrem mendacii diabolum, qui me misit. Et sicut Judaei non minore sed utique majore impietatis scelere reprobato Christo petierunt sibi Barabbam quam olim decem tribus reprobato regno David et unius Dei cultu fecerunt sibi vitulos aureos: sic utique etiam nunc majori impietate abdicat quisque catholicam fidem seu pacem et sequitur haeresiarcham vel schismatis auctorem; siquidem peccatum ariolandi est non obedire ac scelus idolatriae nolle acquiescere. [4]) Et

---

[1]) Ps. 5. 7.

[2]) Math. 10. 40.

[3]) cod. vel civilibus heresiarche seu schismatis princidiscipulis.

[4]) I. reg. 15. 23.

utique majus est in coelo sedentem contemnere et pro Christo antichristum recipere quam fuerit Judaeis humilem et inter homines ambulantem reprobasse et Barabbam latronem seu caesorem elegisse sicut utique dementius esset in montem meridie quam in lapidem nocte offendere.

Tale vero simulacrum in loco sancto stare est mendacium catholicae veritati contrarium seu sectam catholicae unitati adversam cum suo auctore locum catholicae veritatis vel unitatis falsi nominis specie obtinere, quomodo si haeresiarcha vel schismatis auctor qui se Papam vel regem catholicum nominet falsitate nimirum per speciem pietatis colorata. Tunc his, qui in Judaea sunt fugere in montes est veritatis confessoribus ad sanctorum antiquorum vita et doctrina eminentium dicta vel exempla se transferre, ne in convallibus vitae seu doctrinae animalis remanentes publi ci erroris nebulis involvantur, sicque generalis judicii calamitate quasi communi excidio perversae civitatis dispereant.

Sed tu quivis manufacti templi et materialis in eo sessionis antichristi vel imaginis ejus in eo collocandae assertor huic meae aestimationi resistis et dicis: Quomodo templum Dei vel sanctus locus recte vocabitur congregatio hominum quasi lapidum vivorum in quibus sedes est satanae vel antichristi sive ejus imaginis per communionem vel susceptionem alicujus excommunicatae haereseos vel schismatis? Ad quod accipe: Sicut olim apud Judaeos templum Dei dicebatur esse mendaciter quod idem Judaei affirmante veritate fecerant speluncam latronum, unde propheta Isaias inclamat eis in verbo Domini dicens; nolite confidere in verbis mendacii, dicentes templum Domini, templum Domini, templum Domini est etc.:[1]) ita mendaciter templum Domini vel ecclesia Dei dicitur congregatio hominum schismati vel haeresi excommunicatae communicantium cum in veritate spelunca latronum sit. In his ergo dum sedem sibi filius perditionis collocat utique abominatio desolationis in loco nominetenus sancto stare videtur, cum sit talium, ut diximus, hominum commansio in veritate non templum vel ecclesia Dei sed spelunca latronum

---

[1]) Jerem. 7. 4. (non Isai).

et synagoga satanae. Quibus et hoc ad cumulum damnationis est, quod Christianitatis vel religionis alicujus professionis nomine censentur, cum vere christiani et religiosi non sint, sed potius membra sint antichristi. In quorum numero sunt omnes in sacerdotio quae sua sunt quaerentes non quae Jesu Christi, simoniaci et in sacris ordinibus incontinenter viventes et insuper contra interdictum sacrificantes et ministrantes et generaliter sanctae professionis, cui adscripti sunt, normam non sequentes. Huc accedit, quod sicut in civitate templum ita in populo vita debet esse religiosorum. Sed dum professionem sublimem vita obscurat terrena, dum qui nomine et quaestu sunt clerici, habitu milites, vita neutrum sunt, dum non solum sicut populus sic sacerdos sed multo deterior a conversatione plebis vita sacerdotis est, haud dubium, quod debuit esse templum extat spelunca latronum, vanitatis conventiculum, volutabrum vitiorum. Nam quilibet ex populo uno legitimo thoro contentus est aut in deterius proruens nisi resipuerit[1]) pro ethnico reputabitur et publicano: hoc vero clericorum biforme genus hippocentauris simile, quasi latro certa sede carens de domo in domum transsiliens dum legitimum non potest habere matrimonium numerosa sectatur pene impune contubernia feminarum.

Cap. V.

De spectaculis theatricis in ecclesia Dei exhibitis.

Et sacerdotes, qui dicuntur, jam non ecclesiae vel altaris ministerio dediti[2]) sunt sed exercitiis avaritiae, vanitatum et spectaculorum, adeo ut ecclesias ipsas, videlicet orationum domus, in theatra commutent ac mimicis ludorum spectaculis impleant. Inter quae nimirum spetcacula adstantibus ac spectantibus ipsorum feminis interdum et antichristi, de quo nobis sermo est, non ut ipsi aestimant imaginariam similitudinem exhibent sed in veritate, ut credi potest iniquitatis ipsius mysterium pro parte sua implent.

---

[1]) cod. respuerit.

[2]) cod. debiti.

Quidni enim diabolus abutatur in serium rebus sibi exhibitis in vanitatis ludicrum, sicut Dominus quoque Jesus convertens in seria ludibria, quibus apud Judaeos vel Pilatum in passione sua affectus est? Inde enim nunc regius honor, prophetalis vel sacerdotalis reverentia, insuper et divinus honor ei merito exhibetur, cum quia natus ex Deo, quin et secundum carnem ex regali ac sacerdotali prosapia omnia haec jure paterno haereditavit; tum etiam quia eadem per spineae coronae sceptrique[1]) simulati vel purpurae gestationem per adorationis ei exhibitae simulationem, per albae vestis induitionem, per prophetandi a quo percussus fuisset exactionem dici et esse rex regum, Deus quoque sacerdos et propheta magnus commeruit. Per haec enim, quae dicta sunt, ut palam est, regia in eo sublimitas divinitatis majestas, sacerdotalis ac prophetalis dignitas irrisa sunt,[2]) sed ipse, qui est veritas, irrissionibus eorum in veritatis serium usus est. Quid ergo mirum si et isti nunc antichristum vel Herodem in suis ludis simulantes eosdem non, ut eis intentioni est, ludicro mentiuntur sed in veritate exhibent, utpote quorum vita ab antichristi laxa conversatione non longe abest? Horum enim locum quidem sanctum et vitam sanctitati contrariam si attendas quasi alienigenas[3]) in arce et abominationem desolationis videre te suspicaberis in loco sancto stantem. Contigit, ut comperimus, aliquando apud tales, ut eum quem inter ludicra sua quasi mortuum ab Elisaeo propheta suscitandum exhiberent peracta simulatione mortuum invenirent. Alius item antichristo suo quasi suscitandus oblatus intra septem dies vere mortuus, ut comperimus, et sepultus est. Et quis scire potest, an et cetera simulata antichristi scilicet effigiem, daemonum larvas, herodianam insaniam in veritate non exhibeant? Sicut enim in veritate a sapiente dicitur, quia maledicens impius diabolum maledicit se ipsum,[4]) ita consequenter dici ab eadem veritate potest, quod impius effigians diabolum vel ejus membrum

---

[1]) cod. ceptrique.

[2]) In margine codicis hic scriptum invenis: 1533. Cur nostram mordaci rodis auriculam vero?

[3]) cod. alienienas.

[4]) Eccli. 21. 30.

effigiat vel exhibet se ipsum. Exhibent praeterea imaginaliter et salvatoris infantiae cunabula, parvuli vagitum, puerperae virginis matronalem habitum, stellae quasi sidus flammigerum, infantum necem, maternum Rachelis ploratum. Sed divinitas insuper et matura facies ecclesiae abhorret spectacula theatralia, non respicit in vanitates et insanias falsas, immo non falsas sed jam veras insanias, in quibus viri totos se frangunt in feminas quasi pudeat eos, quod viri sunt, clerici in milites, homines se in daemonum larvas transfigurant. Dumque hujusmodi vanitates et insaniae sacramentorum daemoniacorum[1]) celebrandorum locis et temporibus se ingerunt, quasi abominationem desolationis in loco sancto videre est. Paulo minus enim turpe est faciem ecclesiae talibus vanitatum spectaculis christianos foedare, quam olim in templo fuerit imagines Caji Caesaris gentiles intulisse vel Pilatum. At si quis parietem hanc fodiat et lucernam evangelicae animadversionis admoveat videbit certe abominationes majores his. Nam dum in semetipsis templum Dei violant, dum membra sua Deo dicata Beelfegor consecrant, dum mysterium sacerdotale et leviticum per contubernia feminarum polluunt, dum quaestum pietatem existimant, dum stipendiis Dei ministerio deputatis vanitatibus et non Deo militant, dum pauperum victualia in luxurias transferunt, quid nisi abominationem desolationis semetipsos in loco sancto constituunt? Et cum sint in coetu talium nonnulli genere clari,[2]) litterarum scientia illustres, divitiis ampli, corporis et vestium cultu splendidi, ut tale quid de eis ab admirantibus etiam discipulis dici Domino vel cuilibet ejus vicario possit: magister aspice quales lapides et quales structurae.[3]) magistro coelesti non, faciem rerum sed corda intuenti non est nec esse debet cura de talium structura lapidum, qui ab apostolicae aedificationis dissident fundamento, dicetque de his: Amen dico vobis non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.[4]) Bonum quippe

---

[1]) cod. daemoniacum.

[2]) cod. clan.

[3]) Marc. 13. 1.

[4]) Math. 24. 2. Luc. 21. 6.

est male aedificata primo bene destrui, ut melior aedificatio de eisdem subsequi valeat lapidibus et impendiis.

Cap. VI.[1])

De templo manufacto quotiens post primam aedificationem destructum et reparatum sit.

Venit nunc in mentem, quod olim circa templi fabricam Jerosolymis accidit. Herodes funestus, parvulorum nece cruentus, propriae uxoris ac filiorum parricida virorumque per omnia sanguinanus[2]) templum ipsum olim a Salomone CXX cubitorum[3]) altitudinis fabricatum, cum destructum a Chaldaeis sub ducibus Zorobabel et Nehemia filii captivitatis adhortantibus prophetis LX cubitorum altitudinis reaedificassent, dolens is, quem describimus, Herodes altitudinis ei, qua[4]) per Salomonem primo constructum fuerat, mediam partem deesse, ad solum dirui praecepit, quod etiam in pristinam sub Salomone dispositam altitudinem intra unius anni et quinque mensium spatium reformavit, arbitrans forte obsequium se praestare Deo, immo quod est verius, suae vanae consulens gloriae seque stulte praeferens sanctorum studio patrum ac prophetarum in celeritate operis et impendiis sumptuum.

Addo etiam idem ipsum templum a filiis transmigrationis, ut dictum est, reaedificatum, rex Graecorum Antiochus profanare non timuit;[5]) sed obsistentibus ei Machabaeis[6]) ac pro patriis legibus pugnantibus in manibus eorum opus, Domino cooperante, prosperatum est et civitate ac templo receptis denuo ab eis templum consecratum et coronis aureis perornatum est. Post quae omnia funestus, ut praemissum est, Herodes manum apposuit, idemque templum ad solum diruens in duplam altitudinem refor-

---

1) Ab hoc capite incipit editio Gretseri. Opera tom. VI. pag. 245.

2) Gretser. sanguinarius.

3) II. Esd. 2. 3. 4. 5.

4) Grets. quod.

5) I. Mach. 2—5.

6) II. Mach. 10.

mavit ex tam politis et pergrandibus lapidibus ut, quod supra quoque commemoratum est, admirantes discipuli dicerent Domini: Magister, aspice quales lapides et quales structurae![1]) Quibus et quod notum est Dominus respondit: Amen, inquiens, dico vobis non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.[2])

Cap. VII.

De spirituali intelligentia dimensionum templi.

Sed quorsum ista? Nimirum quia operae pretium scire est ea quae in templi illius manufacti fabrica typice praecesserunt, nunc in ecclesia, quae verum Dei templum est, in veritate actitari et ad nostra usque tempora esse actitata. Verus namque Salomon i. e. pacificus Dominus noster Jesus Christus, qui est pax nostra et spiritus ejus verum et vivum Dei vivi templum ecclesiam sanctam ex vivis lapidibus construxit, cujus etiam dimensiones ad instar illius templi manufacti, quod hujus veritatis velut umbra praecesserat, procuravit.

Cap. VIII.

Longitudo.

Longitudo siquidem illius templi manufacti sexaginta cubitorum una cum oraculo extitit. Nam vigenti cubitos oraculum tam in longitudine quam in latitudine simul et altitudine i. e. quadrati cubici speciem tenuit, quo sanctorum et spiritualium in ecclesia perfectio significata est, quos nec prospera extollunt nec adversa dejiciunt sed semper aequalis sunt animi spe gaudentes, in tribulatione patientes, necessitatibus sanctorum communicantes.[3]) In his namque tribus sanctorum et perfec-

---

[1]) Marc. 13. 1.

[2]) In margine codicis scriptum est: 1532. Omnia fere templa nostra aedificata incipiunt destrui. Revera circa hoc tempus plurimae hujus regionis ecclesiae, prioribus destructis, reaedificatae sunt.

[3]) Rom. 12. 12.

torum quasi quasdam, immo vere, spirituales dimensiones tenes nam quod spe gaudent altitudinis est, quod in tribulatione patientes longitudinis, quod necessitatibus sanctorum communicant latitudinis est; charitate namque ad proximum tendi spiritualiter dilatari est. Longitudo vero domus pro foribus oraculi quadraginta cubitorum extitit, quo nimirum numero passiones hujus vitae significantur in qua ecclesia pro Christi fide persecutionibus et passionibus atterenda est, quo videlicet sacramento Moyses et Elias pro suis pariter et populi peccatis[1]) quadraginta diebus ab omni cibo abstinuerunt. Ipse quoque Dominus item quadraginta dierum jejunio abstinens pro nostris iniquitatibus quasi quadraginta plagis legalibus vapulavit. Quia enim mundus ex quatuor elementis subsistit et quatuor decurrit temporibus, cujus amorem conditoris amori[2]) praehabentes decalogum legis violavimus jure quater decies vapulamus i. e. patientiam nostrae longanimitatis per omnia praesentis vitae tentamenta extendimus, affirmante nimirum apostolo: quoniam non sunt condignae passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quae revelabitur in nobis.[3]) Cui mysterio et illud concinit, quod tota templi longitudo sexaginta cubitorum tendebatur. Quia enim homo sexto die conditus est totique visibilium creaturae praelatus, qui et ipse amori creatoris se ipsum praehabuit nimioque sui amore naturalis legis in se decalogum corrupit jure etiam longitudo patientiae ejus sexies denaria esse debet, ut, quicquid creatura sex diebus condita homini tentamentorum inferre valet, omnia pro Christo et lege ipsius ferre paratus sit. Divisit autem Domini pietas ipsa contra ecclesiam tentamenta surgentia sicut dictum est ad Job: Dividitur aestus super terram,[4]) ut cum omnia tentamentorum genera percurrere habeat nullumque ei tempus a tentamentis liberum transeat, raro tamen vel numquam contra eam, nisi forte in ultima antichristi persecutione simul universa consurgant. Sed breviavit Dominus etiam dies illos.

---

1) cod. peccati.
2) cod. amorem.
3) Rom. 8. 18.
4) Job. 38. 24.

Qui nisi fuissent breviati non fieret salva omnis caro,[1]) fidelis namque Deus, qui non patietur ecclesiam suam sicut nec ullum ecclesiae membrum, quod praedestinavit in gloriam, tentari supra id, quod[2]) potest sed faciet cum tentatione etiam proventum ut possit sustinere.[3]) Et inde est, quod patientia sanctorum non peribit in finem,[4]) quae, ut dicimus, patientia pro Dei legibus usque ad mortem habita decies senaria vel sexies dena templi non manufacti, quod est ecclesia, longitudo est.

Cap. IX.
De latitudine.

Latitudo quoque templi hujus, quod ecclesiam intelligimus, ad instar illius manufacti templi vicenis cubitis tenditur; qui numerus binarius decenus est, latitudinem charitatis significans, quae ad proximum tenditur minusque quam inter duos haberi non potest. Oportet autem ut et decena sit, quatenus legis decalogum non transgrediatur alioquin faciens et diligens iniquitatem odisset animam suam sicque nec proximum tamquam se ipsum diligere posset, cum utique nec se ipsum diligeret. Qui autem ordinate se ipsum diligit primo ac prae omnibus suum principium, quod est Deus, diligit; diligens vero Deum ejus, quem diligit, mandata custodit. Sicque secure se ad proximum charitas tendit Dei ac suimet dilectione formata et obedit jam ordinate praecepto dicentis: Diliges proximum tuum sicut te ipsum,[5]) in quo nimirum uno sermone omne completur mandatum. Sit ergo decena charitas, ut primo se ipsum homo secundum Deum et[6]) ejus mandata diligat. Denarius vero hic duplicetur, ut se ad pro-

---

[1]) Math. 24. 22.
[2]) cod. supra quam potest.
[3]) I. Cor. 10. 13.
[4]) Ps. 9. 19.
[5]) Math. 22. 39.
[6]) cod. ut.

ximum tendat. Dumque primo quod tibi fieri legaliter non vis nec proximo facis, quae utique charitas initialis est; ac deinde quod tibi fieri legaliter vis etiam proximo impendis, quod perfectionis est, templi utique sancti, in quo inhabitat Deus, bis denorum cubitorum latitudinem implesti. Templum enim Dei sancta haec decet latitudo in longitudine dierum in qua binarius se ad proximum tenderit et decalogum legis non excedit.

Cap. X.
De altitudine templi.

Templi sane altitudo, quae secundum regum[1]) volumen tricenis cubitis tenditur, secundum paralipomenon CXX cubitorum fuisse dicitur.[2]) At, ne sacra haec testimonia alterutrum adversari videantur, recte intelligitur ea quae triginta cubitorum extitit ad inferius tabulatum pertingere, ea vero quae LXX cubitorum ad summum usque templi fastigium[3]) pertendere. Tria enim coenacula domus continebat, infimum, medium et supremum, per quae tres ecclesiae ordines i. e. conjugatos, continentes et doctores praefiguratos agnoscimus, qui et per tres viros Noe, Daniel et Job in prophetia Ezechielis praesignati sunt. Sive autem in triginta sive in centum viginti cubitorum altitudine dignum scitu subesse mysterium nequaquam dubitaverim. In triginta namque cubitorum altitudine spei nostrae, quae secundum fidem est, sublimitas innuitur. Sicut enim nunc in Patrem Deum omnipotentem et in ejus Filium unigenitum atque in sanctum amborum Spiritum credimus, ita nos ejusdem sanctae Trinitatis visione beatificandos speramus. Quam utique spei nostrae celsitudinem Johannes nobis apostolus commendat dicens: Carissimi, nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus, videbimus enim eum sicuti est.[4])

---

[1]) III. reg. 6. 2.
[2]) 2 Paralip. 3. 4.
[3]) cod. fastidium.
[4]) I. Joh. 3. 2.

Altitudo sane CXX cubitorum ad summum templi usque pinnaculum pertingens summae numeri electorum mihi videtur congruere, in quos in initio surgentis ecclesiae, veri scilicet Dei templi, gratia Spiritus sancti effusa est. Erat enim, ut Lucas ait, turba hominum simul fere centum viginti.[1] Quare autem vel in templi manufacti Domino sanctificanda altitudine vel in electorum summa Spiritus Sancti adventu consecranda Deo hic numerus complacuerit requirendum existimo, non enim magno vacare crediderim mysterio, quod iteratur in facto.

Etenim ipsum de quo loquimur templum manufactum in eandem centum viginti cubitorum altitudinem non sine Dei nutu licet per funestum Herodem, ut praediximus, reformatum est antequam Dominus in ipso cum oblatione a parentibus praesentaretur, quae maxima erat ejusdem templi sanctificatio et gloria, unde et per Prophetam praedictum est, quia major erit gloria domus hujus novissimae plus quam primae;[2] sicut electorum quoque summa non ante Spiritu sancto consecrata Deo in templum est, quam ad numerum hunc a Deo praefinitum pervenit. Igitur pro nostra mediocritate hujus sacrati ac Deo complaciti numeri scrutemur sacramentum.

Cap. XI.

Septem et octo partes.

Omnibus sacrae scripturae studiosis cognitum, numerum quindecim propter duas partes ipsius commendabilem existere, quae sunt septem et octo. Nam dicente Salomone: da partes septem nec non et octo [3]) septem partes damus dum secundum legem mandati veteris spiritualiter sabbathizantes a vitiis feriamus; octo vero partes damus, dum secundum novae legis lationem nos per octo virtutum gradus exercentes ad octonariam beatitudinis

[1]) act. 1. 15.
[2]) Agg. 2. 10.
[3]) Eccle. 11. 2.

tendimus remunerationem. Propter hoc et octavus dies dominica resurrectione consecratus est. Octonarius primus in numeris cubicus est, aeternae beatitudinis nobis in anima et corpore stabilitatem simul et soliditatem designans, sicut septenarius quoque nobis non solum sabbathi spiritualis feriationem indicit sed et septem sancti Spiritus donorum, per quae ad virtutes foecundamur, participationem promittit. Has itaque duas quindenarii partes, septem videlicet et octo, in nostrae pio conversationis studio in unum conjungimus et quasi quindecim graduum canticum Deo accepte canimus, dum feriantes a vitiis, septem quoque spirituum donis ditati, per octo virtutum exercitia ad octonarium beatitudinum culmen Christo conresurgentes pertingimus.

Sed quid haec, inquies, ad numerum centum viginti, cujus mysterium quaeritur, pertinent? Multum per omnem modum. Nam si ab uno incipiens et eo numero, qui apud arithmeticos aggregativus dicitur, numerando ad quindecim usque procedas centum viginti in summa complesti. Qui etiam numerus in plano dispositus formam trianguli exhibet, cujus tres extremae lineae invicem reductae aequalis extent longitudinis, qualibet earum quindecim in se unitates retinente. Et quid hujus mysterio numeri pulchrius, in quo et trianguli species fidem sanctae Trinitatis informat et quindenarius in extremis finibus triangulae figurae tripliciter occurrens in duabus partibus suis, septenario videlicet et octonario, mores instruit, insuper et beatitudinis per immutabilem statum fidelibus repromittit? Propter hoc, ut aestimo, et originali mundo, qui per aquas periit, iste annorum numerus i. e. centum viginti ad poenitentiam indultus est dicente Domino ad Noe, eruntque dies hominis centum viginti anni[1], ut sciret homo evangelicus per Spiritum a Deo doctus hanc ipsi Deo gratam esse atque sufficientem ad placandum poenitentiam, quae et in fide sanctae Trinitatis agitur et quam feriatio a vitiis studiumque virtutum comitatur. Qui enim sic per septenarium, et octonarium poenitet, quasi per centum viginti annos Deo satisfaciens, non solum sabbathizans a vitiis, aeternae et extremae ultionis evadit

---

[1]) Gen. 6. 3.

supplicium sed et culmen virtutum atque beatitudinis aeternae consequetur octonarium dicente Domino: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum etc.[1])

Cap. XII.

De dimensionibus recapitulatio et spirituali ornatu templi.

Istae itaque dimensiones. Haec longitudo fidelis patientiae ac fidei omnia propter Deum sustinentis; haec amplitudo charitatis se ad proximum in Deo et propter Deum dilatantis; haec sublimitas coelestis conversationis et spei se in Deum erigentis gratum Deo templum, sanctam ejus ecclesiam, efficiunt, sexaginta in longum, viginti in latum, triginta vel etiam centum viginti in altum spirituales cubitos obtinentem. Hujus templi aurum divinitatis notitia, cultus et amor est; argentum ejus in divinis rebus eloquentia; pretiosi lapides ejus virtutum margaritae sunt; thymiama ejus bonae opinionis fragrantia; thus lucidissimum ejus conscientiae puritas et orationum incensa sunt; altare thymiamatis ejus Christus Jesus sanctorum preces et orationes excipiens; altare quoque holocausti et sacrificiorum et victimarum idem Christus est poenitentiam conversorum et vota quoque fidelium non repellens. Singuli templi hujus lapides quique fideles; tabulata auro affigendo praeparata pietas cordium, devotio mentium est. Non nobis vacat nec propositum est per singula spirituales templi hujus structuras vel ornatus perstringere sed ad ista intulisse sufficiat, quatenus sciamus Deo fabricatori ejus majorem de hoc templo quam de quolibet manufacto quantumlibet ornato vel amplo curam existere. Nam cetera omnia manufacta Dei templa propter istud facta sunt et fiunt; ista vero domus pro suimetipsius pretio a Domino Jesu Christo propriae praedicationis labore immo et mortis ejus impendio fabricata spirituque sancto de coelo misso consecrata est. Itaque quantum haec domus omni templo praestat manufacto tanto ejus profanatio abominabilior Deoque

[1]) Math. 5. 3. seqq.

et hominibus detestabilior est et esse debet. Quod vero in rebus detestabilius Christoque magis contrarium est hoc sibi vendicare antichristum dubitari non potest.

Cap. XIII.

Adaptatio ad ecclesiam eorum quae in templo illo facta sunt.

Ea propter quanta malignatus est inimicus in hoc sancto Dei templo, quod est ecclesia, insuper vero et in illo Jerosolymis in hujus typum facto, quanta item nimirum in figura passionum et agonum ecclesiae Domino permittente idem inimicus malignatus sit, perstringere atque invicem sibi veritatem et umbram conferre, Deo favente, curabo, ut de abominatione quoque desolationis, qualis et in quo templo quaerenda sit, a bono rerum aestimatore[1]) sciri possit. Illud namque templum a David et Salomone regibus divino instinctu fabricatum per regem Babylonis igni combustum et ad solum dirutum est. Ecclesiam quoque a vero David, Domino nostro Jesu Christo, atque ab ejus Spiritu tamquam Salomone vero constructam et dedicatam item babylonicus rex i. e. imperator urbis Romae, quam tropice Petrus[2]) Babyloniam nominat, Nero videlicet et quilibet ejus potentiae simul et impietatis successor persecutionibus, proscriptionibus et omnis generis tormentorum cruciatibus contra eam desaeviens, quantum in ipso erat destruxit atque incendit, quin et totum mundum Babyloniae caminum effecit, in quo, ut superius quoque memoratum est, sanctae Trinitatis cultores, quasi tres pueri sancto certamine desudarunt, qua in tempestate innumera Sanctorum millia ab unius Dei cultu nolentium transire ad culturam creaturae illustre martyrium duxerunt. Sed Dominus in eadem tentatione Sanctis suis affuit eosque vel in passione confortans vel passiones, ut tolerari possent, mitigans, flammam ignis de fornace excussit; insuper vero consolationibus eos sui spiritus refovens medium fornacis fecit eis quasi

---

[1]) cod. aestimare.

[2]) I. Petr. 5. 13.

ventum roris flantem, unde et post fornacem passionum vivere se miraculis multipliciter protestati sunt, daemonibus ex obsessis hominibus ad eorum sepulchra fugientibus et qualibet infirmitate detentis consolationem recipientibus.

Cap. XIV.

De haereticis reaedificationem ecclesiae impedientibus.

Deinde Cyro Persarum rege captivitatem Judaeorum relaxante, templum quoque et civitas Jerusalem ut reaedificarentur permittente, itemque Dario et Artaxerxe, Persarum et Medorum regibus idem concedentibus opus diu dilatum est impedientibus nimirum vicinis viris potentibus eosque in manu et robore prohibentibus. Interdum vero et in dolo simul aedificare iidem vicini promittebant sed admissi non sunt, utpote homines alienae fidei atque in multis comprobati inimici. At vero Zorobabel, dux filiorum Juda, et Nehemias sacerdos perstabant in opere donec eandem domum Dei ad consummationem perducerent. Et hoc aedificationis tempus per quadraginta et sex annos protelatum est nimirum adversariis jam dictis eidem operi obnitentibus. Unde Judaei obloquentes Domino: quadraginta, inquiunt, et sex annis aedificatum est templum hoc et Tu in tribus diebus excitabis illud?[1])

Quae utique tempora temporibus haeresium videntur mihi congruere, quando regio culmine ad fidem inclinato, legibus quoque malis ablatis, bonae leges pro ecclesia latae sunt. Tunc enim per Arium, Sabellium et Photinum aliosque quam plurimos haereses diversae contra ecclesiam pullularunt, qui ejus aedificationem impedientes tanto nocentiores hostes extiterant, quanto quasi e vicino habitantes in multis nobiscum erant. Quin et regum animos in suae perversitatis dogma trahentes contra ecclesiam concitabant. Unde Constantius, Constantini filius, multa Sanctis Dei mala intulit. Sed et Gothorum reges ariani multas et graves

[1]) Joan. 2. 20.

Sanctis Dei, maxime autem sacerdotibus, per totam Africam persecutiones intulerunt, quae omnia suis locis digesta inveniuntur, nos quoque prout opportunitas posceret[1]) memorabimus. At vero sancti Dei confessores et doctores Hilarius, Ambrosius, Augustinus aliique illustres viri pro fide catholica murum se opponentes tamdiu mendacio restiterunt donec damnatis haeresibus judicium eorum ad victoriam pervenit.

Cap. XV.

De actis Antiochi Epiphanis cui statui ecclesiae typice conveniant.

Tertio per Antiochum Epiphanen eadem domus Dei manufacta[2]) illato in eam statunculo[3]) Jovis contaminata est talisque abominatio desolationis in loco sancto per tres annos stetit, cum et civitas Jerusalem per sex annos vastata jaceret, quo tempore, ut liber Machabaeorum continet, pastophoria templi diruta et in atriis virgulta nata sunt, cum et impudicae mulieres sacris se aedibus ultro ingerebant introferentes quae fas non est et templum commessationibus plenum fuit hoc praecipiente tunc et tormentis exigente Antiocho, ut Judaei a patriis translati legibus ad ritum gentilium transirent, quatenus omnis populus esset populus unus. Cui impietati Judas restitit Machabaeus et fratres ejus et protegente eos Domino in manibus eorum opus prosperatum est, ita ut, cum essent pauci, de magnis regibus ac de multitudine hostium triumpharent sicque tandem civitatem et templum reciperent. Quo in tempore sacerdotium quoque venale apud regem factum est.[4]) Nam Jason proprium fratrem Oniam virum optimum datis ac promissis pecuniis cum subplantasset atque in captivitate[5]) detineret idem Jason a Menelao subplantatus est, superponente

---

[1]) cod. posset.

[2]) cod. manufacti.

[3]) statua parva, simulacrum.

[4]) conf. Pez thes. anecd. tom. V. col. 857.

[5]) cod. captivitatem.

sibi argenti talenta trecenta. Sed cum pecunias promissas solvere neglexisset et ipse sacerdotio deturbatur succedente sibi Lysimacho fratre. Rursum Menelaus sacerdotium reambiens aurea quaedam vasa, quae furatus fuerat in templo, dedit Andronico. Pro qua re dum argueretur ab Onia dedit consilium Andronico, quatenus Oniam interficeret, sicque factum est, et Menelaus per fraudulentiam simul et violentiam in potestate permansit. Et haec tertia templo illi manufacto tribulatio fuit. Cui rei mihi simile videtur illud malum quod item tertio loco (post ea quae praedicta sunt) in ecclesia et contra ecclesiam Dei actitari machinante diabolo coepit.

Cap. XVI.

De statu ecclesiae temporibus Heinrici IV. quomodo temporibus et actis Antiochi congruat.

Postquam enim per sanctos et illustres viros devictis haeresibus ecclesia victoriam et pacem obtinuit, cum interim quoque divitiis et honoribus regalibus eadem ecclesia per reges et principes aucta simul et cumulata est, ambitiosorum pervicacia quasi intestino bello eam vastare coepit. Siquidem et reges a temporibus Caroli Magni ex concessione quorundam Romanorum Pontificum videlicet Leonis III. et Adriani II. ecclesiasticarum sibi dignitatum investituras vindicabant[1]) et persaepe in ecclesia Dei non quos volebat sed quos volebant [2]) in episcopalium sedium apicem exaltabant et quos volebant humiliabant. Quorum tamen regum nonnulli circa hujus cladis principia modestius se in his atque temperantius agebant nimirum electionibus ecclesiasticis in concedendis honoribus deferendo, ipsasque dignitates non ad gratiam seu pecuniae pretium, quin potius ad morum et scientiae praero-

[1]) Hic notat Gretserus. „Gerhohus Adrianum II. et Leonem III. nominat. Alii Adrianum I. et Leonem VIII. pseudopapam. Ex quo apparet commenti vanitas.“ Gret. Op. tom. VI. p. 249. vide de hac re eundem Gretser tom. VI. p. 106, 180, 366 et Raumer Geschichte der Hohenstaufen. Leipzig 1823. B. I. S. 260. Baronius tom. 9. ad. a. 774.

[2]) Sic. codex.

gativam largiendo. At vero ubi ad reges ventum est, qui ignorabant Joseph, ecclesia, quae erat domina, facta est ancilla et sicut quando tribus Dan coepit sibi quaerere possessionem, cum jam non esset rex in Israel sed unusquisque quod bonum sibi videbatur hoc faciebat, cum jam in ecclesia Dei vel in domo Michae coepit esse idolum et sacerdos conductitius non electio cleri, non consensus honoratorum, non petitio populi in ordinandis episcopis quaerebatur, non sanctitati vitae, non scientiae illustriori delatum est sed quicumque volebat implebat manum suam et factus est sacerdos non jam Domini sed mammonae ac principis hujus mundi dicentis: haec omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.[1]) Quid enim erat nisi diaboli principis hujus mundi in maligno positi adoratio, principum in quibus superbiae et avaritiae spiritus habitabat ad hoc clientelae deservire, ut quisquis illis familiarius deserviens dignitatis ecclesiasticae alicujus apicem citius consequi potuisset; cum taliter aliunde videlicet ascendentes non ad aliud nisi ut essent haeretici promoverentur? Nam et ipsi talium ordinatores dicti episcopi cum essent indubitati simoniaci jam olim in suo auctore a magno Simone Petro aliisque successoribus ejus legitimis praedamnati, nihil praeter damnationem quam habuerunt suis ordinatis conferre potuerunt; ipsique talium ordinati per eorum manus impositionem vulneratum ab eis caput reportaverunt.

Quid sponsam Christi, sanctam ecclesiam non periculi vel mali sub talibus pronubis et sodalibus sponsi passam arbitremur, irruentibus nimirum ad eam passim et, ut dictum est, aliunde ascendentibus quibuslibet vel pecuniosis jam ad omne vitium exercitatis vel a descendentibus nobilibus ad omne vitium cereis, ad quos monendos vel arguendos quilibet accessisset velut a spinis et tribulis convulsus et dilaceratus abiisset. Tales namque ad sponsae Domini castitatem nemine prohibente libere irruerunt non ut fratri defuncto semen suscitarent sed ut suae vesaniae coecas cupiditates explerent. Quis ad ejusmodi arguendos prosiliret quos et imperialis tuebatur auctoritas, divitiarum quoque facultas et amicorum vel cognatorum potentia, clientum officiositas et multi-

[1]) Math. 4. 9.

tudo similium defendebat? Unde a capite, imperatore videlicet, non bene sano et a pontificibus leprae [1]) hujus contagio maculatis per totum fere cleri corpus pestis se diffuderat. Nam dum episcopus episcopatum marcarum quot centenariis coemisset, quam non ipse sibi subjectam dignitatem ad resarciendum damnum suum venderet? Sic ergo ab eo abbates, praepositi, archipresbyteri, archidiacones ac presbyteri constituti quid non et ipsi ecclesiasticarum administrationum usque ad sepulturae locum et officium venale haberent, quatenus et ipsi vel divitias cumularent vel saltem marsupia exinanita replerent? Parum vero dixi vel ad gratiam vel ad pecuniae aut obsequii exhibitionem honores ecclesiasticos laica manu fuisse adolescentibus collatos, quin insuper ad impietatis et miseriarum augmentum hi facilius eosdem consequebantur honores, qui obstinatissimi in flagitiis extitissent et hoc maxime Hainrico IV. imperium tenente,[2]) qui et ipse omnes usque ad sua tempora reges vel augustos immo, ut credi potest, omnes homines in flagitiis praeibat. Nam secundum quod dictum est Johanni in sua apocalypsi divini concessione judicii, qui nocet noceat adhuc et qui in sordibus est sordescat adhuc, [3]) ego cum hujus hominis sordes mente aversa recolo, quas publicus abhorret auditus, id quod dictum est, sordescat adhuc i. e. ultra vel amplius, ego in hoc homine finaliter completum exstimem, cui in sordibus parem, ne dicam superiorem, inveniri posse non putaverim. Nam si mihi recolas Jovem adulterum, si Neronem spurcum simul et facinorosum, si Maximinum et ipsum simul crudelem et flagitiosum: ego adhuc isti in flagitiis palmam dederim, qui et aequalis eis aut etiam superior in flagitiis esse potuit et in augmentum sceleris eadem flagitia sub titulo christianitatis peregit. Nam si inimicus meus, ait propheta in persona Domini, maledixisset mihi v. gr. Judaeus vel paganus, sustinuissem utique, tu vero homo christiane unanimis dux meus et notus meus[4])

---

[1]) conf. de quarta vigilia noctis nro., 5. seqq.

[2]) Stephan Halberstadt apud Grets. tom. VI. 16. a. 546. c. Dodechin a. 1090.

[3]) apoc. 22. 11.

[4]) Ps. 54. 13.

subauditur mala mihi inferendo non eris sustinendus. Erat in ejus contubernio impudicorum grex ex clericis et laicis illustrioris prosapiae congregatus. Erat ei item adunata juvencularum et matronarum tanta multitudo quantam nec sine querela regiae domus mansio vel profectio sustinere potuisset, quarum tamen pleraeque a propriis viris abstractae invitae et captivae ad opus nefarium ducebantur.[1]) Per horum commixtionem praeter cottidianas spurcitias diabolo vespere et mane et meridie sacrificatas cum Beelphegor Deo suo solemnius sacrificare voluisset, in propria eos caminata[2]) in unum coire faciebat, ipse medius eorum in sacris nefandis consistens ubi et luminibus, ut dicitur, extinctis quantum valuit arte procuravit, ut frater cum sorore vel quilibet proximi sanguinis, qui se in tenebris dignoscere non poterant, convenirent. Dumque omnibus viris moris ac pene naturale sit proprias zelare[3]) conjuges ne cum alienis conveniant, ipse econtra suam, quae ei fuerat forma et nobilitate ac morum honestate decenter dicam an indecenter sociata, cum ei ex nutu vel significatione daemonum id placuisset, in publico illo impudicorum conventu more scenico prostituit, unde aliquando contigit, ut illa suae illusionis tempus praesciens pariter et locum implorato civitatis, in qua res agebatur, episcopi Dei zelum habentis auxilio, armata manu exemplo Phinees sacerdotis de medio impudicorum eriperetur, ubi, ut fertur, nexibus quoque ad opus nefarium aptata inventa est.[4])

Cap. XVII.
Abominationes maximae.

Et quia de abominatione desolationis in loco sancto statuta[5]) loquimur abominandi non erimus, si adhuc loquamur abominati-

---

[1]) Bruno de bello Saxon. apud. Grets. tom. VI. 93. d. vide eadem verba in Chronico Reichersberg. ad annum 1067.

[2]) Das altdeutsche „Kemenate.“

[3]) cod. scelare.

[4]) Helmoldus lib. I. Chron. Slav. cap. 28 Grets. 19. g. Steph. Halb. apud Grets. VI. 546. b.

[5]) cod. statura.

ones majores his. Nox erat sacrosancta natalis Domini, in qua solemnes agere, ut notum est, vigilias interpositis quoque Missarum solemniis universa Christi consuevit ecclesia. In hac ei solemnes agere diabolo vigilias christianis vigiliis omnino contrarias ex daemonum haud dubie suasu complacuit, in quibus et sacrificium christiano sacrificio penitus contrarium loco Missae inseruit. Aderat ibi impudicorum grex ex clericis et laicis adunatus singulis, ut fertur, psalmis et lectionibus scorta interserens. Ubi vero ad Missae et sacrificii locum ventum est, omnia inverse et perverse ac sanctitati contraria gerebantur, ita ut pro osculis sacerdos profanus et ministri sacrilegi altare posteriore corporis parte nudata contingerent. Quae ibi spurcae delibationes oblatae sint parco dicere, ne dicentem lector una cum sacrificio detestetur. Omnia tamen feruntur spermate humano fuisse foedata. Vidi ego ipse episcopalem illam capellam in civitate Ratisbona pro tali sacrificio merito profanatam. Et quid de hoc omnium flagitiosorum praeposito existimem, nisi Beelphegor per ipsum esse consummatum, quem legitur quoniam [1]) filii Israel in deserto cum filiabus Madian sunt initiati. Nam quamvis omnia haec et plura his, quantum fieri poterat, abscondite agebantur per eas tamen matronas, quae invitae et captivae adhibebantur sacris nefariis perque uxoris propriae publicas tandem quaerimonias detecta sunt. Etenim post unius uxoris obitum ex qua et liberos adhuc circa principia regni sui, ut fertur, honestior honeste susceperat,[2]) quam Dominus a facie hujus iniquitatis gementem et dolentem misericorditer abstulit, aliam regis Rutheni filiam, nomine Gisilam, matrimonio hujus mysterii iniquitatis ignaram accepit. Quae ubi impietatis cultum primo in aliis tandemque in semetipsa per impudicos admissos experta est, post muliebris verecundiae aliquandiu servata silentia, quando jam patientiam matronalem vicit magnitudo scelerum primo fidelibus Christi episcopis et sacerdotibus rem pandit fugaeque ac separationis occulte oportunitatem quaeritat. Instabat inter haec regia profectio de cisalpinis [3]) partibus in Longo-

---

[1]) sic. codex.

[2]) Vide haec verba in Chronic. Reichersberg ad a. 1067.

[3]) cod. cisalpis.

bardiam destinata quo et reginae commeatus ab imperatore quaerebatur; dumque illa pro causis quidem secretioribus, obtensa vero praegnantis, ut erat, infirmitate laborem viae detrectaret, episcopi vero reginae, ut erat regi placitum, profectionem suaderent illa inter cetera dixisse perhibetur, justo se moerore contabescere viamque merito detrectare, quae a proprio marito ita prostituta sit, ut scire non possit, ex quo prolem conceperit. Profecta tamen est atque in ipsa via quorundam Deum timentium auxilio fugam arripuit. Dumque ubi poterat delitesceret missis ad episcopos Germaniae litteris causas fugae ac separationis publica manifestat quaerimonia sicque iniquitatis mysterium, quod prius dicebatur in tenebris, coepit in luce et publico dici, quantum tamen publicus auditus poterat admittere. Regina vero in proprio et mariti videlicet dimissi regno latendi securitatem non inveniens primo ad ungaricum regnum, ubi quosdam parentes habebat, fuga devenit. Dumque et inde eam imperator missis nuntiis retrahere destinasset in Ruteniam ad patrium videlicet regnum repedavit, ubi reliquum vitae tempus in sancta viduitate peregit. Rex vero et ipse in suae obscoenitatis et impietatis nequitia perseveravit venditans episcopatus et quibuslibet turpibus nonnumquam ob ipsius turpitudinis pretium ecclesiasticos largiens honores, ita ut in stratis quoque lectulorum inter scorta et inter ipsos turpitudinum socios ac socias lasciviens dicatur cuidam episcopatus investituram per annulum[1]) ut erat turpis turpissimo schemate non dicendo porrexisse. Quam rem vel similem ejus quidam scholastice tunc temporis subsannans irrisit hoc modo:

Abbatissarum reginarumque subactor.
Propter adulterium sumsit episcopium.
Mundi Roma caput si non ulciscitur illud.
Quae caput orbis erat cauda sit et pereat.[2])

---

[1]) cod. anulum!

[2]) In margine codicis hic scribitur: 1534 J a m v i d e r e s.

Cap. XVIII.

De civitate Gabaa et uxore Israelitae constuprata adaptatio ad illius temporis statum.

Eo in tempore miserrimus erat status et facies ecclesiae, ita ut non facile occurrat cui loco scripturarum decenter possit assimilari. Venit tamen in mentem de uxore Israelitae temporibus iudicum a viris civitatis Gabaa usque ad mortem tota nocte illusa.[1] Quam vir suus mane in limine domus protensis manibus mortuam inveniens ac domum asino impositam revehens in duodecim frusta concidit sicque missis partibus in duodecim tribus Israel omnes ad miserationem et vindictae zelum commovit. Pro qua re etiam ab universis in unum congregatis acriter semel ac secundo cum multa suorum strage pro justitia contra viros urbis Gabaa ex praecepto Domini dimicatum est, tandemque tertio congressu obtenta victoria et ita universi viri civitatis Gabaa cum fratribus suis benjaminae tribus viris deleti sunt quorum et civitates everterunt mulieribus simul et parvulis extinctis, ita ut ad reparandam tribum reliquiae vix repertae sint.

Quae enim est haec mulier dimisso patre Israelitae sociata nisi sancta ecclesia relicto patre diabolo vel mundo Christo in conjugium copulata? Quae totiens viro deserto ad patrem regreditur quotiens ecclesia refrigescente in se charitate Christi huic mundo vel principi ejus diabolo infidelitatis vel pravae conversationis contubernio sociatur sed eam vir suus Christo totiens revocat quotiens per ora pastorum et doctorum suique spiritus infusione dilectionis suae in ea calorem resuscitat, tale quid blande dicens ei: A u d i f i l i a e t v i d e e t i n c l i n a a u r e m t u a m e t o b l i v i s c e r e p o p u l u m t u u m e t d o m u m p a t r i s t u i e t c o n c u p i s c e t r e x d e c o r e m t u u m.[2] Sed dum in hac vita inter superbos ac pestilentes homines ecclesia graditur eorundem superborum ac pestilentium tamquam virorum civitatis Gabaa,

---

[1] Iudic. 19. et 20.

[2] Ps. 44. 11.

quod interpretatur sublimis perversae doctrinae vel morum pravitate corrumpitur. Quod cum multotiens ecclesia ab iniquis et pravis hominibus passa sit, numquam, ut mihi videtur, foedius corruptioni subjacuit quam modo, cum simoniacorum caterva laxatis habenis ad ejus castitatem suas cupiditates expletura irrupit. Denique sicut de naviculis evangelicis scribitur, quoniam impletae sunt, ita ut [1]) mergerentur, [2]) non quod mersae sint sed quod ad mersionem usque periclitatae: ita et de ecclesia dicere possumus quod ejusmodi corruptoribus tota ei nocte, hora videlicet tenebrarum, illudentibus mortua i. e. morti proxima effecta est. Immo vero et in pluribus ecclesiis vitalis sacramentorum calor, ex quo vitam habere poterant, penitus extinctus est, quomodo et ignis altaris Domini, qui per tot annos captivitatis babylonicae servatus fuerat, Jasone ac Menelao ementibus sacerdotium fuisse perhibetur extinctus.

XIX.

De Gregorio VII. et ejus optimo zelo.

Nunc vir mulieris hujus Christus per suum vicarium, Petri successorem, Gregorium VII. tunc Romae Urbis episcopum quid gesserit qualemve pro uxoris adulteratae morte zelum ostenderit tacendum non arbitror. Dignum est enim, temporis illius luctuosam tragoediam certamenque ecclesiae contra pravorum pervicaciam in notitiam extendi futurorum. Enim vero jam dictus Papa Gregorius VII. septiformis Spiritus gratia donatus post multas et fortes commonitiones jam dicto imperatori ejusque consiliariis per nuntios ac litteras directas [mandavit] [3]), quatenus vitae propriae enormes excessus corrigeret, praecipue vero ut ab honoribus ecclesiasticis, quos venditabat, cuiquam conferendis penitus abstineret, quippe quod ejus officii non esset, cum regum non sit ecclesiasticas sed

---

[1]) In codice deest ut.

[2]) Luc. 5. 7.

[3]) deest. in codice.

laicas tantum[1]) dispensare dignitates, ad episcopalem vero apicem vitae meritis et electione cleri praecedente per episcopalis manus impositionem veniendum sicut praedecessor quoque ejus Papa Nicolaus strenue coeperat ecclesias et ecclesiastica officia eorumque ordinationes sacerdotibus et ecclesiasticis personis vendicare. Post multas igitur, inquam, fortes admonitiones gravesque correptiones, post fomenta blandae instructionis et exhortationis adhibita cum nihil his omnibus profecisset ferro tandem praecisionis usus est tradens ejusmodi [2]) sathanae in interitum carnis ut spiritus salvus fieret in die[3]) Domini. Itaque dicente Domino: Non veni pacem mittere sed gladium[4]) misit et ipse velut alter Machabaeus gladium, quo etsi non corrigeret saltem perturbaret iniquos, ne forte gladio verbi Dei parcens tacendo consensisse videretur et libere grassaretur iniquitas. Quam vero non praeceps aut levis, immo vero modestus in danda in eum excommunicationis sententia [5]) idem Gregorius Papa VII, extiterit ipsius testatur apologetica epistola episcopis ac principibus aliisque fidelibus in regno teutonico constitutis directa, quam etiam huic opusculo nostro non superfluum duximus inserere. Contextus ita se habet:[6])

Gregorius, Episcopus servus servorum Dei.

„Omnibus Episcopis, Ducibus, Comitibus ceterisque fidelibus in „regno Teutonicorum christianam fidem defendentibus salutem et apostolicam benedictionem.

„Audivimus quondam inter vos de excommunicatione, quam „in regem fecimus, dubitare ac quaerere, utrum juste excommuni„catus sit et si nostra sententia ex auctoritate legalis censurae, ea [7])

---

[1]) cod. tamen. Vide etiam haec verba in Chron. Reichersberg. ad a. 1080.

[2]) I. Cor. 5.

[3]) cod. diem.

[4]) Math. 10. 34.

[5]) Exstat hoc anathema apud Gretserum tom. VI. p. 146.

[6]) vide etiam Gretseri oper. tom. IV. p. 147 Jaffé, Regesta Ponfic. 422. (3748).

[7]) in cod. deest. ea.

„qua debuit deliberatione egressa sit. Quapropter qualiter ad ex„communicandum illum adducti sumus prout verius potuimus teste „conscientia nostra oculis et intellectibus omnium patefacere cu„ravimus, non tam, ut singulas causas, quae heu nimium notae „sunt, quasi nostro clamore projiciamus in publicum, quam ut „eorum opinionibus satisfaciamus, qui putant nos spiritualem gla„dium temere et magis motu animi nostri quam divino metu et „justitiae zelo arripuisse. Cum adhuc in diaconatus officio positi „essemus perlata ad nos de regis actionibus sinistra et multum „inhonesta fama propter imperialem dignitatem et reverentiam patris „et matris ejus nec non propter spem et desiderium correctionis „suae saepe eum per litteras et nuntios admonuimus, ut a pravi„tate sua desisteret et memor clarissimi generis ac dignitatis suae „vitam suam moribus, quibus regem et futurum, Deo donante, „deceret imperium destitueret.[1]) Postquam autem ad pontificatus „apicem indigni venimus et illius aetas cresceret et iniquitas, in„telligentes Deum omnipotentem tanto districtius de manu nostra „animam illius requisiturum, quanto nobis ad increpandum illum „prae cunctis libertas data fuisset et auctoritas multo sollicitius „eum modis omnibus arguendo, obsecrando, increpando ad emen„dationem vitae suae hortati sumus. Qui cum saepe nobis devotas „salutationes [2]) et litteras mitteret excusans se, tum ex aetate, quod „fluxa esset et fragilis tum quod ab his in quorum manibus curia „erat multotiens sibi male suasum [3]) monita nostra de die in diem „se promptissime suscepturum verbis quidem promiserat, ceterum „re et exaggeratione culparum penitus conculcavit. Inter haec quos„dam [4]) familiares suos, quorum consiliis et machinationibus epis„copatus et multa monasteria, inductis per pretium lupis pro „pastoribus, simoniaca haeresi foedaverat ad poenitentiam voca„vimus, quatenus et bona ecclesiarum, quae per interventum tam „scelerati commercii sacrilega manu susceperant venerabilibus locis „ad quae pertinerent dum adhuc locus esset emendandi redderent

---

[1]) Gretserus pag. 147. imperatorum instituerет.

[2]) cod. salutem.

[3]) Grets. suasum et consultum sit.

[4]) cod. quorundam.

„et ipsi de perpetrata iniquitate per lamenta poenitudinis Deo satis-„facerent. Quos cum ad haec [1]) exequenda datas inducias spernere „et in consueta nequitia pertinaciter stare cognovimus, sicut dignum „erat sacrilegos et ministros ac membra diaboli a communione et „corpore totius ecclesiae separavimus et regem, ut eos a domo sua, „a consiliis et omni communione sicut excommunicatos expelleret „admonuimus.[2])

„Verum quanti ipse aut scripta aut per legatos missa nostra „verba fecerit ejus facta declarant. Qui indigne ferens se a quo-„quam reprehendi aut corripi, non solum a perpetratis ad emen-„dationem revocari non potuit sed ampliori conscientiae suae furore „arreptus non prius cessavit donec omnes pene episcopos in Italia, „in teutonicis vero partibus quotquot potuit circa fidem Christi „naufragare coëgit, dum eos debitam beato Petro et apostolicae „sedi obedientiam et honorem a Domino nostro Jesu Christo con-„cessum abnegare subegit. Cum igitur iniquitatem ejus ad sum-„mum prodiisse vidimus pro his causis videlicet primum, quod „ab eorum communione, qui pro sacrilegio et reatu simoniacae „haeresis excommunicati sunt, se abstinere noluit; deinde, quod „criminosis actibus vitae suae poenitentiam non dico suscipere sed „nec promittere quidem voluit, mentita ea (fide [3]), quam in manus „legatorum nostrorum promiserat, nec non quod Corpus Christi „i. e. unitatem sanctae ecclesiae scindere non expavit: pro his, in-„quam, culpis synodali judicio eum excommunicavimus, ut quem „mites non potuimus, vel severi ad viam salutis, Deo adjuvante, re-„vocare valeamus. Aut si, quod absit, nec districtionis quidem cen-„suram pertimuerit, nostra saltem anima negligentiae aut timoris „discrimini non succumbat. [4]) — Si quis igitur hanc sententiam „injustam vel irrationabiliter prolatam esse putaverit, si talis est „ut sacris regulis intelligentiae sensum praebere velit, nobiscum „inde agat et non [5]) quod nos sed quid divina auctoritas doceat,

[1]) cod. adhuc.

[2]) Hic Gerhohus plura praetermisit. vide Grets. p. 147. 148.

[3]) deest in nostro codice.

[4]) cod. succumbant.

[5]) deest non in codice.

„quid decernat quid consona sanctorum patrum voce judicet [1]) „patienter acquiescat. Nos tamen non aestimamus quemquam fide- „lium, qui ecclesiastica statuta noverit, hoc errore teneri, ut non „hoc, etsi publice affirmare non audeat, vel in corde suo recte „factum esse perhibeat. Quamquam etsi nos, quod Deus avertat, „non satis gravi de causa aut minus ordinate eum hujusmodi vin- „culo ligaverimus, sicut sancti patres asserunt, non idcirco sper- „nenda esset sententia sed absolutio communi humilitate quaerenda. „Vos autem dilectissimi, qui justitiam Dei nunc pro regia indigna- „tione, nunc pro aliquo periculo deserere voluistis, fatuitatem eorum, „qui de execratione et mendacio annuntiabuntur in consummatione „parvipendentes, viriliter state et confortamini in Domino, scientes „quod illius partem defenditis qui insuperabilis rex et semper „magnificus triumphator judicaturus est vivos et mortuos reddens „unicuique secundum opus suum. De cujus multimoda retributione „et vos certi esse poteritis si usque in finem fideles et inconcussi „in ejus veritate perstiteritis. Propter quod et nos incessanter „rogamus Deum pro vobis, ut det vobis virtutem corroborari per „Spiritum sanctum in nomine ejus et convertat cor regis ad poeni- „tentiam, ut et ipse aliquando cognoscat nos et vos multo verius „amare eum quam qui nunc suis iniquitatibus obsequuntur et favent. „Qui si Deo inspirante voluerit resipiscere quidquid contra nos „moliebatur semper tamen nos ad recipiendum eum in sanctam „communionem, prout vestra nobis charitas consuluerit, paratos „inveniet.“

Ita modeste simul et strenue Gregorius VII officio suo contra Hainrici quarti pravitatem usus est, quemadmodum epistola ejus apologetica praescripta docet. Quemadmodum vero de Pharaone scriptum est [2]): quoniam induratum est cor ejus et alia scriptura dicit de Leviathan: cor ejus induratur quasi lapis et stringitur quasi malleatoris incus et quia non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundae [3]): ita et ille fortis Phaeacus, ut corriperetur

---

[1]) cod. videlicet.

[2]) Exod. 4. 21. 8. 19.

[3]) Job 41. 15.

a Domino, verbi Dei gladium plagamque suam, qua plagatus est, in nihilum reputans non solum ad poenitentiam contristatus non est sed ab unitate corporis praecisus foris quasi aliam fabricare ecclesiam molitus est.[1])

Cap. XX.
Wigwertus superponitur Gregorio.

Unde quasi Papam alium Wigbertum quendam Gregorio superponens eumque Clementem nominans idolum potius erexisse quam Papam ordinasse aestimandus est. Nam qui post unum secundus esse voluerit jam non secundus sed nullus erit. Hoc ergo simulacro non papa in civitate brixina, ubi idem jam non dicendus rex sed tyrannus natale fecerat, erecto ad urbem Romam tendit indeque proturbato Gregorio summo Pontifice hunc suum non papam sed simulacrum in sede beati Petri collocavit. Gregorius vero exulans in regnum devenit Franciae indeque litteris directis fideles, quos novit ecclesiae, contra iniquitatem roborat• commonens ne communicando schismati catholicae pacis unitatem ac sanctitatem commacularent. Hainricus vero, jam non rex sed tyrannus, episcopos aliosque fideles ecclesiae suae parti non communicantes de propriis sedibus proturbat eisque alios non episcopos sed schismaticos et haereticos superponit, vixque in regno suo episcopatus inveniebatur in quo dualitatis hujus scissura non esset. Hinc jam caedes hinc membrorum in laicis et clericis truncationes et oculorum effosiones, hinc publicae civium contra cives congressiones aliis pro pastoribus legitimis, aliis vero contra pastores dimicantibus.

Ex eo tempore a multis fidelibus ac prudentibus impletum atque impleri coeptum creditur, quod in apocalypsi Joannis sic prophetatum est: Cum consummati fuerint mille anni solvetur Satanas de carcere suo et exibit et seducet gentes multas, quae sunt super quatuor angulos terrae

---

[1]) Haec ceteraque sequentia verba usque „pastores dimicantibus vide in Chron. Reichersberg. ad. a. 1080.

Gog et Magog etc.[1]) Usque ad illum namque tempus per angelum magni consilii idem satanas sicut ibidem in praecedentibus dicitur in abysso nimirum cordium iniquorum ac profundae suae malitiae catena magna ligatus fuerat et clausum erat atque signatum super eum per annos mille, ut non seduceret amplius gentes donec consummarentur mille anni.[2]) Nam post haec, ut ait eadem scriptura, oportet eum solvi modico tempore. At eo tempore, quo diabolus per jam dictum et adhuc dicendum regem Hainricum quasi solutus immo vere solutus tyrannizare coepit, jam mille anni a dominica passione transierant qua diabolus, ut jam dictum est, in carcerem missus fuerat et signatum super eum est. Ex eo namque dualitas illa coepit papatus et discordia inter sacerdotium et regnum, quae profecto profecerunt ad solutionem satanae. Quamdiu enim sacerdotium per unitatis bonum et religionis cultum in suo vigore stabat lucens et ardens, regnum quoque quamdiu, cooperante sibi sacerdotio, in bono viguit timori existens non boni operis sed mali, duobus his luminaribus satanas et ministri ejus mali homines tamquam bestiae ex praesentia Dei intra sua latibula tenebantur inclusi. Ex quo vero duo haec luminaria contra invicem turbata sunt et in religionis cultu tepuerunt, ex quo quasi papa contra papam stetit, hoc solvere tentans quod ille ligaret et e converso, ex quo per simoniae malum et incontinentiae pravitatem lino fumiganti sacerdotium simile factum est, siquidem et ipsum existens in pluribus timori non mali operis sed boni, dum episcopus quicumque rarus volens clerum suum corrigere timore Romanae, quam dicunt, curiae non auderet, quippe apud quam etiam iniqui suffragium per pecuniam invenirent, ex eo solutus est satanas, siquidem facta est nox in qua pertransierunt omnes bestiae silvae, catuli leonum rugientes ut rapiant et quaerant a Deo escam sibi[3]), quodam nimirum colore pietatis causam suam fucantes ut id, quod nequiter et bestialiter agunt, Deo auctore agere videantur, hoc est ut quaerant a Deo escam sibi.

---

1) apoc. 20. 7.

2) apoc. 20. 3.

3) Ps. 103. 20. 21.

Auxit [1]) vero et hoc noctis illius tenebras, quod in illa tempestate Gregorius papa VII Romanis pecuniae multae sponsor factus est, quatenus ei defensionis auxilium ferrent [2]) contra regis Hainrici quarti tyrannidem. Qua semel promissione illecti et promissa accepta pecunia etiam cessante necessitate, pro qua eadem pecunia promissa est, numquam ab accipiendo cessare voluerunt, quin semper ab eo, qui papa esset institutus, eandem quantitatem pecuniae exposcerent exactores importuni. Cujus necessitatis occasione auri et argenti sacra fames adeo eidem curiae aucta est, ut a toto orbe tantum nequeat inferri, quantum illi exhaurire parati sunt. [3]) Et hae mihi videntur maximae esse causae, quibus solutus satanas, dum principes sive ecclesiastici sive saeculares timori esse coeperunt non mali operis sed boni et honores ecclesiastici flagitiosis deferri ac venales haberi et illa diutina et implacabilis dissensio sacerdotii et regni, per quam et sacerdotium una cum ecclesia scissum est, quamvis ecclesia nisi una et sacerdotium nisi unum esse non possit. Sed faciat Dominus juxta promissum suum ut solutio illa satanae modico duret tempore, oportet enim, inquit, eum solvi modico tempore. [4]) Nisi enim breviati fuerint dies illi non fieret salva omnis caro, sed propter electos, ait, breviabuntur dies illi. [5]) Satis sit jam per septuaginta fere annos ecclesiam Christi in illius temporis tenebris laborasse, quibus solutus est satanas, in quibus et pertranseunt omnes bestiae silvae, catuli leonum rugientes ut rapiant et quaerant a Deo escam sibi. Oriatur nunc sol sicut consequenter scriptum est et congregentur hae bestiae atque in cubilibus suis collocentur. [6]) Et exeat homo ad opus suum et ad operationem suam usque

---

[1]) Haec verba usque: Et hae mihi vid. maximae omisit Gretserus. Allegat tamen quaedam eorum nempe „auxit-tyrannidem“ pag. 243. contra Aventinum.

[2]) cod. ferret.

[3]) conf. de quarta vigilia noctis nro. 11. et 15.

[4]) apoc. 20. 3.

[5]) Math. 24. 22.

[6]) Ps. 103. 21—24.

ad vesperam dicatque: Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti etc. Nunc unde digressi sumus redeamus idque quod reliquum est tyrannidis Hainrici adnotemus.

Cap. XXI.

De Heinrici IV. ab imperii dejectione et Rudolphi atque Heremani substitutione simul et occisione.

Videntes[1]) namque fideles Hainricum sub nomine regis contra ecclesiam Christi tyrannidem agere idque malum augeri in dies usi papae Gregorii consilio in unum conveniunt et unum ex principibus, Rudolphum nomine, regem constituunt Hainrici tyrannidi obviare cupientes, interposito sane firmissimo pacto ne umquam sibi idem Rudolphus in ecclesiasticis dignitatibus ordinandis ullam potestatem vendicaret. Quo [2]) comperto Heinricus non jam rex sed tyrannus copiis instructis contra eundem Rudolphum regem bello se parat, cui et Rudolphus rex occurrit in manu valida, Saxonum maxime fretus auxiliis, commissaque pugna prope fluvium Unstruth in loco, qui Welfesholz dicitur, ubi hinc inde multorum facta strage contigit, quo Deus novit judicio, illum in bello ruere, qui pro ecclesia Christi atque justitia bellum inierat.

At Rudolfo occiso non multo post tempore fideles ecclesiae alium ex principibus, Heremannum nomine, in regem eligunt, qui et ipse non unius integri anni spatio regno potitus ab fautoribus Heinrici per insidias occisus est, ut similitudo quoque certaminis quam supra de muliere constuprata intulimus in ecclesiae certamine non deesset. Sicut enim illic adversarii aequitatis bis superiores effecti sunt, ita ut in hoc certamine duobus regibus in defensione justitiae occisis bis adversarii victoria potiti sunt. Si vero et mulieris in frusta concissae in praesenti causa similitudo quaeritur hoc

---

[1]) vide haec verba in Chron. Reichersb. ad a. 1077.

[2]) Haec verba in Chron. Reichersb. sub anno 1078 notantur. Aliam pugnam juxta Welfesholz vide Chron. Reichersb. ad. a. 1114. (rectius 11. Febr. 1115).

fuerit legitimo viro Christo vel ejus vicario, verbi causa Gregorio VII mulierem ex bono zelo in frusta concidisse, conscissam per schismaticos et dilaceratam ecclesiam demonstrasse, quatenus fidelium animos ad vindictam tanti sceleris per conscissionis demonstrationem provocaret. Eo sane locutionis genere dici potest mulierem conscindere hoc esse conscissam demonstrare quo et Dominus ad Abraham loquens, nunc, inquit, cognovi, hoc est cognitum feci, quod timeas Dominum.[1] Qui videlicet locutionis modus efficiens pro effecto vel e converso ponens apud Grammaticos metonomia dici solet.

Cap. XXII.

Victor papa Gregorio, Victori Urbanus succedit.

Interim sane dum haec circa Rudolfum et Hermannum reges geruntur decedente in exilio Gregorio VII. substituitur Victor; Victori quoque Urbanus succedit, adhuc urbe Roma Wigberto, quem Clementem dixerant, Petri sedem occupante. Hic videlicet Urbanus sicut in dignitate ita quoque in virtute Gregorii VII. immo et ipsius Petri legitimum se successorem exhibuit. Hujus in tempore Franci per ejus exhortationem provocati civitatem Hierosolymam, locum videlicet sepulchri Domini, de manu paganorum virtute potenti, angelorum quoque visibili ministerio adjuti, eripiunt, sicut proprius inde contextus libellus edocet. In qua etiam civitate [2]) per Clerum eodem commigrantem vitae communis ea formula refloruit, quae primitus per apostolos ibidem coepta dignoscitur, judicantibus eis nimirum justissime non aliam se illi civitatem debere normam vivendi inducere, quam quae primae institutionis apostolicae fundamentis congrueret. Haec siquidem plantatio legitimi germinis in civitate illa sancta resuscitata pal-

---

[1]) Gen. 22. 12.

[2]) Vide sequentia verba (usque complacitam agnovissent) etiam in Chron. Reichersberg. ad annum 1098, sed ibi pro Jerosolyma-Antiochia legitur,

mites suos inde jam late extendit, bonorum cordium glebis id facile ac libenter recipientibus, quod primitus ab ipsa dextera Domini in propriae coloniae agello plantatum sit. Persecutio quoque huic bono cooperata est. Nam dum a civitatibus meliores clerici, eo quod excommunicato principi ejusque fautoribus et communicatoribus suam subtraherent communionem, pellerentur, in silvis et suburbanis agellis cohabitantes ubi eos, quibus Deus inspiravit, fideles ac potentes quidam tutati sunt, ea coeperunt conversationis norma degere, quam Christo, pro quo et persecutionem sustinebant, maxime complacitam agnovissent. Sicque in clero et in monachatu apostolicae institutionis vita, quae primo in desertis ac silvosis locis reviruit paulatim etiam antiqua et suburbana coenobia revisit ejectis inde malis colonis vel in melius commutatis, sicut scriptum est: pinguescent speciosa deserti et exultatione colles accingentur.[1]) Alia quoque scriptura dicit: Et vineam suam locabit aliis agricolis.[2])

Eodem [3]) quoque tempore canones antiqui de continentia ministrorum sacri alteris innovari novis accedentibus praeceptis coeperunt; alioquin incontinenter viventium, simoniacorum quoque et conductitiorum missas audire populo indubitanter scienti prohibitum est, tribus his Romanis Pontificibus Nicolao, Gregorio atque isto, de quo loquimur, Urbano eadem successim quasi ex uno ore contestantibus atque praecipientibus, quatenus in ore duorum vel trium testium staret verbum.

XXIII.

Rudpertus Papam liberat.

Et Urbano [4]) quidem contigit, ut in manus adversariorum fraudulenter adductus in una turrium urbis Romae aliquamdiu

---

[1]) Ps. 64. 13.

[2]) Math. 21. 41.

[3]) vide etiam Chron. Reichersberg. ad annum 1098.

[4]) cod. Urbanus. vide idem Chron. Reichersb. ad a. 1091, ubi haec ipsa habentur verba.

captivus teneretur, sed inde eum divina clementia eripuit per manum Rudperti, cognomento Wischardi, magna regione urbis incendio conflagrata turrique interim expugnata dum populus ad incendia festinans illic occupatus teneretur. Itaque Domino cooperante liberatus in Franciam rediit ibique confidenter agens, quae apostolici [1]) erant officii in Heinricum excommunicationis sententiam renovat, litteris et legationibus fideles ad standum et agendum pro ecclesia confortat. Ipsos namque Francigenas [2]) inter se pro terris et terrenis litigantes ad pacem revocat suadens eis et urbano inter eos ore perorans, ut si eis otium displiceret ac terra propria angusta videretur ad terras orientis contenderent ibique pro receptione sanctae civitatis ac sepulchri Domini de manu gentilium ereptione satagerent, ubi eis aut gloriose cum [3]) Domino triumphare contingeret aut gloriosius esset mori pro Christo felicesque [4]) fore, qui aut Christo vincerent aut pro Christo morerentur.[5]) Et verbum ejus ad victoriam pervenit, Domino cooperante et sermonem effectui mancipante sequentibus signis et adjuvantibus virtutibus angelicis atque, ut supra dictum est, visibiliter praesentiam suam exhibentibus.

In Urbe vero Wigbertus, quem Clementem dicebant, satis agebat pro sectae suae pariter ac Heinricianae tyrannidis principatu exhibens nimirum se ipsum veram abominationis desolationem, de qua nobis nunc sermo est, stantem in loco sancto, in sede videlicet beati Petri simulacrum Pontificis residens abominandum. Super qua re quidam quasi dialogi specie scholastice lusit verbis amborum alternantibus hoc modo:

Diceris Urbanus, cum sis projectus ab Urbe
Vel muta nomen vel regrediaris in Urbem.
Item:
Nomen habes Clemens, sed clemens non potes esse
Cum tibi solvendi sit tradita nulla potestas.

---

[1]) cod. apostolice.

[2]) cod. francienas.

[3]) deest cum in codice; Gretser: domino dante.

[4]) cod. filicesque.

[5]) Haec verba etiam vide in Chron. Reichersb. ad. a. 1092.

Cap. XXIV.

Hainricus levatur in regem contra patrem.

Interea [1]) quam plurimis ex principibus aliisque viris virtutis sententiam excommunicationis formidantibus et cum ecclesia et pro ecclesia sentientibus Urbani quoque papae hortatu accedente complacuit, quatenus Heinricum, filium Heinrici, levarent in regem; sperantes, se per filium legitime regnantem posse patris tyrannidi resistere, quod et factum est. Levato sane filio in regem et in civitatem Ratisbonam tendenti pater cum multitudine armatorum, duce Boemico et marchione superioris Pannoniae ipsi auxilium ferentibus, occurrit sed pugnae congressus fluvio, qui Regin dicitur, interceptus est. Dum vero mora interponitur principes jam dicti quibusdam sponsionibus acceptis de parte patris ad filium concedunt, atque ex tunc pater Heinricus fugabatur, inpingebatur minuebatur, ita ut principum penitus distitutus auxilio filio tandem preces atque supplicationes porrigeret quatenus ei private vivendi securitas concederetur; factumque est, [2]) ut in celebri quoque curia coronam imperialem resignaret petens ab excommunicatione, qua tenebatur, absolvi et ecclesiasticae communioni restitui. Sed petitionis effectum consecutus non est, timentibus nimirum et caventibus catholicis ne forte absolutus aliqua ecclesiae vel imperio contraria moliretur. Unde et absque communione servatur in quodam castro in tantum abominabilis effectus, ut reliquias ciborum ejus, pro communione videlicet ecclesiae conservanda, etiam garziones ac minimi pueri non contingerent sed canibus ipso vidente projicerent. Testatur haec epistola ab eo ad principes missa de ipsa qua tenebatur custodia, in qua et hoc inter cetera lamentando conqueritur: quod „in sancta natalis dominici nocte omnibus Christianis ad ecclesias festinantibus et sacra mysteria participantibus Christus, qui omnibus ad salutem est natus, sibi

---

[1]) vide Chronic. Reichersberg. ad a. 1104.

[2]) Abhinc in Chronic. Reichersb. sub anno 1105.

soli sit negatus." Justo equidem Dei judicio; nam qui multos episcopos et sacerdotes propriis sedibus expulerat juste et ipso regno privatus est, qui et alios injuste in vincula conjecerat vinctus et custodiae mancipatus est, et qui sacra mysteria sacratissima natalis dominici nocte polluerat justissime et ipse eorundem mysteriorum indignus et expers habitus est. Et poenitentia illius qualis extiterit Dominus viderit; absque communione vero ecclesiae vitam finivit.[1])

Cap. XXV.

De Heinrico V. et ejus tyrannide.

Filius itaque confirmatus in regno, primo modeste agere, affabilem se exhibere, jura ecclesiasticae libertati conservari [2]) coepit. At simulata pro affectato regno et imperio pietas velut auri superinducta species ubi paululum usu dominandi detrita est coepit apparere qualis apud se intus fuerit. Qualem vero se in causis saeculi exhibuerit dicere nihil nostra interest, sed in causis ecclesiae qualis detectus sit perstringere non ab re arbitramur, si forte abominationem desolationis in loco sancto stantem, de qua nobis inquisitio est, etiam in ejus actibus invenire valeamus

Cap. XXVI.

Wicbertus abjicitur. Heinricus V. sacerdotalia sibi usurpat.

Interim [3]) dum inter duos Henricos patrem et filium haec, quae dicta sunt, geruntur deturbato et abjecto ex consensu Heinrici junioris Wicberto, qui Clemens dicebatur, Urbanus papa ad Urbem rediit; quo et ipso diem obeunte Paschalis succedit opti-

---

[1]) 7. August 1106.

[2]) deest in cod. nostro „coepit." At in Chron. Reich. ubi haec ipsa verba exstant, legitur.

[3]) Interim-rediit cf. Chron. Reich. ad a. 1104.

mus et ipse legis Dei ac paternarum traditionum seu libertatis ecclesiasticae aemulator existens. At vero et Henricus rex per abrupta paternae callis ingrediens regno et imperio suo maximum detrimentum reputabat, si episcopatuum investituras liberas, sicut in sua sublimatione promiserat, permisisset, omnem videlicet gloriam regni sui velut alter Aman nihili reputans nisi Mardochaeus, ordo scilicet sacerdotalis, curam agens ecclesiae sponsae regalis ei pro adipiscendis honoribus ecclesiasticis flecteret genu. Coepit[1]) igitur et ipse obeuntibus episcopis electiones legitimas in substituendis aliis vel praevenire vel factas nihili pendere, episcopatus ad gratiam personarum, ad pecuniae quoque vel obsequii acceptionem conferre. Dumque ad eum Paschalis papa paterna monita dirigeret,[2]) quibus eum ad viam revocabat quatenus justitia regni sui contentus, pontificalia sibi non usurparet ecclesiae Dei, matri videlicet suae, honorem deferret libertatem ejus, quam in eligendis sacerdotibus habere deberet, non temeraret, bona verba et quae rationabilia videri poterant reddidit[3]) nisi sub lingua ejus labor et dolor latuissent. Dixit namque et scripsit ad electionis episcopalis concedendam libertatem, ad investituras etiam resignandas, ad decimas quoque remittendas ecclesiis paratum se esse, si quidem Domnus Apostolicus omnia regalia, videlicet ducatus, marchias, comitatus, hominia cum beneficiis, monetas, teloneas, munitiones per universum regnum suum imperio reddere voluisset. Haec sane promittens sciebat non consensum iri ab episcopis praecipue Germaniae et Galliae atque Saxoniae multas regales divitias et honores ex antiqua regum et imperatorum donatione possidentibus sed per promissa speciem quandam pietatis habentia ad perceptionem imperialis coronae per benedictionem Romani Pontificis sibi imponendae nitebatur. Dominus Papa quoque his promissionibus acceptis rescripsit ei qualia postulaverat de impositione videlicet imperialis coronae et restitutione[4]) omnium regalium, si quidem rex

---

[1]) Chron. Reichersb. ad a. 1106.

[2]) vide Chron. Reichorsb. ad a. 1109 a. „paterna monita-ignorantibus.

[3]) cod. reddit.

[4]) cod. restitutionem.

promissa sua de ecclesiae libertate compleret. Et haec paucis arbitris inter regem et Romanum pontificem gerebantur, nimirum episcopis, solo cancellario imperatoris excepto, aliisque ecclesiae et imperii principibus promissa hinc inde facta penitus ignorantibus. Igitur talibus hinc inde promissis datis et acceptis rex cum multo episcoporum[1]) aliorumque principum comitatu ad Urbem tendit, quam etiam veniens ingreditur praestitis ante juramentis ac data fide de pace Romano Pontifici atque Urbi integre conservanda.

Cap. XXVII.

Paschalis Papa a rege Heinrico captivatur.

Jamque ventum erat in medium ecclesiae beati Petri, ubi de justitiis hinc inde conservandis ac tenore concordiae inter sacerdotium et regnum tractare convenit. Cum sellis hinc inde prolatis consessum est circumstante confertim corona armatorum. Proferuntur in medium litterae de parte imperatoris ad Romanum Pontificem directae et quaesitum per cancellarium Domni Papae a Domno imperatore ejusque cancellario an eas suas et a se missas recognoscerent. Cumque responsum fuisset ab eis etiam eaedem in palam litterae lectae sunt, promissa Domni regis ad Domnum Papam continentes. Similiter et ex parte domni regis litteris, quae a domno papa directae fuerant, in medium prolatis quaesitum et responsum est itemque litterae in publico recitatae, quae domni papae ad domnum regem promissa continebant. Dumque promissa eatenus inaudita episcoporum aures percellerent cognoscentes se et ecclesias suas, occasione[2]) imperialis coronae regis capiti imponendae, spoliandos antiquis possessionibus, quasi ex uno ore contradicebant, aientes, se regi coronam imperialem tanto suarum ecclesiarum detrimento emere nolle. Cumque et armati circumstantes eos minis et terroribus perurgerent, quasi jam interficiendos nisi consensissent[3]) Chunradus Juvavensis archiepiscopus etiam caput

[1]) Hujus abhinc sequentisque capitis verba vide Chron. Reichersb. ad a. 1111.

[2]) cod. occasionem.

[3]) cod. consensisset.

potius [1]) amputandum porrexit, quam ut ad ea, quae petebantur, consensum praeberet.[2]) Et dum clamor hinc inde confusus aliquamdiu percrebruisset rex cum indignatione et motu animi surgens abire coepit. Sed et domnus papa ex praecepto militum cum rege et post regem abire compulsus est. Hinc praeda grassatur, hinc caedes civium romanorum pro pastore suo, quem liberare cupiebant, morientium; captivi quoque domni Cardinales trahuntur aliusque clerus intra ambitum ecclesiae b. Petri inventus. Omnia siquidem ostia ecclesiae observata fuerant ne quis libere effugere potuisset. Episcopi videntes quae fiebant gemere ac facinus detestari, sacrilegium clamitare. Multa vero et inenarrabili caede in cives perpetrata rex abiit [3]) et domnus papa Paschalis cum eo sed cinctus ab alio et ductus quo nolebat. Erat videre miseria. Cardinales aliique clerici tenere educati funibus trahebantur ab equitibus, quos illi, ut poterant, sequebantur per plateas luto profundo ac tenaci vix emergentes. Dumque pedites equitibus coambulare non possent hastis transversis eorum dorsum et latera pungentes ad currendum cogebant, ita ut aliqui inter manus trahentium vitam exhalarent. Qui vero supervixissent hos per nocturna tempora vel saccis inclusos vel catenis aut aliis vinculis, ne fuga laberentur, astrictos servabant, donec forte eis [4]) pecunias quas vel per se vel amicos [5]) habere poterant extorsissent. Nec mirum hoc de vivis, siquidem et cadavera victis civibus mortua pro captivis redimendis pleraque etiam pro pecuniae pretio venditaverunt. Et papa quidem ducebatur ac servabatur in custodia, honorabant vero eum nihilominus episcopi aliique timentes Deum. Ea sane intentione a rege ducebatur captivus, quatenus captivitatis fune benedictionem ei imperialem extorqueret sicque una cum benedictione vel investituras episcopatuum obtineret vel regalia omnia ad imperium retraheret. Non dimittam te, inquiens, nisi taliter benedixeris mihi [6]);

---

[1]) cod. totius.

[2]) Cf. Chron. Admont. ad a. 1106. Pez Script. rer. austriac tom. II. p. 183.

[3]) cod. abit.

[4]) cod. eis per pecunias.

[5]) cod. amicas.

[6]) cf. Raumer Gesch. der Hohenstaufen I. 267 ff.

sed multum dissimilis ab illo, qui haec prior dicebat. Nam ille humilitate, fletu ac precibus ab angelo,[1]) benedictionem obtinuit sicut de eo scriptum est, quoniam in fortitudine sua directus est cum angelo, invaluit ad angelum flevit et rogavit eum; iste vero captivitate, minis ac terroribus multisque sacrilegiis coronae imperialis benedictionem dicam an maledictionem qualiter desiderabat extorsit. Et ille quidem Patriarcha, videlicet Jacob, ab angelo benedictus marcido femoris nervo uno claudicabat pede, major videlicet in spiritualibus, in quibus per benedictionem excreverat, ac minor in temporalibus existens, quod proprium est claudicantis ut uno pede fortior, altero infirmior incedat. Iste vero jam imperatoria benedictione percepta aequalem potestatem sibi in spiritualibus et temporalibus vendicabat. Nam spretis electionibus is apud eum dignior ceteris episcopatus honore habitus est, qui ei vel familiarior extitisset vel plus obsequii aut pecuniae obtulisset. Et obtinuerat quidem in ipsis tentoriis privilegium de retrahendis omnibus regalibus ad imperium, quale voluit ab ipso, quem mirantibus saeculis et indignantibus secum ducebat, papa, quasi suum [2]) captivum, ipso nimirum domno papa optime callido ac sciente privilegium, quod in tentoriis a captivo daretur, nullas vires habiturum. Pro qua re universi pene Franciae episcopi consilium inierant quatenus excommunicarent ipsum papam Paschalem, tamquam ecclesiae hostem et destructorem nisi privilegium idem ipse qui dedit damnavisset. Quod et factum est. Nam idem Paschalis concilio residens [3]) adstipulantibus ei episcoporum multitudine cum domnis cardinalibus idem privilegium, immo verius dicendum pravilegium [4]), quod ei captivitate fuerat extortum, damnavit omnibus regibus eodem privilegio ad dehonestandam vel apporiandam ecclesiam abutentibus maledictionem pro benedictione inducens.

---

[1]) gen. 32.

[2]) cod. suem.

[3]) vide etiam „de aedificio Dei cap. 49. Pez thes. anec. II. 2. p. 411. annot. b. de ordine don. Spir. 3. nro. 17.

[4]) Baronius ad a. 1111. §. 8. Harduin tom. VI. p. II. p. 1899. seq. Bullarium Roman. edit Taurin 1838 tom. II. p. 262.

Cap. XXVIII.

Paschali Gelasius succedit, cui Burdinus a rege superponitur.

Non multo post tempore Paschali papa viam universae carnis ingresso Gelasius in pontificatu succedit, optimus et ipse legis Dei ac libertatis ecclesiasticae aemulator, cujus post ordinationem die XL. Heinricus imperator Urbem ingressus bestiam quandam nomine Purdinum superintrusit, Gelasio papa ab Urbe deturbato.[1]) Iterum videre erat abominationem desolationis stantem in loco sancto filiumque perditionis in templo Dei, quod est ecclesia, sedentem seque super omne, quod dicitur Deus aut quod colitur, extollentem[2]) Gelasio papa exulante et Burdino sedem b. Petri, immo vero et Christi sedem, occupante. De quo ejusque similibus jure dixerim, quod super omne quod dicitur Deus aut quod colitur se extulerit, siquidem non solum veris Christi sacerdotibus de quibus a Domino dicitur, ego dixi dii estis et filii excelsi omnes[3]) sed et Christo praeter quem alius non est Deus se qui ejusmodi sunt praeferre nituntur, dum ipso spreto et abjecto, qui verus ecclesiae sponsus est, ejus locum adulterino ausu pervadunt.

XXIX.

Contentio inter regnum et sacerdotium.

Et Burdinus quidem sedem b. Petri occupans satisagebat pro iniquitatis complendo mysterio, Gelasius vero exulans[4]) quasi pater filium regem Heinricum ad correctionem invitat, quatenus videlicet ecclesiae in electionibus episcoporum suam libertatem dimitteret, et statuam, quam in sancto loco contra Deum erexerat,

---

[1]) Praecedentia verba v. Chron. Reichersb. ad a. 1115.

[2]) II. Thess. 2. 4.

[3]) Ps. 81. 6.

[4]) Sequentia verba vide Chron. Reichersb. ad a. 1115.

deponere festinaret. Econtra vero imperator obsistebat dicens: aut velle se omnia regalia ad imperium detrahere aut in episcopis constituendis consuetudinem antiquam retinere. Quod si placeret ecclesiae libera episcopos eligendi facultas imperio, quae sua sunt, redderent et sic libera electione potirentur. Episcopi sane ex regalibus divites contra nitebantur dicentes, episcoporum electiones secundum regulas canonum omnino liberas esse debere, non esse autem aequum ecclesias regales divitias aut honores perdere, quae illis a regum liberalitate fuissent libere collatae, immo vero par esse ajebant, ut, quia sancti Dei martyres a regibus paganis non solum tormenta sed et contumelias sustinuerint, nunc pro contumelia perpessa gloria et honore a regibus sublimentur. Atque hujus rei, tam videlicet gloriae quam contumeliae, typum praecessisse aiunt in Joseph, qui de carcere regis Aegypti, quem inique perpessus est, in currum Pharaonis secundum sublimatus regio insuper annulo decoratus sit; idque esse quod in Canticis canticorum sponsae a sponso dicitur: Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.[1]) Nec vero, inquiunt, non idcirco non est amica et dilecta Christo ecclesia, quod in curribus Pharaonis equitatui Christi in Joseph typice sublimati assimilata sit, sicut idem Joseph non idcirco dilectus Deo et hominibus Patriarcha esse desiit, quod in curru Pharaonis consederit, siquidem eum currus Pharaonis non obtrivit vel extinxit, ajunt, sed exaltavit. Sic ergo, inquiunt, et papa urbis Romae Silvester non idcirco Deo et hominibus dilectus pontifex esse desiit, quod eum Constantinus Augustus regali equo et sellae impositum regalibus quibusdam insuper insignibus decoravit, cui ad honoris cumulum etiam ipse Constantinus tenens frenum per civitatem stratoris officium exhibuit. Unde usque hodie amborum, pii videlicet principis Constantini itemque b. Silvestri Romani Pontificis, memoria in benedictione est et futuris semper debet esse temporibus. Adjiciunt quoque et dicunt: Hoc de ecclesia sentiendum est, quod et in Christo Jesu. Nam sicut in Christo Jesu distincta inveniuntur tempora passionis et gloriae: passionis videlicet praeteritae cum accepto aceto dicit: consummatum est: gloriae vero incipientis apud homines ex quo resurgens a

[1]) Cant. 1. 8.

mortuis constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum,[1]) unde et ipse resurgens a mortuis ait: data est mihi omnes potestas in coelo et in terra[2]) et Psalmista de ipso utrumque uno versu complectens: minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus[3]): ita et in ecclesia distincta inveniuntur passionis et gloriae tempora. Nam tempora passionis ei extiterunt quae et persecutionis, quando per imperatorum gentilium edicta crudelia sanguis martyrum effusus est usque ad tempora pii principis Constantini, cum videlicet ecclesia gloriosa fuit apud Deum tantum et non apud homines, ex tunc vero etiam ipsa gloria et honore ac divitiis regalibus aucta coepit esse gloriosa non solum apud Deum sed etiam apud homines, inclinatis nimirum ad eam regibus ac regnorum culminibus et sanctorum confessionis pro ignominia priore in aedificiis et praediorum donationibus magnifice glorificantibus, inter quae etiam regales ei quidam honores collati sunt, ut ipsi sicut praemisimus dici conveniat a sponso suo Christo, quod equitatui ejus in curribus Pharaonis assimilata sit amica ejus.

Cujus rei typus, ajunt, in tribus quoque pueris et quarto socio eorum, Daniele, praecessit. Illi namque fornace Babyloniae superata incliti postmodum apud regem habiti et magistratus honore in provincia Babyloniae functi sunt; Daniel quoque post regalium solutionem somniorum, post scripturae etiam in pariete aulae regalis contra candelabrum scriptae lectionem simul et interpretationem et ipse torque aureo coronari et tertius in regno Balthasar haberi meruit, sicut in regno quoque Nabuchodonosor inclytus extiterat, ut in illis tribus videlicet pueris martyrum laborem et subsequentem gloriam, in Daniele vero sanctorum confessorum atque doctorum vigilantiam et ligatorum solvendi peritiam itemque subsequentem gloriam temporalem simul et aeternam typice praefulsisse manifestum sit. Horum etiam trium i. e. mar-

1) act. 10. 42.
2) Math. 28. 18.
3) Ps. 8. 6. 7.

tyrum atque confessionis vel secretorum solvendi peritiae ac secuturae pro utroque apud Deum et homines gloriae in uno Joseph typus manifestus praefulsit. Nam in typo martyrii innocens carcerem sustinuit, in typo confessionis vel doctrinae somnia regis dissolvit, in typum gloriae secuturae etiam ipse gloriosus et post regem Pharaonem secundus in regno ejus habitus est. Igitur, ajunt, sicut in praemissis veteris instrumenti praefulsit imaginibus indecens videri non debet, immo vero dignum et justum sanctam ecclesiam pro consolatione laboris ignominiarumque praeteritarum non solum sumptibus adjuvari necessariis sed regalibus quoque insuper honoribus atque divitiis honorumque insignibus decorari.

Haec etsi tunc temporis omnia forte ab episcopis aliisque ex clero in defensionem ecclesiasticae sublimitatis dicta [1]) non sunt, tamen secundum scripturae sanctae auctoritatem dici potuerunt. At vero, qui pro parte erant regis sufficere ajebant ecclesiis debere decimas et oblationes liberas i. e. nullo regali vel imperiali servitio obnoxias. Eas vero, quae sic ecclesiis ab imperatoribus collatae sint, ut regibus ab episcopis easdem possidentibus famulatus debeatur, opportere aut imperio restitui aut ab eorum possessoribus episcopis consueta hominia ac servitia regibus exhiberi maxime praecipiente hoc Domino ac dicente: reddite quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo.[2]) Dum vero et apostolus Paulus in quo Christus loquebatur dicat: nemo[3]) militans Deo implicat se negotiis saecularibus ut ei placeat cui se probavit[4]) satis, inquiunt, apparet sacerdotes regibus se per hominia obligantes Deo pro sui officii gradu sufficienter placere non posse, unde ut ei placeant, cui se probaverunt, militiam et cetera, pro quibus hominia regibus debentur regno libera relinquant, et ipsi vacent orationibus ovibusque Christi pascendis invigilent ad quod instituti sunt, dicente Domino ad Petrum: Pasce agnos meos, ac tertio pasce oves meas.[5])

---

[1]) dicta deest in codice.
[2]) Math. 22. 21.
[3]) II. Thim. 2. 4.
[4]) cod. reprobavit.
[5]) Joan. 21. 15. 17.

Unde et ipse Petrus pro sui officii ministerio legitime sollicitus, non est, ait, aequum relinquere nos verbum Dei et ministrare mensis.[1] Item ipse in ordinatione Clementis: Non vult te, inquit, Christus ordinare causarum judicem saecularium aut litium forensium cognitorem fieri etc. Quod si ajunt: non est aequum, sacerdotem Domini relicto verbo Dei ministrare mensis aut litium saecularium fieri cognitorem, quanto minus aequum est ejusmodi relicto verbo Dei ductare militiam, castris interesse regalibus, aggerem comportare subvertendis urbibus, struere per quae et homicidia frequenter fiunt, quae si pro parte regum imperantium interdum juste gerantur, sacerdotem Dei talibus vel interesse fas non est, ne sancti violenter obtutus, nisi forte pro defensione patriae ab alienigenis ad cives cohortandos ejus praesentiam ad tempus necessitas expostulet, aut pro divinis rebus in castris regalibus agendis et consiliis salutaribus ministrandis sacerdotem Domini comeatum pergere necesse sit. — Dum igitur, inquiunt, haec divinissima Evangelii praecipiat auctoritas, ratio consentiat, necessitas, expostulet dimittantur Caesari, quae Caesaris sunt, ne talibus implicati episcopi reddere non possint Deo, quae Dei sunt. Nam valde, ajunt, sibi opposita vacare Deo et saeculo militare. Aut si episcopi, ajunt, retentis regalibus Deo simul et imperio militare satagunt seque ad utrumque posse sufficere arbitrantur, oportet, ajunt, imperatores in ipsis quoque episcopis ordinandis ac substituendis primum habere locum. Non enim, ajunt, imperio condecet, ut aliquis in principem regni nisi ab ipso imperatore ex consilio aliorum principum assumatur.

Haec et his similia, quae in illa contentione hinc inde ad alteriusutriusque partis confirmationem vel infirmationem dicta sunt vel dici potuerunt longum esset retexere vel quae nuntii medii tulerunt ac retulerunt. Gelasio namque papa Remis celebrante concilium, imperatore vero Heinrico Verduni manente per mediatores nuntios res agebatur. Hoc ad praesens negotium scire satis est, imperatorem tunc temporis obdurasse cor suum ne dimitteret ecclesiis electiones liberas, episcopos quoque faciem suam obfir-

---

[1] act. 6. 2.

masse ne imperio regalia remitteret. Magis vero, dicebant, quae semel sanctificata erant domino, a sanctorum ditione abalienari non posse, dicente quoque lege divina, quod si quis id, quod sanctificatum est domino, mutare voluerit, utrumque esse Domini scilicet id quod mutatum est et pro quo mutatum est. Pro ipsis sane regalibus imperio fatebantur consueta se debita recognoscere regique servire ad defensionem coronae suae paratos esse, quantum cum integritate et observatione sui officii possibile foret, sicque se Caesari reddituros esse, quae Caesaris sunt, et Deo, quae Dei sunt. Utrumnam vero per hominia et juramenta regibus obligari id saecularibus implicari sit negotiis, quod in apostoli Pauli verbis reprehensum in sacerdotibus est, ipsi Domini sacerdotes et episcopi viderint, de quorum factis judicare supra nos est. Possunt autem etiam sic implicati nonnumquam tempus ad vacandum orationibus et lectionibus pecuniis redimere, ut quamvis implicati, fere liberi sint. Utrum vero etiam talis implicatio et regalium possessio ac pro ipsis regalis servitii obligatio ejusdem servitii redditio vel redemptio ecclesiam Dei plus levet an gravet, Dominus viderit et tandem ecclesiae suae sanctae congruam libertatem provideat.

Cap. XXX.

De excommunicatione Heinrici V.

Interim Heinricus jam dictus imperator ecclesiae Dei electiones et investituras nolens dimittere magisque cor suum adversum salutaria monita indurans et bestiam, Burdinum dico, sedi b. Petri superintrusam defendens ac manutenens tamquam schismaticus et adversus Dominum rebellis ab ecclesia Dei per Gelasium Romanum Pontificem multorum in Remensi civitate commanentium episcoporum adstipulatione separatus est[1]) sicque ab utrisque discessum. At Heinricus tamquam bestia vulnerata saevior effectus, dum

---

[1]) Praecedentia verba vide Chron. Reichersb. ad. a. 1115. Hoc Callixto, Gelasii successore factum esse refert: Hesso tract. de tractatione Pacis inter Callixtum II. et Henric. V. deque Concilio Remensi. Gretser VI. p. 554. Raumer Gesch. d. Hohenst. Bd. I. S. 311.

recedentem ac civitates [1]) quasdam regni sui ingressum, clerus non solito favore ac laudibus exciperet, nonnullis videlicet ab ejus receptione se subtrahentibus, quasi in rebelles imperio vindictam exercet, domus eorum subverti praecipiens.

Non multo post Gelasio obeunte Callixtus succedit, cujus in tempore tandem ecclesia ad eligendos sibi episcopos libertate donata est, cui et investiturae per annulum et baculum, virgam videlicet pastoralem in episcoporum consecrationem faciendae recognitae sunt. Videns namque imperator ecclesiae graves manus super se ac metuens ne forte in iniquitate sua per coelos rationales, videlicet episcopos et sanctos Dei, revelata etiam terra, terreni scilicet principes, adversus eum consurgerent sicque etiam ipse, quemadmodum patri contigit, regno privaretur collecta curia in loco, qui lobwise dicitur, ubi et legati Romanae sedis aderant, electiones, ut praediximus, atque investituras liberas ecclesiae remisit, ita ut electus vel consecratus de manu imperatoris vel regis regalia per sceptrum acciperet, facto sibi hominio et fidelitate jurata et ita ablato Burdino de medio et in monasterium, quod Cavea [2]) dicitur, misso, imperatore quoque a vinculo anathematis absoluto pax ecclesiae Dei reddita est.[3])

Cap. XXXI.
De abominatione desolationis.

Nunc reducendum in memoriam ad quid haec de Heinrico quarto et quinto historico scribendi modo prosecuti simus. De abominatione quippe desolationis in loco sancto stante itemque filio perditionis in templo Dei sedente vel sessuro nobis inquisitio est. Sed nec aliud esse abominationem desolationis in loco sancto stantem, quam ipsum esse filium perditionis in templo Dei sedentem existimem. Superior autem nostri sermonis ordinatio sic processit,

---

[1]) cod. civitatis.

[2]) apud Salernum.

[3]) Item Chron. Reichersb. ad. a. 1119.

ut templo Dei manufacto, quod erat in Jerosolymis, nimirum in typum ecclesiae fabricatum et his, quae circa ipsum gesta sunt, nobis admotis pro speculo vel quasi auguriandi scypho ea, quae usque ad nostra tempora circa ecclesiam Dei gesta sunt, cum illis conferamus,[1]) si forsitan ex eorum ad invicem collatione nobis innotescat, ex quo tempore abominatio desolationis in templo Dei, quod est ecclesia, mysterialiter stare coeperit. Nempe opus Salomonis templum aedificantis typice Christi conferre operibus ecclesiam suam praedicatione, miraculis ad extremum passionis quoque propriae impendiis construentis satis usitatum est. Mortuus est enim Dominus Jesus redemptioni nostrae, resurrexit justificationi nostrae, ascendit consummationi nostrae, spiritum quoque sanctum remisit sanctificationi et confirmationi nostrae, qui templum sanctum ejus esse debemus et sumus. At rex Babylonis princeps confusionis diabolus templum hoc Dei sanctum, quod est ecclesia, quietum esse passus non est, concitans adversus illud Romanos imperatores velut alterius Babylonis principes, per quos idem templum sanctum evertere ac fidem labefactare molitus est. Romam quippe, ut supra quoque docuimus, Petrus tropice nomine Babylonis propter morum similitudinem denotat: Salutat, inquiens, vos ecclesia in Babylone collecta.[2]) Hanc enim epistolam scripsit tempore Claudii Caesaris Romae constitutus, Marco discipulo ejus secum illic commorante. Quanta vero inimicus in hoc sancto Dei templo, quod est ecclesia, evertendo simul et in illo manufacto per utriusque Babylonis principes malignatus est, ut supra quoque commemoravimus, nostra demonstratione non indiget; nam et libri regum templi manufacti eversionem continent et ecclesiae agones, martyrum gesta immanissimae crudelitatis plena testantur, quae auribus nostris cottidiana ingeruntur lectione. De utraque siquidem domo, de illa videlicet manufacta et de ista, quae est ecclesia Dei, recte illa conquestio intelligitur, quam ecclesiae voces depromunt psallendo dicentis: Deus venerunt gentes in haereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum,

---

[1]) cod. conferimus.

[2]) I. Petri 5. 13.

posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilium coeli carnes sanctorum tuorum bestiis terrae. Effuderunt sanguinem ipsorum tamquam aquam in circuitu ejus et non erat qui sepeliret etc.[1])

Cap. XXXII.

Collatio persecutionis christianae fidei per reges gentiles ad fornacem babylonicam.

Itaque tempora persecutionis per romanos principes ecclesiae illatae temporibus eversionis templi per Babylonios principes factae rectissime respondent. Illic enim, sicut supra quoque monstrare coeperamus, statuam auream adorare tormentis cogebantur; hic ad simulacra gentium argentea et aurea adoranda innumeris tormentorum compellebantur generibus. Illic una fornax contemtoribus regalis praecepti parabatur; hic totus mundus ad neces sanctorum inflammatus, quasi una fornax martyribus erat. Illic tres pueri unius regis, hic Trinitatis cultores, multa videlicet millia martyrum, injusta regum imperia spreverunt. Illic per tres pueros et quartum Danielem bestiale cor regis Nabuchodonosor tantum humanitatis induit, ut verum Deum ejusque filium confessus sit dicens: Vere Deus vester Deus deorum est et dominus regum revelans mysteria, quia tu potuisti aperire sacramentum hoc.[2]) Item. Ecce ego video viros solutos quatuor et nihil corruptionis in eis est et species quarti similis filio dei.[3]) Et in subsequentibus: Benedictus, ait, Deus eorum Sidrach, Misach et Abdenago, qui misit angelum suum et eruit servos suos, quia crediderunt in eo et verbum regis immutaverunt et tradiderunt corpora sua ne servirent et ne adorarent

[1]) Ps. 78. 1. ss.
[2]) Dan. 2. 47.
[3]) Dan. 3. 92. ss.

omnem deum excepto Deo suo. A me ergo propositum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus et lingua, quae locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach et Abdenago dispereat et domus ejus vastetur. Et consequenter scriptura annectit dicens: Tunc rex Nabuchodonosor promovit Sidrach, Misach et Abdenago in provinciam Babylonis. Nabuchodonosor rex omnibus populis, gentibus et linguis quae habitant terram in universa terra: Pax vobis multiplicetur. Signa et mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi praedicare signa ejus, quia magna sunt, et mirabilia ejus, quia fortia et regnum ejus regnum sempiternum et potestas ejus in generationem et generationem. Sic, ut diximus, tres pueri cum socio ipsorum Daniele cor regis bestiale in humanum permutatum ad cognitionem et confessionem adduxerunt unius et solius veri Dei. Similiter et sanctorum Martyrum quasi trium puerorum ex uno ore sanctam Trinitatem confitentium perseverantia ad hoc profecit, ut bestia illa terribilis secundum visionem Danielis dentes ferreos habens comedens et comminuens ac reliqua pedibus suis conculcans, romanum videlicet imperium, bestiale ac terribile humana[1]) se mente induerit et Dominum majestatis agnoscens vera se illi humilitate subdiderit.

Cap. XXXIII.

Cessatio persecutionis per Romanos principes et reges babylonicos itemque meliora decreta hinc inde statuta conferuntur.

Quod vero decreto statuit, ut si quis loqueretur blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach et Abdenago disperiret et domus ejus vastaretur, typus extitit per jam dictos Romanos imperatores meliora prioribus pro ecclesia Dei decreta esse statuenda. Sed hujus rei in subsequentibus regnis et regibus typus clarior efful-

[1]) cod. humanae.

sit, nimirum Cyro et Dario atque Artaxerxe Persarum et Medorum regibus captivitatem relaxantibus et vasa domus Dei restituentibus domusque ipsa ut reaedificaretur concedentibus, in ejus aedificationem sumptus praebentibus. Hoc enim praeclarae illius rei typus extitit, quae postmodum in Romano imperio per pium principem Constantinum completa est, quando ipso videlicet jam dicto principe fidem accedente malae per eum leges ablatae ac meliores pro ecclesiae catholicae pace ac provectione constitutae sunt, sicut scriptum est: Tollite portas principes vestras et elevamini portae aeternales et introibit rex gloriae.[1]) Principum namquae portae auferendae malae ipsorum leges fuerunt contra ecclesiam aliquando etiam in aereis tabulis propositae. Portae vero aeternales bonae pro ecclesia leges extiterunt, quae tunc elevatae sunt, quando, sicut jam dictum est, pius princeps Constantinus nec non et alii post eum imperatores optimas pro ecclesia Dei leges statuerunt. In tantum namque jam dictus princeps ecclesiae Dei paci, provectioni ac sublimationi intendit, ut sicut scriptum est de rege Ninive quod audita verbi Dei praedicatione per prophetam Jonam surrexerit de solio suo et indutus sit sacco: ita et iste princeps Constantinus, cujus memoria in benedictione est, prioris ignorantiae poenitudinem gerens locum solii sui urbem videlicet Romam principi Apostolorum ejusque successoribus Romanis Pontificibus concesserit ac intra palatium lateranense, quod erat omnibus palatiis sublimius, ecclesiam in honore Salvatoris Domini nostri Jesu Christi consecrari fecerit, ipse sibi sedem imperii in partibus orientis optimo videlicet terrae solo Byzantium consecrans, nimirum aequum esse non arbitrans, ut principatum sacerdotii in vicario Petri sedemque imperialem unius civitatis ambitus concluderet. Et ita veritas novorum cum typo antiquitatis congruit, ut concessiones piae per Constantinum principem ecclesiis Dei factae concessionibus de reaedificatione templi per Cyrum, Artaxerxen et Darium factis concinnanter respondeant.

---

[1]) Ps. 23. 9.

Cap. XXXIV.

Impedimentum reaedificationis templi et haereticorum molimina conferuntur.

Sane quod captivitate per Cyrum relaxata vasisque sanctis de Babylonia in Jerusalem revectis, fundamentis quoque templi jactis opus impeditum est per principes, qui erant trans flumen in regionibus Samariae, quorum nomina sunt haec: Reum, Beel, Theeman et Samsai scriba et ceteri consiliarii eorum, qui etiam epistolam accusationis miserunt adversus Judaeos ad regem Artaxerxen primo, deinde quoque ad Darium; quod per hos, inquam, opus impeditum est usque ad secundum annum Darii regis Persarum et Medorum hoc in haereticorum typum diabolus contra domum Dei manufactam molitus est, sicut turrim quoque illam in campo Dura in positionem domus Dei et in typum futurarum haeresium prior ipse aedificare tentavit per homines, qui ab oriente i. e. ab unius veri Dei cognitione et dilectione moti sunt; sicut decem quoque tribus per vitulos aureos a domo Dei scidit, non solum illi domui Dei manufactae invidens sed et futurae contra ecclesiam scissioni haereticorum intendens. Et hominum quidem jam dictorum opus impedientium molimen ad hoc valuit, quatenus ad suggestionem eorum rex Artaxerxes praeciperet ne sinerent idem opus fieri donec forte super hoc regis praeceptum aliud jubentis agnoscerent; cujus impedimenti tempus simul cum eo quo aedificatum est computantes Judaei quadraginta, inquiunt, et sex annis aedificatum est templum hoc et tu in tribus diebus excitabis illud [1]), cum Dominus, cui haec dicebant struentes calumniam, non de templo illo manufacto, sed de templo corporis sui dixisset. Solvite, inquiens, templum hoc et post triduum excitabo illud. [2])

Sanaballath quoque Oronites et Tobias Ammonites et Gosen Arabs reaedificantibus domum eandem Domini fortiter restiterunt,

---

[1]) Joan. 2. 20.
[2]) Joan. 2. 19.

qui et adduxerunt contra eos Ammonites et Arabas atque Azotios prohibentes eos in manu et robore aliquando vero et pacem simulantes in dolo eis coaedificandi adjutorium obtulerunt, sed admissi non sunt, utpote homines dolosi atque fidei alienae. Quid autem horum vel apertae inimicitiae vel fraudulenta societas rectius intelligitur, quam haereticorum contra ecclesiam nunc manifesta crudelitas nunc dolosa concordia! In multis enim, inquit, erant mecum.[1]) Sed homo, ait, pacis meae in quo sperabam et qui edebat panes meos ampliavit adversum me supplantationem.[2]) Quis non novit Manichaeorum Circumcelliones, qui nimirum cellas circueundo dolum sanctis Dei moliebantur, quibus et neces innumeras manibus usi crudelibus quasi zelantes zelum Dei inferebant? Quis Arianorum ignoret pervicaciam, nunc eandem nobiscum fidem fuco verborum simulantium, nunc apertas contra Christum blasphemias evomentium, insuper vero et reges suae pravitatis dogmata infectos contra ecclesiam concitantium, per quos et aperta saevitia ecclesiis Catholicorum clausis episcopos eorum exiliis detruserunt, ipsi suae sectae episcopos civitatibus subrogantes magis vero simulacra quaedam episcoporum fabricantes? Quae nimirum cuncta maximum non solum impedimentum[3]) sed et detrimentum domui Dei, quae est ecclesia, extiterunt reaedificandae. Nam primum, sicut praedictum est, eadem domus per Christum verum Salomonem aedificata est, per reges vero ac principes persecutores quasi Babylonios destructa, deinde regum[4]) concessione per filios transmigrationis reaedificata est, quibus jam dicti viri in haereticorum typum aedificantibus restiterunt. Nec incongrue typum eis haereticorum assignem. In regionibus namquae Samariae habitantes libros etiam legis Dei habebant de quibus scrutabantur similitudines simulacrorum suorum. Dumque victimas immolarent Domino etiam simulacris suis sacrificabant. Quid horum conversationis haereticis similius, qui cum libros nobiscum veteris pariter ac novi testamenti reciperent

[1]) Ps. 54. 19.

[2]) Ps. 40. 10.

[3]) codex: nim. maximum cuncta n. s.

[4]) cod. regnum.

dumque in unius Dei professione nobiscum essent, tamen aureolam haeresium suarum, mendacia monstruosa, non deserebant? Quarum haeresium vel catalogum proponere, nedum contra singulas disputare hujus opusculi non requirit intentio, nec admittit brevitas sed id nosse satis sit, malitiam hominum opus reaedificationis impedientium pensatis omnibus, quae circa templi fabricam vel statum gesta sunt, maxime typum praetulisse haereticorum, qui et ipsi ecclesiae Dei post persecutorum tyrannidem quasi post babylonicam captivitatem reaedificandae maximum extiterunt impedimentum.

Cap. XXXV.

De Aman hoste Judaeorum in quo typum haereticorum teneat.

Sed et illud ad figuram haereticorum nonnihil facit, quod in eodem regno Medorum per Aman hostem Judaeorum contra eandem gentem diabolus machinatus est regem circumveniens Assuerum, quatenus et Mardochaeum cruci affigeret et tota gens Judaeorum una die perimeretur. Sed interventu reginae Esther dolus et dolor ejus in caput ipsius conversus est et in verticem ipsius iniquitas ejus descendit. Nam in patibulo, quod paraverat Mardochaeo, ipse suspensus est itemque decem filii ejus in patibulis affixi insuper et omnes, qui se ad necem Judaeorum paraverant versa vice a Judacis interfecti sunt. Sed et hoc quod Mardochaeus somnium suum exponens: duo, inquit, dracones ego sum et Aman[1]), non solum haereticorum astutiam sed et sanctorum Patrum mysticat prudentiam. Nam sicut in malo ita et in bono serpens vel draco nonnumquam in scripturis accipitur. Unde est illud quod virga Moysi versa in draconem dracones Magorum devoravit, nimirum in typum haeresium per prudentiam justorum annihilandarum. Sicut itaque per manum Moysi draco dracones devoravit et quomodo in somnio Mardochaei draco a dracone victus est: ita et certamine inter haereticorum astutiam et sanctorum prudentiam commoto sapientia vicit malitiam attingens a fine usque ad finem fortiter, disponens omnia suaviter.[2])

[1]) Esth. 10. 7.
[2]) Sap. 8. 1.

Quod item in apocalypsi Joannis mirabili visione praemonstratum est. Nam sicut illic draco, quem diabolum intelligimus, emisit de ore suo, quod nimirum os erat Arius vesanus, aquam tamquam flumen [1]) i. e. doctrinam haereticam, ut mulierem videlicet ecclesiam quae per fidem suam pepererat masculum, Christum, trahi faceret a flumine, sed terra, nimirum ecclesia, in Nicaeno Concilio congregata aperuit os suum et absorbuit flumen, damnando videlicet pestiferum Arii dogma: ita et Aman velut quidam Arii praeambulus pessimum de corde et ore suo emisit consilium contra eandem gentem de qua masculus ille recturus gentes sperabatur futurus, quatenus ea extincta Christi impediretur adventus, sed et tunc quasi terra os suum aperuit, quando regina Esther primo ad Deum orationibus deinde quoque apud regem intercedendo egit, quatenus consilium Aman pessimum in caput ipsius redundaret et gens illa unica vel arbor, de qua fructus salutis exspectabatur, salva permaneret. Et ibi quidem gladii ad Judaeorum neces corporales parabantur, hic vero linguae haereticorum machaerae nimirum acutae ad interficiendas animas exerebantur. Et sicut legimus reges quosdam ex consilio haereticorum depravatos contra ecclesiam desaeviisse, ita econtra legimus sapientia vincente malitiam haereticos regum animadversione damnatos, quod, ut diximus, in Aman malitia simul et damnatione et in reginae Esther prudentia ac Mardochaei sollicitudine congrue praefiguratum est.

Cap. XXXVI.

De dimensionibus templi.

Interim vero pensanti mihi dimensiones templi, quae a regibus Cyro et Dario captivitatem relaxantibus constitutae sunt, suspectus est in altitudine ac latitudine sexagenorum cubitorum numerus. Sic enim ipsa Cyri concessio scripta continet inter cetera: et ut ponant fundamenta subportantia altitudinem cubitorum sexaginta et latitudinem cubitorum

[1]) Apoc. 12. 15.

sexaginta.[1]) Nam cum templum, ut aestimari potest, ad prioris instar etiam longitudine factum unacum oraculo sexaginta cubitos habuerit undique versum in dimensionibus senarius decenus occurrit, qui mihi forte non immerito, ut dixi, suspectus est, nimirum pro similitudine illius babylonicae statuae aureae, quam erexerat Nabuchodonosor rex, etiam ipsam habentem in altitudine cubitos sexaginta et in latitudine cubitos sex. Sed et in apocalypsi Joannis numerum bestiae, quae utique antichristus intelligitur, invenimus sexcentos sexaginta sex, de quo videlicet bestiae numero postmodum tractandum erit. Interim vero sciendum, quod senarius creaturae solum et non creatoris numerus est. Sex namque diebus mundum Deus condidit, septimo quasi fatigatus post laborem sex dierum ab omni opere suo requievit, Quid vero septimus iste dies requietionis Dei intelligitur, nisi sapientia ejus, quae non est aliud quam ipse? Deus namque qui Spiritus est, certum est quod in creatura insensibili, qualis est terra inanimata, requiem sibi non quaerat. Sed nec animantia irrationabilia Deo in se requiem exhibere possunt. Sola rationalis creatura requiei Domini apta condita fuerat, qualis est angelus et homo. Sed dum angelo pes superbiae venit, hominem quoque superbientem manus peccatoris movit, expulsique sunt, nec potuerunt stare, divinitas in eis requiem sibi non invenit, quae non nisi super humilem et quietum ac trementem ad sermones Dei spiritum requiescit. Sed nec angeli boni cum nondum in humilitate ita perfecte solidati fuissent, ut eis nihil defuerit, sine superbiae vel casus sui periculo totum divinitatis se inundantis pondus sustinere valuissent. Quanto minus hominum quisquam extitit praeter unicum Filium Dei, qui Deus ab aeterno existens etiam homo praedestinatus est, praeter hunc, inquam, nullus inveniri potuit, qui cum summis virtutibus arcem quoque simul repente humilitatis apprehenderit, ita ut Domino in ejus dictis aut factis laborandum non esset. Itaque solus Filius, in quo Pater sibi per omnia complacuit, quique Patri in se ac de se nullum umquam laborem praebuit, solus, inquam, ipse est in quo Pater plene requiem invenit. Unde et ipse rectissime dies ille

---

[1]) I. Esdr. 6. 3.

septimus intelligitur, in quo Pater Deus ab omni opere suo requievit. Igitur, ut dicere coepimus, sicut senarius creaturae ita septenarius creatoris numerus est ac perinde statua illa aurea recte in sui altitudine ac latitudine senarium non excessit, siquidem diabolus eam ad serviendum creaturae potius quam creatori erexit.[1])

XXXVII.

De regalibus divitiis a regibus ecclesiis collatis ad sexagenorum cubitorum altitudinem templi collatio.

Itaque dum et templi altitudo ac latitudo ex concessione regum gentilium per sexagenos cubitos tenditur non immerito idem sexagenarius animae consideranti suspectus est, ne forte illius rei portentum extiterit, in qua jam diu laboravit ecclesia ex quo regalia, quae in se laborem senarii obtinent pontificalibus ex concessione regum adjuncta sunt, ut hoc sit, templum sexagenos in altum et latum cubitos ex concessione regum accepisse primordialis nimirum altitudinis, quae ducentorum viginti erat cubitorum, medietate sublata pontifices regibus ex eisdem regalibus obnoxios existere. Pontificalia namque pastoralia sunt et ipsa suam requiem obtinentia. Unde sponsa in canticis canticorum sponsum suum sub schemate[2]) pastoris alloquitur dicens: Jndica mihi quem diligit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie,[3]) significans in ipso pascendi studio requietionis spiritualis accubitum non deesse. Regalia vero laboris ut curarum temporalium plena sunt, quae requiem spiritualem vix aut nullatenus admittunt. Unde et curiae regum a curis vel a cruore dictae sunt. Quod patriarcha Jacob unus pastorum notissimus perpendens fratris Esau regum typum praeferentis consilium admittere noluit dicentis: gradiamur simul et ero socius itineris tui.[4])

---

[1]) Hic ponitur a Gretsero „Finis Gerhohiani Syntagmatis.“ Cetera, quae sequuntur, desunt apud Gretserum.

[2]) cod. cemate.

[3]) Cant, 1. 6.

[4]) Gen. 33. 12. 13.

Respondens namque ait illi: Nosti domine mi, quod parvulos habeo teneros et oves ac boves foetas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare morientur una die cuncti greges. Sed nec de populo, qui erat cum Esau, viros secum retinere voluit ex quorum comitatu plus gravaminis quam subsidii se putabat habiturum. Dominus quoque in Evangelio easdem ab alterutrum [1]) potestates distinguens dicentibus discipulis: ecce gladii duo hic[2]) respondit: satis est. In harum siquidem figuram etiam in principio duo magna luminaria condidit: luminare majus ut pracesset diei, luminare minus ut praeesset nocti.[3]) Sed et sapientissimus rex Salomon duas in earundem potestatum praesignandarum distinctionem in templo columnas statuit, quarum unam vocavit Jachin i. e. firmitas, alteram Booz [4]) hoc est in robore. At nunc videmus quiddam tertium ex duarum potestatum permixtione confectum, dum quibusdam episcopis solio judicii residentibus crux dominica, pontificatus vel christianae humilitatis insigne, ac simul vexillum ducis videlicet ad vindictam malefactorum a rege missi signum praeferuntur. Quod mihi pro mea aestimatione monstruosum potius videtur, quam, ut putem, ratione subnixum posse demonstrari. An forte schema[5]) vel habitum illius angeli, qui resurrectionis Christi testis in fulgureo vultu atque in niveo vestium candore apparuit, hi, qui ejusmodi sunt, nituntur imitari, ut hinc terribiles injustis hinc blandi appareant justis? Sed terribiles esse injustis sacerdotes Domini concesserim terroremque habere super animantia et bestias terrae, super animales videlicet ac bestiales homines, non autem terribiles esse ex gladio vel hasta et ligno lanceato, ex quo Dominus Petro dixit: converte gladium tuum in vaginam.[6]) Nam antea Domini sacerdotibus in gladio percutere licitum fuerat, quando adhuc gens illa judaica, velut arbor ex qua fructus vitae

---

[1]) sic. codex.

[2]) Luc. 22. 38.

[3]) Gen. 1. 16.

[4] conf. Gerhohi Comm. in Ps. 40. Pez thes. tom. V. col. 855, infra cap. 88

[5]) cod. zema.

[6]) Math. 26. 52.

sperabatur a gentibus inimicis defensanda fuerat. At nunc ex quo fructum vitae ex eadem gente Dominum Jesum Christum in carne venientem suscepimus sacerdotibus Christi in gladio percutere licitum non est. Quod et signanter Dominus expressit: sinite, inquiens, usque huc. Quasi dixisset usque huc sacerdotibus Domini gladio materiali pugnare licuit[1], at nunc sinite, morem illum pugnandi mundo relinquite; vos pro me in gladio tantum oris et linguae pugnate. Atque ad evidentiam causae an putas, inquit, non possum rogare patrem meum et exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum?[2]

Cap. XXXVIII.

Iniqua confusio duorum gladiorum.

Hoc Paulus advertens non lanceam vel gladium, sed virgam tantum pastoralem discipulis inobedientibus minatus est, dicens: Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate spirituque mansuetudinis?[3]

Sed dicitur mihi, quoniam ex pietatis consilio placuit regibus, quatenus interdum ex ducatus vel marchiae aut comitatus redditibus episcopatum instituerent vel ampliarent jam dictis potestatibus in ditionem et jus episcopale translatis, ita ut episcopi potestatem habeant per minores sub se et a se ordinatas potestates ipsarum, quas diximus, potestatum tractare judicia ac perinde ad hujus rei conservandam notitiam, ajunt, praesto esse oportere coram episcopo judicia synodalia tractante utriusque potestatis insignia. At ego existimaverim melius et rectius horum memoriam in instrumentis ac scriniis conservandam et ad posteritatis notitiam transmittendam, quam ut in unam personam potestates tam oppositas convenisse insignia tam contraria non sine scandalo intuentium loquerentur maxime in synodo, quae ad ecclesiasticas causas tractandas convocata est. Addo etiam laudandos esse reges pro tantae

---

[1]) cod. licuerit.

[2]) Math. 26. 53.

[3]) I. Cor. 4. 21.

pietatis gratia, qua taliter ecclesiam Dei sublimare illis complacuit, sed majori eos laude et coram Deo remuneratione ampliore dignos putaverim, si quemadmodum recte obtulerunt, ita etiam recte divisissent, retenta nimirum sibi vindictarum, quae sanguinis effusionem poscunt, potestate, quando eis de impendiis ducatus vel comitatus ecclesias quasdam fundare vel ampliare pie complacuit.

Cap. XXXIX.
Forma divisionis et distinctionis duorum gladiorum.

Hujus namque divisionis laudandae formam sumere a sancta Romana ecclesia in promptu est. Siquidem et ipsam multa et magna regalia ex donatione regum possidere manifestum est. Ibi etenim praefectus urbis accepta a Romano Pontifice super causas civiles judicandi potestate simul cum beneficio vel stipendio eidem potestati pertinente, vindictarum, quae sanguinis dumtaxat effusionem poscunt, faciendarum potestatem ab imperatore per gladium evaginatum accepit, quod suum est utrique potestati recognoscens. At in regnis Francorum ubi hac distinctione non servata episcopus a rege per sceptrum regalibus acceptis ipse continuo sub se vicarias potestates ordinat, quae mox ordinatae indifferenter judicia etiam sanguinis tractant exercentque vindictas, videant ipsi jam dicti vicarii, a quo potestatem vindictas in sanguine faciendi acceperint. Nam si eas a semetipsis usurpant rei sanguinis etiam noxiorum effusi efficientur. Si vero ejusmodi potestatem a dominis suis episcopis se dixerint accepisse, sciant iidem gravem se dominis suis episcopis inferre calumniam, quos vel noxiorum sanguinis effusi auctores suo arbitratu constituunt. Episcopalis namque vel sacerdotalis manus divinissimis sacramentis conficiendis sanctificata potestatis sanguinis effundendi legitime capax non est, nam et sanguine respersa reproba ad eadem coelestia sacramenta conficienda efficitur, dicente Domino ac David: N o n a e d i f i c a b i s m i h i d o m u m, q u i a v i r b e l l a t o r e s e t p l u r i m u m s a n g u i n e m e f f u d i s t i [1], apostolo quoque percussorem epis-

[1]) I. Paral. 28. 3.

copum reprobante. Sed et canones sacri eum qui militaverit vel postulaverit aut minister sanguinis effusi extiterit a sacerdotio repellunt. Unde, ut dixi, gravem dominis suis episcopis irrogant injuriam forensium judices litium vel causarum, si sanguinis effundendi potestatem se a manu pontificali dixerint accepisse. Aut vero si episcopi hoc de se dici non pro injuria reputant, nec falsam suspicionem a se repellunt, magis vero et pro gloria eis est, quod potestatem puniendi in sanguine quam a regibus acceperint in potestates subjectas ipsi transponant, videant qualiter manus suas a sanguine immunes exhibeant; nam ego manum sanguinis effundendi mediatricem vel internuntiam nescio quomodo a sanguine excusem. Neque vero ipsi episcoporum subjudices manibus propriis fures vel latrones deprehensos occidunt, sed occidendos lictoribus tradunt; nec tamen per hoc, quod ipsi non occidunt, quantum ad sacerdotii spectat puritatem, sanguinis reatum effugiunt. Quod si objicitur nobis de s. Joanne apostolo, quod legitur in ecclesiasticis historiis, homicidam illum, quem de latrocinio revocavit, post peractam poenitentiam ecclesiae regendae praefecisse, nos quod sentimus respondemus: Scripturam illam, quae fabulae non fabulae titulum obtinet, non tam constantis esse auctoritatis, ut per eam quis cogi valeat. Aut etiam si de tanti nobis constaret actu apostoli in primordiis ecclesiae per tale forte factum remedia poenitentiae quid valeant significare volenti, neque sic ad sentiendum adduci possemus contra regulas ecclesiasticas homicidas a sacerdotio repellentes. Nam privilegia singulorum legem communem non faciunt.

Cap. XL.

Non bona similitudo de militibus gladium cingentibus.

Sed nec illud ad excusationem hujus facti proficit, quod dicunt aliqui: sic a sacerdote posse minorem potestatem legitime ordinari, quae in vita et sanguine puniat nocentes, sicut reges quoque a sacerdotibus ordinantur et novi milites non sine sacerdotali benedictione ense praecinguntur, nec tamen sanguis a rege vel militibus

effusus sacerdotibus imputatur. Hoc, inquam, ad causam non facit. Nam neque episcopi reges creant vel ordinant sed principum ac populi electione et acclamatione creatis aut ex genere prodeuntibus episcopi benedicunt et cum benedictione coronam capitibus eorum imponunt; neque militibus novis sacerdotes ensem tribuunt vel eos ense accingunt, sed accipientibus et praecingentibus benedicunt, docentes eos, quod sui est officii, potestatibus sublimioribus subditos esse debere. Unde et apostolus reges et duces non Dei vel deorum (quod intelligi posset sacerdotum) sed hominum creaturam appellat dicens: Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum.[1] Nam quod creaturam appellat humanam evidenter expressit continuo subjungens: Sive regi quasi praecellenti sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Ex quibus verbis apparet, reges ac duces per sacerdotum benedictionem non creari, sed ex divina ordinatione per humanam electionem et acclamationem creatis, ut praedictum est, sacerdotes Domini benedicunt, ut officium, ad quod divina ordinatione assumpti sunt, sacerdotali benedictione prosequente congruentius exequantur. Nam dum se sacerdotum manibus reges benedicendi humiliant, ipso humilitatis merito gratiam, quam pie postulant, per sacerdotum Deo placentium orationes consequuntur.

Cap. XLI.
Distinctio sacerdotii veteris et novi.

Aut si dabis sacerdotem benedictione vel unctione sancti olei reges pro sua aestimatione creantem, qualis in veteri testamento extitit Samuel, qui lenticula olei primo Saulem, deinde plenu cornu in regem unxit David, Sadoch quoque sacerdos et Nathan propheta Salomonem aliique alios, quos enumerare necesse non est, quamquam alia sit ratio sacerdotum veteris testamenti atque alia novi (nam illis in gladio percutere licuit, quod istis Domino vetante licitum non est), da tamen sacerdotem sacerdotali

[1] I. Petr. 2. 13.

benedictione vel unctione reges creantem talem [1]) videlicet quod inter cetera orationum et benedictionum verba dicendo: accipe gladium sanctum, munus a Deo, in quo dejicias adversarios populi mei Israel, da, inquam, talem sacerdotem benedictione reges ex praecepto Domini creantem vel mutantem, qualem tamen ego super terram non invenio, et nescio an in eum, qui ejusmodi est, quicquam sinistrum de respersione humani sanguinis debeam suspicari, quamquam in veteri testamento etiam tales inveniam occisores hominum sine vituperio quidem appellatos.

Sic namque inter cetera ad Eliam de Elisaeo dictum est: Et erit quicumque gladium fugerit Hazaël, occidet eum Jehu, et qui fugerit gladium Jehu, occidet eum Elisaeus.[2]) Quomodo enim hoc impletum est? Videlicet quicumque de domo Achab fugit gladium Hazaël, qui Syriae princeps erat et rex futurus jam a Domino decretus erat, occidit eum Jehu, — delevit enim universam domum Achab. Quis autem effugit gladium Jehu nisi Syria? Nempe Jehu, si perfecte in viis Domini ambulasset et sicut delevit Baal de Israel ita et vitulos Jeroboam dereliquisset et delevisset, sicut percusserat domum Achab, ita Syriam quoque percutere meruisset. At ille a peccatis Jeroboam non recessit et per hoc Syria gladium ejus effugit. Percussit eum Elisaeus. Quomodo? Infra scriptum est. Elisaeus aegrotabat in infirmitate qua et mortuus est. Descenditque ad eum Joas rex Israel et flebat coram eo dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus. Et ait illi Eliaeus: Affer arcum et sagittas. Cumque attulisset arcum et sagittas dixit ad regem Israel: Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam superposuit Eliseus manus suas manibus regis et ait: Aperi fenestram orientalem. Cumque aperuisset dixit Elisaeus: Jace sagittam. Et jecit. Et ait Elisaeus: Sagitta salutis Domini et sagitta salutis contra Syriam. Percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam. Et ait: Tolle

---

[1]) cod. tale.

[2]) III. reg. 19. 17.

sagittam. Qui cum tulisset rursum dixit ei: Percute jaculo terram Et cum percussisset tribus vicibus et stetisset, iratus est vir Dei contra eum et ait; si percussisses quinquies aut sexies aut septies, percussisses Syriam usque ad consumationem, nunc autem tribus vicibus percuties eam.[1]) Ecce si pro talibus causis occisio Syrorum prophetae, licet inculpabiliter, imputatur, sacerdotes evangelicae veritatis perpendant, quanta se diligentia servare debeant a sanguinis non solum negotio, sed etiam quaestione. At plerique minus haec perpendentes usu nimirum antiquae consuetudinis inducti vel potestatis sublimioris desiderio attracti ducatum sanguinis, utique negotio obnoxium, vel aliam dignitatem ejusmodi regalem laicaliter a regibus accipiunt eandemque ipsi nihilominus laicaliter impertiunt vel certe in minores potestates dispertiunt benedictione sacerdotali interim quiescente. Quid igitur de tali sacerdote aestimandum est, si, ut supra docuimus, manus prophetae manibus regis superposita non solum a sanguine Syrorum effuso aliena non est sed ei vel maxime occisio Syrorum pro illius temporis ratione inculpabiliter imputatur? Verum quod pro illius temporis ratione in sacerdotibus Domini non solum inculpabile, sed et laudabile fuit videlicet in gladio percutere, in Christianismi sacerdotio culpa etiam sacerdotii peremptoria carere non arbitror.[2])

Cap. XLII.[3])

Augmentum scandali et de nece Arnoldi.

Auget vero et hoc scandalum pusillis Christi, quod iidem jam dicti nostri temporis episcopi decimas aliasque oblationes fidelium in usum Deo servientium et maxime vitam communem

---

[1]) IV. Reg. 13. 14—19.

[2]) conf. de aedif. Dei cap. 49.

[3]) Vide hoc capitulum jam editum a Jod. Stülz Praepos. S. Floriani in Archiv für Kunde österreichischer Geschichtsquellen, Wien 1858, tom. XX. p. 139.

degentium nec non aliorum pauperum ecclesiae Dei traditas ipsi sub usibus divinis alienantes laicale beneficium faciunt et unde minimi Christi ac Deo militantes juvari debuerant, ut nemo in eis egens inveniretur, inde mundo militantes ac pauperum oppressores ditant. Quod utique voluntarie facientes, quid aliud quam desolationem pauperibus Christi Deo militantibus inducunt sicque abominationem desolationis, quod deesse videbatur, implere pro sua portione satagunt? Nam quod episcopi regibus hominia faciunt et ab aliis accipiunt, quodque pro regalibus obtinendis negotiis se saecularibus implicant et ad comeatum ducendo militiam pergunt et cetera ejusmodi regalibus obediendo praeceptis exequuntur, quantumlibet inculpabiliter et innocenter eadem exequi studeant, ego ad senariam immo et sexagenariam illam cubitorum altitudinem pertinere arbitror, ad quam templum ex regum Persarum et Medorum concessione a Jesu sacerdote magno et Zorobabel[1]) duce Juda fabricatum est, videlicet media parte prioris illius celsitudinis ex regum institutione ablata. Siquidem omnis ista ex regalium concessione ecclesiae Dei proveniens celsitudo ad senarii decuplati laborem pertinet parum aut prope nihil de spirituali sabbatismo in plerisque sacerdotibus superesse sinens mediamque partem spiritualis illius celsitudinis detruncans, quae per centum viginti cubitos prioris templi altitudinis, ut supra exposuimus, significata est. At vero senarii haec mysterialis quantitas in domo Dei, quae est ecclesia, non ad hoc proficit, ut domus Dei taliter ordinata domus Dei non sit, sed praesules earum non sint episcopi, quemadmodum quidam nostro tempore, Arnoldus nomine, dogmatizare ausus est, plebes a talium episcoporum obedientia dehortans. Pro qua etiam doctrina non solum ab ecclesia Dei anathematis mucrone separatus insuper etiam suspendio neci traditus, quin et post mortem incendio crematus atque in Tibrim fluvium projectus est, ne videlicet Romanus populus, quem sua doctrina illexerat sibi eum martyrem dedicaret. Quem ego vellem pro tali doctrina sua quamvis prava vel exilio vel carcere aut alia poena praeter mortem punitum esse vel saltem taliter occisum, ut Romana ecclesia seu curia ejus necis quaestione careret. Nam si,

---

[1]) I. Esdr. 3. 2.

ut ajunt, absque ipsorum scientia et consensu a praefecto urbis Romae de sub eorum custodia, in qua tenebatur, ereptus ac pro speciali causa occisus ab ejus servis est, maximam siquidem cladem ex occasione ejusdem doctrinae idem praefectus a Romanis civibus perpessus fuerat — quare non saltem ab occisi crematione ac submersione ejus occisores metuerunt, quatenus a domo sacerdotali sanguinis quaestio remota esset, sicut David quondam honestas Abner exequias providit atque ante ipsas flevit, ut sanguinem fraudulenter effusum a domo ac throno suo removeret? Sed de his ipsi viderint. Nihil enim super his nostra interest, nisi cuperem matri nostrae sanctae Romanae ecclesiae id quod bonum, justum et honestum est. Sane de doctrina et nece Arnoldi idcirco inserere praesenti loco volui, ne vel doctrinae ejus pravae, quae etsi zelo forte bono sed minori scientia prolata est, vel neci ejus perperam actae videar assensum praebere. Non enim condemno ecclesiam Dei vel ecclesiarum praesules regalia possidentes et eis licite ac modeste utentes, licet laboriosas eorum curas et occupationes molestas sexagenariae illi domus Dei celsitudini assimilare mihi visum sit. Quod vero plerique sacerdotes vel episcopi toto se studio saecularibus negotiis vel actibus impendunt, obliti quae sacerdotii sunt, quod deposito gladio spirituali proprias gladio materiali ultum iri parant injurias, quod vindicantes se laesiones in corporibus aut rebus eis quos inimicos existimant praeter legitimas potestates machinantur, quod currus sibi et equites ex decimis aliisque fidelium oblationibus multiplicant, ut terribiliores adversariis sint, quodque equitatus numero sublevati populum saeculariter vivendo in Aegyptum reducunt: haec et cetera his similia vel deteriora ad desolationis abominationem in loco sancto stantem pertinere non dubitem. Quanto enim Christi patientiae et mansuetudini dissimilia sunt tanto ad similitudinem antichristi accedunt.

Cap. XLIII.

De sexaginta cubitis altitudinis templi ad clerum collatio.

Nec vero solum in episcopis plerisque sexagenorum cubitorum typicam illam, quae jam dicta est, celsitudinem sed et in reliquo

clero videre est, maxime tamen in his qui cathedrales tenent ecclesias. Hi enim cum neque canonum neque coenobitali regulae subjecti sint, cujusdam regulae quam Ludwici regis dicunt [1]), professores se perhibent. Quae nimirum regula, si tamen regula et non potius pravitatis ac perversitatis doctrina dicenda est, in curia regali per aulicos et euriales clericos fabricata inter plurima perfectionis praecepta undique in unum ex patrum dictis bene et utiliter congesta hoc unum quasi venenum retinet, quod evangelica perfectio, de qua gloriatur Petrus dicens Domino: ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te [2]) et de qua Dominus nisi quis, inquit, renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus [3]) ad solos monachos non etiam ad cleros pertineat. Quod quam falsitatis plenum sit vel ex eo omnibus scire volentibus liquet, quod primi hujus praecepti executores cum ex praecepti ipsius obedientia omnem evangelicam perfectionem executi fuerint, qua major nulla est, de mundo videlicet electi et coelesti magisterio instituti ex apostolatus officio insuper non solum clerici sed et clericorum principes ac magistri primi extiterunt. Quibus ipse coelestis magister Christus non ante apostolatus vel clericatus officium imposuit, donec eos in mundialium rerum despectu suique amoris perfectione probatos invenit. Unde uni eorum cum dixisset tertio amas me [4]) eidem tertio amorem confitenti tunc demum post singulas amoris confessiones pascendorum agnorum et ovium curam injunxit.

Cap. XLIV.

Urbanus papa.

Urbanum quoque papam ac martyrem id ipsum de cleri perfectione sapere ex decretis ejus generalibus palam est, quorum

---

1) conf. de aedificio Dei cap. 3.
2) Math. 19. 27.
3) Luc. 14. 33.
4) Joan. 21. 15. 16. 17.

exordium tale est. „Urbanus papa et martyr omnibus christianis in „sanctificatione spiritus et aspersione sanguinis Christi salutem etc. „Scimus [1]) vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter „bonos christianos viguit et adhuc gratia Dei viget et maxime inter „eos, qui in sorte Dei sunt electi i. e. clericos, sicut legitur in „actibus apostolorum: Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant vendentes, afferebant pretia eorum, quae vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat etc.[2]). Cum itaque manifestum sit ex his ac pluribus veteris ac novi testamenti paginis nec non et patrum orthodoxorum dictis, in quibus vir illustris Hieronymus ac pater Augustinus [3]) eminentiores sunt, clerum permaxime evangelica perfectione debere esse decoratum, siquidem testante s. Augustino perfectus monachus vix clericum perfectum efficiat, videlicet si cum vitae sanctitate adsit eruditio sufficiens. Quisquis aliter docet, non Christi discipulus sed antichristi praeco est.

Proinde congregationes secundum jam dictam regalem Ludewici regis, quam dicunt, regulam institutae, quoniam apostolicae perfectionis culmine carent in suis privatis domibus, deserta communi domo, victitantes etiam ipsae ad sexagenorum cubitorum altitudinem typicam mundialis laboris plenam dispositae mihi videntur, etiamsi probari possit eas pro illa maneria hominum in jejuniis, elecmosynis et castimonia vitam ducere laudabilem. At vero quoniam major ex eis numerus vitiis libere inserviunt, divitias sibi de rebus pauperum multiplicantes et gratiam Dei in luxuriam transferentes, fornicantes et insuper sacrificantes et quasi manducantes de idolotico, idolatriae enim scelus dixerim immo et scriptura dicit nolle acquiescere et contra

[1]) c. 9. XII. quaest. 1. Urbanus.

[2]) act. 4. 32. 34.

[3]) Amborum verba vide de aedif. Dei Pez thes. II. II. col. 253.

interdictum sacrificare praesumere,[1]) ego talem congregationem, in qua vitia regnum obtinent, recte dicam synagogam satanae et abominationi desolationis magis quam Christo in semet locum praebere; quamvis non negem in eis aliquos, qui velut Loth in Sodomis vitia et vitiosorum consortia atque communionem maxime in officiis interdictis declinantes odia sibi perdite viventium monendo et arguendo consciscunt. Hi ergo tamquam cives Jerusalem in Babylone sunt, sicut e contra fieri potest et fit, ut in bene ordinatis coenobiis tamquam in Jerusalem cives Babylonis non desint.[2]) Sed Deo favente libere illic agere et dominari non possunt. Alioquin talis domus Jerusalem esse desineret, in qua vitia et vitiosi libertate vel dominio potirentur.

Cap. XLV.

De abominatione desolationis quando in templo materiali et spirituali stare coeperit.

Et quia multa de sexagenorum cubitorum altitudine templi sub regalium cum ecclesiasticis permixtione simulque regalis illius regulae contra evangelicam perfectionem adulterina superordinatione locuti sumus, quibus nimirum abominationi desolationis locus in ecclesia Dei praeparatus est, nunc diligentius pervidendum, quando abominatio desolationis, quae dicta est a Daniele propheta in loco sancto stare coeperit, primo videlicet in templo materiali positione idoli materialis, sed typica deinde in templo spirituali, quod est ecclesia spiritualiter per haeresium ac schismatum auctores, quorum abominandae personae in abominationem desolationis reputandae sunt ad consummationem mysterii iniquitatis. Palam quippe est Antiochum Epiphanen primo abominandum desolationis idolum manufactum in templo Hierosolymis collocasse, quod etiam ibi per tres integros durasse annos ex chronicis colligitur. Unde vir illustris Hieronymus exponens illud apud Danielem usque ad

---

[1]) I. reg. 15. 23.

[2]) conf. de aedif. Dei cap. 2. de diff. Clerici reg. et saec. Pez thesaur. anecd. II. 2. col. 452. Tract. ad Simon. Martene Thesaurus. V. col. 1496.

vesperam et mane dies duo milia trecenti et mundabitur sanctuarium:[1])

Cap. XLVI.

Verba S. Hieronymi, Philonis ac Josephi.

„Legamus, ait,[2]) Machabaeorum libros et Josephi historiam, ibique scriptum reperiemus centesimo quadragesimo tertio anno a Seleuco, qui primus regnavit in Syria post Alexandrum ingressum Antiochum Jerosolymam universa vastasse reversumque anno tertio in templo posuisse statuam Jovis et usque ad Judam Machabaeum i. e. usque ad annum centesimum quadragesimum octavum per annos vastitatis Jerusalem sex, contaminationis autem templi tres duo milia trecentos dies et tres menses esse completos, post quos templum purgatum est. Quidam pro duobus milibus trecentis duo milia ducentos legunt, ne sex annis tres menses superesse videantur. Hunc locum, ait idem Hieronymus, plerique nostrorum ad antichristum referunt et quod sub Antiocho in typo factum est sub illo in veritate dicunt esse complendum. Quod autem infert mundabitur sanctuarium Judae Machabaei significat tempora, qui de vico Modin, fratribus ac propinquis secum annitentibus et multis de populo Judaeorum, Antiochi duces superat juxta Emaus, quae nunc Nicopolis dicitur.“ Haec sanctus Hieronymus. At Porphyrius inimicus fidei nostrae haec eadem et cetera, quae de Antiocho principe per eundem Danielem prophetata sunt, ita de Antiocho interpretari nititur cum prophetia res gestas conferendo, ut penitus, quantum in ipso est, intellectum ecclesiae de antichristo evacuet sicut prophetiam quoque de Christo in aliis completam esse contendit. Nos vero credimus Domino Jesu longe post Antiochi mortem dicenti prophetiam Danielis de abominatione desolationis adhuc in futurum fuisse complendam. Ait enim discipulis de temporibus et signis destruendae civitatis Jerusalem et consumma-

---

[1]) Dan. 8. 14.

[2]) Opp. s. Hieronym. edit Maur. tom. III. col. 1105. 1106.

tionis saeculi inquirentibus: Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto [1]) et interposito qui legit intelligat de temporibus obsidionis subjunxit dicens: Tunc, qui in Judaea sunt, fugiant in montes etc. Itaque secundum hanc non solum Danielis sed et Domini Jesu prophetiam abominatio desolationis secundo per idolum manufactum in templo Jerosolymis stetit, quando, ut longe supra a nobis dictum est, Cajus Caesar imaginibus suis illatis templum profanari jussit.

Unde Philo [2]) scribit, quod et supra inseruimus et nunc iterare non piget: Multa, inquit, in Cajo ingenii pravitas, qua erga omnes homines tum praecipue erga Judaeorum gentem ferebatur, et speciali quadam saevitia loca eorum, quae divinis habent supplicationibus consecrata, incipiens ab Alexandria diripi et contra religionem moremque gentis profanari jubet statuis suis et signis ea atque imaginibus replens. Templum quoque sanctae civitatis, quod solum manebat totius profanae contagionis intactum et a majoribus perduraverat asylum, commutare in templum proprii nominis ausus est, ut aedes Jovis et nobilissimi novi Dei Caji vocaretur.

Josephus quoque, quod idem supra memoravimus, in secundo judaici belli libro [3]) Juda Philoni scribens dicit: „Is autem, qui „missus est a Tiberio in Judaeam procurator Pilatus, noctu velatas introferri Jerosolymae imagines Caesaris jubet ac statui. „Quod ubi dies exortus est magnam perturbationem populis excitavit Judaeorum stupentibus et perturbatis ad novam faciem „rerum.“ Haec secunda idoli in templo materiali positio ad impletionem prophetiae Danielis ac verborum Domini sufficere videri posset, nisi abominationem desolationis in templo staturam praedicens parabolice se loqui innueret in eo, quod interposuit, qui legit, inquiens, intelligat. Hoc enim cum dicit sicut alias cum aures audiendi requirit verbis parabolicis quaedam subesse digna

---

[1]) Math. 24. 15.

[2]) Legatio ad Cajum ed. Basil. 1561. p. 658. conf. supra cap. 4.

[3]) Bell. jud. II. 9. 2.

scitu mysteria innuit. De qualibus item ipse consequenter requisitus ait discipulis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei ceteris autem in parabolis. [1])

Cap. XLVII.

De Hircano et Aristobulo fratribus germanis.

Itaque sicut mysteria regni Dei sanctis inquirere ad fidei confirmationem utile ac delectabile est, ita et mysteria operationis Satanae pro veritate scripturarum demonstranda inquirere et impleta demonstrare etsi minus habet delectationis non nihil tamen fidei spei et charitati, quae in Deum est, affert aedificationis dicente Domino: His autem fieri incipientibus respicite et levate capita vestra, quia ecce appropinquat redemtio vestra. [2]) Verumtamen scire oportet, quod ante hanc secundam idoli positionem in templo duobus germanis fratribus Hircano et Aristobulo, qui ex regali simul et sacerdotali stirpe descenderant, de sacerdotio et regno contendentibus ac civitatem et provinciam intestino bello vexantibus locus regnandi parabatur Herodi funesto, qui ex patre Idumaeo et matre ortus arabica primus alienigena regnum Judaeae provinciae ex favore et concessione Romanorum obtinuit, ut impleretur illud Patriarchae Jacob vaticinium dicentis: Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femoribus ejus donec veniat qui mittendus est. [3]) Is ergo Herodes, ut supra praestrinximus, postquam regnum obtinuit templum illud, quod a Zorobabel duce Juda et a filiis transmigrationis de Babylonia [4]) reversis reaedificatum fuerat, sexaginta nimirum cubitorum altitudinem habens juxta Cyri regis Persarum concessionem, hoc, inquam, templum is de quo loquimur funestus Herodes ad terram deposuit et aliud

---

[1]) Luc. 8. 10.

[2]) Luc. 21. 28.

[3]) Gen. 49. 10.

[4]) cod. babylonica.

condidit, majus quidem et duplum altitudinis habens templi quod fecerant filii transmigrationis; sed hoc fecit gloriam quaerens suam non Dei.

Cap. XLVIII.

Verba Herodis. Aedificatio templi uno anno et quinque mensibus.

Bene, inquit, nostis, quod istud maximo Deo templum nostri patres aedificaverunt cum de Babylonia remeassent et quia desunt ei ad magnitudinem in altum cubiti sexaginta secundum instar illius, quod Salomon construxerat, nemo negligentiam pietatis patrum nostrorum accusat. Non culpa illorum factum est brevius templum, sed Cyrus et Darius hujusmodi mensuram aedificationis fieri praeceperunt. Nostri patres et parentum nostrorum dixit, quia videlicet judaici cum non esset generis se volebat haberi. Subsecutus et hoc ait: Nunc autem quoniam nutu Dei principatui meo pax larga concessa est et divitiarum possessio et multitudo redituum et, quod maximum est, amicitiae favorque Romanorum, qui omnium rerum domini existunt, cur non studemus relictum necessitate servitutis tempore opus corrigere et integrum Deo praebere pro beneficiis ejus in meo regno collatis? Haec dicens properavit templumque in uno anno et mensibus quinque peractum est. Nonne homo ille immo bestia sic loquens et sic properanter faciens, David fideli et pacifico Salomoni regibus legitimis, regibus de tribu Juda, sese conferre aut etiam praeferre contendit? At ille, videlicet fidelis David, nulli quicquam rapuit nec de rapinis domum nomini Domini aedificari instituit sed ecce, ego inquit, in paupertacula mea paravi impensas domus Domini, auri talenta centum milia et argenti mille milia, aeris vero et ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine, ligna et lapides praeparavi ad universa impendia.[1]) Haec dicens etiam dedit Salomoni filio suo descripti-

---

[1]) Paral. 22. 14.

onem templi et cujusque operis et haec omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris.[1]) Quod illum dicentem cum legimus vel audivimus, numquid tibi non eum quoque cum esset propheta hujusmodi ostensionem vidisse arbitremur, ut diceretur ei quomodo dictum est et Moysi de tabernaculo faciendo „inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstravi?“[2]) Salomon quoque aurum et argentum non ex rapinis sed ex Dei dono habuit. Numquid talibus ac tantis Herodes nebulo sese conferre debuit? Voluntatis tamen Dei fuit, ut templum illud manufactum vel per talem hominem in antiquum statum perduceretur ante adventum ejus in carne, quatenus ipse parvulus manibus parentum ac virginis matris in templo non dimidiato sed perfecte ac divinitus institutae altitudinis offerretur, impleta quoque prophetia Zachariae dicentis quoniam major erit gloria domus hujus novissimae plus quam primae.[3]) Quae tamen gloria non in eo completa est, quod Herodes funestus eandem domum in antiquum statum perduxit, sed quia dominus majestatis in eodem templo oblatus sit, qua gloria major illius templi esse non potuit de qua sancto prophetiae spiritui cura esse debuerit. Si enim, ut apostolus testatur, de bubus, videlicet quantum ad rationem praecepti, Deo cura[4]) non est nec esse debet, quanto minus de lapidibus, rebus videlicet inanimatis, ad quam mensuram componerentur Deo vel sancto Spiritui prophetiae cura esse debuit, ut ex eorum molibus vel magnifica structura gloriam domus suae aestimaret nisi mysteriorum ratio digna Deo praecipienti sublateret? Nam quia, ut jam dictus testatur apostolus, non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale[5]) non sine causa domum, in qua ipse offerri voluit, primo per Sa-

---

[1]) I. Paral. 28. 19.
[2]) Exod. 25. 40.
[3]) Aggaeus 2. 10.
[4]) I. Cor. 9. 9.
[5]) I. Cor. 15. 46.

lomonem ad altitudinem centum viginti cubitorum fieri voluit ac deinde post sacrati numeri ac mensurarum completionem dedicari Deo ac benedici, sed quia praevidit in apostolos plebemque credentium ad ejusdem numeri sacrati quantitatem congregatos Spiritum sanctum, qui est vera benedictio et sanctificatio, effusum iri, similiter et eandem domum cum sexaginta tantum cubitorum secundum praeceptum Cyri et Darii regum reaedificata fuisse, noluit in tali imperfectione permanere sed in antiquum centum viginti cubitorum statum et altitudinem restaurari, quod per Herodem funestum factum est, sicque in eadem domo Christus praesentatus est, hoc nimirum per haec materialia sancto intendente sapientiae Spiritu, quod (ante) ultimum quoque Christi adventum ecclesia, quae est vera et viva domus Dei viventis in his, qui spirituales dicuntur et esse debent, ad antiquam apostolicae perfectionis institutionem reformanda sit, ad hoc annitentibus qualibuscumque principibus et Herodi similibus. Haec enim apostolicae institutionis perfectio tamquam nihil habendi et omnia possidendi recte per centum viginti cubitorum altitudinem, ut superius partim docuimus, significata est. Nunc autem et illud jungimus quod in centum viginti duodenarius decies multiplicatus est. Duodenarius vero numerus quid sacri mysterii contineat ecclesiasticae scholae didascalis notum est. Sciunt enim hunc numerum ex partibus septenarii, quae sunt tria et quatuor, in se multiplicatis construi, nam ter quatuor vel quater tria duodecim faciunt. Et cui non palam est in ternario fidei, quae in sanctam Trinitatem est, in quaternario vero perfectae operationis commendari mysterium, nimirum propter solidam perfectionem quatuor virtutum cardinalium? Et haec tria videlicet et quatuor partes septenarii sunt, quia qui fidei sanctae perfectam operationem sociat, utique sancto septiformi spiritui in se locum parat, cujus qui vere compos extiterit ad veram sabbathismi aeterni requiem perveniet, insuper vero et in hac vita feriatus a vitiis in sancto sapientiae spiritu requiescit docilis nimirum hujus verbi factus, quod ipsa Dei sapientia degens in carne elocuta est: discite, inquiens, a me, quia mitis sum et humilis corde et invenietis requiem animabus vestris.[1]) Duodenarius vero

[1]) Math. 11. 29.

hic in mensura altitudinis templi decies multiplicatur[1]) et centum viginti cubitos perficit, ut noverimus ordinem ecclesiasticum, qui sic in populo quemadmodum in civitate templum est et in quo velut in templo sancta sanctorum sunt, videlicet corporis dominici consecratio et sacri chrismatis sanctificatio vel unctio ac peccatorum remissio, hunc, inquam, sciamus ordinem ad consummationem sanctorum divinitus institutum non ex qualibet profana seu populari conversatione in ecclesia multiplicari debere sed ex his solum hominibus, qui et secundum legis decalogum sine quaerela conversati maxime post baptismum sint ac deinde ad apostolicam perfectionem, quae in duodenario significatur, profecerint. Hoc est enim duodenarium decies multiplicari, ut centum viginti sint, quot nimirum homines primo Spiritus Sanctus ad dilatandam et regendam ecclesiam consecravit, quibus et linguis omnium gentium loqui donavit, significans in omnes gentes dilatandum aedificium ex tam paucis personis inchoatum in illa civitate, de qua scriptum erat: Quia de Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem.[2])

Cap. XLIX.

Quid differat in spiritualibus altitudo illa templi quae per Salomonem constructa est ab ea quae per Cyrum indulta est.

Quod alios, videlicet extra evangelicam et legalem perfectionem conversantes, ecclesia Dei super se in regimine sustinet et aliquamdiu sustinuit, hanc ergo formam non ad centum viginti sed ad sexaginta cubitorum altitudinem arbitror pertinere. Quae nimirum celsitudinis mensura, quia minus Deo placita est, ad hoc significandum non in illo sexaginta cubitorum, quod secundum Cyri et Darii regum concessionem factum fuerat, sed in isto quod Herodes, licet impius, ad centum viginti cubitorum altitudinem perfecerat, Christus offerri parvulus atque adultus conversari, docere atque signa facere curavit, de quo etiam, non autem ex illo priore,

---

[1]) cod. multiplicantur.

[2]) Isai. 2. 3.

vendentes et ementes ejecit. Nisi enim ad evangelicam cum legali institutione ordo ecclesiasticus se gesserit nec divina praesentatione nec doctrinae auctoritate aut miraculorum spiritualium gratia sufficienter idoneus existet sed nec foro venalitatis perfecte purgabitur, in his duntaxat personis, qui nondum pro amore discipulatus Christi possessionibus terrenis et mundi cupiditatibus renuntiarunt. At econtra templum illud centum viginti cubitorum in omnibus his illustre comparuit majorque facta est gloria domus hujus novissimae plus quam primae,[1]) ut noverimus in ecclesia apostolicae institutionis fundamenta ac formam tenente gratam et ex propria institutione Deo acceptam esse corporis sui consecrationem, doctrinae eruditionem ac peccatorum remissionem. Non enim quibuslibet popularis conversationis hominibus sed his solum, qui ab ipso didicerant omnia propter Evangelium relinquere ejusque discipulatui adhaerere, ipse potestatem[2]) corporis ac sanguinis conficiendi potestatem tradidit dicens: Hoc facite in meam commemorationem.[3]) Quibus item et in eis eorum[4]) pedissequis ipse dixit: Quaecumque ligaveritis super terram ligata erunt et in coelo et quaecumque solveritis super terram soluta erunt et in coelis.[5]) Item ipsis eorumque sequacibus et non aliis ipse dixit: Euntes docete[6]) etc. Unde hos solos legitimos verbi ministros dixerim, qui cum apostolis dicere Christo possunt: Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te[7]) sicut mensurae illae[8]) templi solae complacuerunt Domino, de quibus ait David: Omnia, inquit, scripta venerunt ad me.[9]) At vero quomodo et illud brevius templum usque ad tempus correctionis a Domino toleratum

---

1) Agg. 2. 10.
2) sic. codex.
3) Luc. 22. 19.
4) cod. earum.
5) Math. 16. 19.
6) Math. 28. 19.
7) Math. 19. 27.
8) cod. illi.
9) I. Paral. 28. 19.

est et quae in eo offerebantur hostiae non reprobatae: ita et nunc per Christi et ecclesiae tolerantiam admittuntur ad altaris ministerium etiam hi, qui citra evangelicam perfectionem se gerunt, videlicet propria retinentes insuper vero cupidi et avari ac de haereditate pauperis Christi divitias congregantes magisque in ipso ministerio, quae sua sunt, quam quae Jesu Christi, quaerentes, et per tales administrata Sacramenta virtutem suam obtinere non negamus, maxime si in haeresi excommunicata aut in schismate non sunt vel ipsi pro suis sceleribus [1]) excommunicati atque interdicti sacramenta divina celebrare non praesumunt alioquin extra catholicam ecclesiam veri sacrificii locus non est et Spiritus sanctus disciplinae fugiet fictum et sacrilegis, ne dicam idolatris, manibus videlicet contra interdictum sacrificantibus Spiritus sanctus cooperator non erit, quoniam peccatum ariolandi est non obedire et quasi scelus idolatriae nolle acquiescere.[2]) Item ad brevius illud templum pertinere putatur celsitudo illa saecularis pompae ac regalium cum ecclesiasticis conjunctio vel permixtio, maxime ubi per sacerdotes laudabiliter vel tolerabiliter utentes in obsequium Evangelii rediguntur, ita ut pastorale officium comitentur vel subsequantur non etiam praecedant nec obruant vel extinguant, de quibus et superius tractatum est.

Cap. L.

Quod in utroque templo i. e. non solum in breviore sed etiam in altiore abominatio desolationis steterit materialiter et sic in ecclesia spiritualiter.

Horum sane omnium tempora correctionis sicut extremi quoque judicii diem nostrum scire non est, quae pater posuit in sua potestate. Veniente tamen etiam omnium horum correctionis tempore [3]) saltem tunc quando filius hominis mittet angelos

---

[1]) cod. celeribus.

[2]) I. reg. 15: 23. cf. supra cap. 3. 16 et Pez thes. tom. V. col. 447. 449. 516—518 et saepius.

[3]) tempora cod.

suos et colligent de regno ejus omnia scandala[1]) cum et domus Dei, quae est ecclesia, in antiquae celsitudinis statum reparabitur. Interim vero Domino permittente stare habet abominatio desolationis in loco sancto, maxime autem in templo breviore sexaginta cubitorum altitudinis i. e. in his, qui [2]) animales sunt de ecclesia vel in ecclesia et non secundum evangelicam perfectionem ordinati, ex quorum numerosa multitudine, cum sint quidam in veritate Synagoga satanae, per forensem tamen fidei professionem et quendam justitiae cultum, sine quo in ecclesia portari non possent, circumornati sunt ut similitudo templi.[3]) Sed nec hi, qui apostolicam vitam profitentur in ecclesia ab hac, de qua loquimur, abominatione desolationis perfecte immunes existunt, cum sint et inter tales vel ex talibus Judae proditori, Nicolao fornicatori, Ananiae quoque ac Saphirae similes, qui cum apostolicae vitae magis quaedam purgamenta extiterunt, quam ex corpore sacri illius collegii fuisse comprobentur, de qualibus et Johannes apostolus ex nobis, inquit, exierunt sed non erant ex nobis, non mirum si et in talibus nostro quoque tempore abominatio desolationis locum invenitur. Sic enim in hujus monstruosi mali figuram olim abominandum Jovis idolum non solum in illo breviori templo per Antiochum Epiphanen collocatum [4]) est, quod ibidem per tres integros stetisse annos [5]) refert historia sed et in ipso, quod postmodum in integrum celsitudinis statum per Heroden reparatum est, eadem abominatio desolationis ex Caji Caesaris praecepto illata est, ita ut in eodem ipso templo et Dominus praesentatus sit infans atque adultus docuerit et abominatio quoque desolationis steterit. Sic ergo et in ecclesia Dei non mirum si et optimis pessima permixta sunt, sicut dicit scriptura, quoniam cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino affuit inter eos etiam satan.[6])

---

[1]) Math. 13. 41.
[2]) cod. que, quae.
[3]) Ps. 143. 12.
[4]) cod. collatum.
[5]) cod. in nos.
[6]) Job. 1. 6.

Cap. LI.

Culpatur dualitas sacerdotii non solum in Christianismo sed etiam in antiquo populo.

Sed nec illas ab impietatis mysterio divisiones vacasse crediderim, quae post Herodis alienigenae in regno judaico sublimationem sacerdotii pariter et illius regni factae sunt. Nempe sacerdotii pontificalis apex, qui a temporibus Aaron unicuilibet filiorum ejus usque ad ea tempora successim indivisus ex auctoritate Dei praecipientis provenerat, ut unus apud eos summus sacerdos vel princeps sacerdotum diceretur et esset, abhinc pro humano alienigenae regis arbitrio induos summos dictos sacerdotes distributus est. Unde et illud Lucae Evangelistae testimonium quoniam sub principibus sacerdotum Anna[1]) et Caipha factum est verbum Domini super Johannem Zachariae filium in deserto. Ad quos etiam utrosque primo videlicet ad Annam deinde ad Caipham Dominus Jesus in passione sua adductus coram eis irrisus, sputis illitus et exalapatus est atque ab eis ad Pilatum vinctus adductus. Cujus divisionis in ecclesia et contra ecclesiam Christi complere mysterium ex longo jam tempore satanas molitus est. In qua molitione sua a temporibus Nicolai papae secundi magis prosperatus est. Ex tunc enim, ut supra dictum est, Gregorio VII. Wicpertus, Gelasio Burdinus a regibus herodianae malitiae consortibus superintrusi sunt. Contra Innocentium quoque secundum Petrus Leonis Urbem tenuit quoad vixit in urbe papa nominatus, sed orbis et universitas ecclesiae propter electionis et eligentium potiorem partem in Innocentium consensit. Similiter et Wicpertus atque Burdinus facile a catholicis et ab universitate reprobati sunt, existentibus nimirum causis manifestis intrusionis, pro quibus reprobabiles extiterant. Sic et in ceteris usque ad Cornelium papam, cui praeferre se nitebatur Novatus, quotienscumque divisio et quasi dualitas vel etiam pluralitas Romanorum Pontificum per quascunque[2]) causas vel occasiones emersit, facile fuit ecclesiae reprobare malum et eligere bonum, habenti nimirum causas in promptu

---

[1]) Luc. 3. 2.

[2]) cod. quoscumque.

quibus id facere posset, Et ita non remanente lapide super lapidem, qui non destrueretur, unitas in ecclesia sua et maxime in sede illa principali Deo valde complacita inviolata ac tunica illa inconsutilis inconscissa permansit. Nam quod unum in sede illa prima sedere, immo et unum illum toti ecclesiae praeesse Christus diligat ex eo palam est, quod uni Petro non solum cum ceteris sed etiam prae ceteris ac super ceteros claves regni tradidit: tibi dabo claves regni coelorum et quodcumque ligaveris super terram etc.[1]) Nam dum ei a Domino quodcumque solveris dicitur in universitatem ei potestas traditur. Sane in universitate etiam apostolorum chorus includitur. Unde item ei dictum est a Domino: Tu autem aliquando conversus confirma fratres tuos.[2]) Bona et legitima potestas in fratres, quam non in destructionem sed in aedificationem et confirmationem ipsorum accepit, ne vel fratres infirmare vel hostes confortare sibi a Domino concessum quilibet ejus successor arbitraretur. Sed nec ipsam solvendi et ligandi potestatem indifferenter et pro libitu exercendam accepisse arbitrandus est, sed ut solveret, quae solvenda essent, et liganda ligaret. Quod et si in verbis Domini ad Petrum determinatum non invenitur procul dubio tamen sub tali determinatione data ei ligandi solvendique potestas recte intelligitur. Hoc vero et verba Petri testantur in ordinatione Clementis dicentis hoc modo: Trado ipsi Clementi traditam mihi a Domino potestatem ligandi et solvendi, ut de omnibus quibuscumque decreverit in terris decretum sit et in coelis. Ligabit enim, quae oportet ligari, et solvet, quae expedit solvi, tamquam qui ad liquidum ecclesiae regulam noverit.

Cap. LII.

De abusione potestatis ecclesiasticae.

Itaque dum potestatem sibi traditam tradens non absolute vel utlibet sed determinate tradit sub eadem determina-

---

[1]) Math. 16. 19.

[2]) Luc. 22. 32.

tione se accepisse patenter innuit. Alioquin si absolute acceptam ipse determinate traderet jam non eadam potestas integraliter esset. Jam vero et potestas quaelibet pro libitu solvendi et ligandi tradita magis regibus gentium quam discipulatui Christi foret congrua. Nam de rege babylonico hoc scriptum est dicente Daniele regi Balthasar: Pater tuus quos volebat interficiebat et quos volebat percutiebat; quos volebat exaltabat et quos volebat humiliabat.[1]) Quos volebat, inquit, non quos debebat. Dominus vero in Evangelio longe aliam discipulis suis principandi formam tradidit. Nam praemisso: reges gentium dominantur earum et qui potestatem habent super eos benefici vocantur[2]) legem eis dominandi vel principandi praescribens: vos autem, inquit, non sic, sed qui major in vobis est, fiat sicut junior, et qui praecessor est, sicut ministrator.

Miror [3]) nostri temporis Romanos Pontifices Petri successores in qua potestate eas ne dicam personas sed ecclesias quas volunt, interventu quoque (ut dicitur) pecuniae, exaltent et quas volunt humilient, episcopatus archiepiscopis, episcopis abbatias vel canonias[4]) subtrahant et suo speciali obedientiae, ut datis privilegiis vendicent, quod jam de plerisque factum est et adhuc factitari non desiit, nimirum superbia et avaritia hujus negotiationis fomitem ministrante et ad effectum perducente. Dum enim quilibet abbatum suo subesse fastidiens episcopo tale privilegium a sede apostolica reportaverit et sui episcopi se obedientiae [5]) subtraxerit, hinc jam curritur ab utrisque, tam ab his videlicet, qui injuriam passi sunt, quam ab his, qui se inique episcoporum regimini subtraxerunt, curritur, inquam, ab utrisque ad sedem apostolicam, haud dubium quin majore fiducia ab his, qui injuriam

---

[1]) Dan. 5. 19.

[2]) Luc. 22. 25. 26.

[3]) Quae deinceps sequuntur hinc inde paucis intermissis jamjam publici juris fecit clarissimus D. D. Jodoc. Stülz, Praepositus S. Floriani Canoniae vide Archiv für Kunde österr. Geschichtsquellen. Tom. 20. p. 140—185.

[4]) cod. canonicas.

[5]) cod. obedientia.

inferentes speciales se apostolicae sedis filios gloriantur. Sed nec illi diffidunt, qui cum justa causa majora quoque forte donaria adportaverint. Hinc spoliantur et depauperantur ecclesiae, hinc perpetuae inter subditos et praelatos, inter facientes et patientes injurias inimicitiae et, quod est execrabile simul et miserabile, publicae calamitates in rebus et mentibus multarum personarum et ecclesiarum in lucra cedunt paucorum, ut puta duodecim seu decem aut octo hominum cancellariorum, cardinalium et chartulariorum, quorum implentur marsupia, farcinantur manticae, cumulantur quot centenariis vel milibus marcarum enthecae. Et esset utcumque malum tolerabile, si taliter congesta pecunia vel bene expenderetur in sanctos videlicet et ecclesiasticos usus, nimirum quomodo loculorum dominicorum pecunia bifariam sancte expensa est, qua vel aliquid in diem festum emebatur ex ea vel egenis dabatur sicut beati quoque Papae Gregorii pecunia sancte et pie expensa est, de qua Romae tria milia virginum pascebantur sub regula exceptis Dei famulis longe vel prope positis. Si, inquam, taliter expenderetur pecunia curiae utcumque illata esset malum tolerabile et gementes taceremus; nunc autem ex ea exaltantur et ditantur cognati vel dum in majorem dignitatem oportunius expendenda servatur aerugine consumitur vel fures eam et effractores furantur aut certe alienis relinquitur.

Cap. LIII.

De avaritia Romanorum civium.

At Romano Pontifici aliislibet sibi thesaurizantibus liberam vel quietam suam habere enthecam non conceditur. Vix enim tantum in eam totus orbis congerit quantum ex ea sumere Romanorum civium avaritia concupiscit et est puteus ille inexplebilis plus illis exhaurientibus quam de toto orbe manus afferentium infundant. Excepto enim eo, quod Romanus Pontifex recens ordinatus, dum ei fidelitatem jurant, circa undecim milia talentorum Lucensis monetae, quasi loco beneficii expendit, novas ei parrochiani sui Romani causas pene semper dandi et sibi accipiendi

exquirunt. Propter hoc vicinas civitates quasi beato Petro adversarias bello tentant, sopitas et inveteratas injurias suscitant, intra ipsam civitatem vel pro Papa vel contra Papam aliquas pene semper motiones excogitant, ut dum semper eorum quasi auxilio indigeat semper et ipse expendat ac semper ipsi accipiant. Dumque entheca, quod frequenter contingit, penitus exhausta fuerit bene ei facere volunt pecunias accomodantes, quas iidem ipsi ab eo recipiant. Quod si inter haec contentio inter duas ecclesias praedivites de primatu vel archiepiscopali [1]) sede, aut etiam de terminis emersa fuerit, non mirum si hi, a quibus multa exiguntur et qui forte aere alieno obligati [2]) sunt, ampliorem retia sua laxabuntur in auri et argenti capturam? Contigit tamen aliquando piae memoriae papa Eugenio praesidente, ut sagmarii duorum praedivitum archiepiscoporum, videlicet Coloniensis et Moguntini, onusti redirent a Roma. Quorum unus videlicet Coloniensis, quoniam deteriorem causam habuit, pro qua et depositus est, ab ejus pecunia abstentum est. Alter vero, scilicet Moguntinus, in misericordia [3]) emendatus est, sed ne acceptione pecuniae delata in eum clementia videretur, dictum est et illi, cum quali veste introisti cum tali exeas. Sed hoc factum quanto rarius illi urbi tanto in sancto viro papa Eugenio praeclarius et jure non parvi miraculi obtinet dignitatem, ita ut in ejus laudem vere dici possit: Beatus vir qui post aurum non abiit nec speravit in pecuniae thesauris. Quis est hic et laudabimus eum; fecit enim mirabilia in vita sua. Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit.[4]) At hoc, ut dixi, quia valde rarum et pro raritate [5]) miraculi obtinet dignitatem majori usui plurimorum hoc singulare opus unius viri non praejudicat, quominus avaritia apud eos in capite sit.

---

[1]) cod. archiepalim.

[2]) cod. abligati.

[3]) cod. midia, Stülz. midia misericordia.

[4]) Eccli 31. 8—10.

[5]) cod. raditate.

Cap. LIV.

De fastu legatorum Romanae ecclesiae.

Hoc nempe testantur et legati eorum etsi non dictis, factis tamen evidentibus. Etenim cum domi manentes se mediocriter transigant paucisque pro facultatis modo ministris contenti sint, mox ut cuique talium in terras extraneas legatio injuncta fuerit, statim adscitis sibi undecumque personis et conquisitis equitaturis curiam ordinat alios dapiferos, alios pincernas, alios camerarios, marschalcos instituens; qui dum et ipsi necessarios sibi clientes et servos subordinant fit equitatus non modicus vix circiter quadraginta aut eo amplius equis se moderans, ut ne dicam pauperiora vel mediocria coenobia sed ne praedivitia [1]) quidem, vix autem episcopi et principes eorum multitudini ad voluntatem servire sufficiant. Quod si minus laute et accurate et non per omnia ad placitum eis servitum fuerit, pro modico defectu, forte luminis aut annonae equorum minus sufficienter ad eorum placitum ministratorum, persaepe patrem coenobii aut in ultimo loco collocant aut administrationem ei regiminis interdicunt, donec modicum detrimentum vel defectum pondere centuplicato recompenset sicque in gratiam revertatur.[2]) Quod si eis moram in aliqua civitatum facere contigerit, dum proxima et civitati adjacentia claustra datis servitiis exhausta fuerint, per nuntios remotiora invisunt, ita ut circumjacentes quoque episcopatus nec solum conterminos sed etiam remotiores eorumque coenobia usque per octo dietas visitare non pigritentur, ipsi quoque visitationes mutuas episcoporum et abbatum per se ipsos vel per nuntios exigentes aut si factae non fuerint cum omni auctoritate et imperio arguentes et in aliquos officiorum suspensione usque ad satisfactionem vindicantes. Omnia haec oculis nostris perspeximus et auribus audivimus et regiones nostrae perpessae sunt de verbo fastus et avaritiae Romanorum legatorum euntium et redeuntium vel moras agentium.

---

[1]) cod. praedicia.

[2]) cf. de quart. vig. noct. nro. 12.

Cap. LV.

De modestia quorundam legatorum Deo et hominibus acceptorum.

Et hic quidem fastus legatorum modernis accrevit temporibus. Nam vidi ego temporibus adolescentiae meae majores de curia Cardinales Gerhardum sanctae crucis [1]), qui postea Lucius Papa factus est, itemque Martinum beatae memoriae singulos novem tantum [2]) aut circa decem equos in comitatu suo habentes, qui tamquam vere cives sanctorum et domestici Dei portantes pacem et illuminantes patriam gaudium civitatibus ac coenobiis venientes invexerunt et benedictionem reliquerunt abeuntes. Sed quoti fuerunt hi suo tempore aut hodie similes eorum, quot arbitrabimur reperiri ad multitudinem aliorum, quae sua sunt quaerentium non quae Jesu Christi. [3]) Quod eo minus miramur siquidem et apostolus Paulus paucos habuit Timotheo similes, videlicet tam sibi unanimes, qui sincera affectione pro ovibus solliciti fuissent, multos vero querebatur subdolos transfigurantes se in apostolos Christi [4]) et ministros justitiae, cum ministri fuissent satanae, inimicos crucis Christi, quorum Deus venter erat et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiebant. [5]) Ipsorum quoque discipulorum Domini cum multi abiissent retro pauci admodum, soli videlicet duodecim, cum eo relicti sunt, ex quibus adhuc unus diabolus erat, dominicorum loculorum fur ac salvatoris omnium traditor. Similiter et Elias propheta solum se ex prophetis Domini relictum queritur cum prophetae Baal quadringenti quinquaginta itemque prophetae lucorum quadringenti fuissent de mensa Jezabel panem comedentes. Quid ergo mirum si et nostro in tempore tam in urbe quam in orbe paucitas est verorum Christi discipulorum, qui apostolis et antiquis illis veris

---

[1]) vide de ord. don. Sp. s. nro. 2.

[2]) cod. tamen.

[3]) desunt sequentia usque ad cap. 56. apud Stülz.

[4]) II. Cor. 11. 13.

[5]) Phil. 3. 18.

Christi discipulis sicut officio ita et moribus ac pastoralis curae vigilantia successerint, sincera pro ovibus affectione solliciti? Sane multitudo invenitur eorum, qui magis praeesse quam prodesse, magis pastores dici quam esse curent. Qualibus dici conveniat a Domino: venistis ad me non quia signa vidistis sed quia manducastis de panibus meis.[1]) Talibus amicis mensae committi ecclesiam, cum ubique damnosum sit, in urbe, quae caput est orbis, tanto damnosius, quanto ad ejus sedis antistitem ab omnibus ecclesiis appellare licitum est et quasi ad asylum ex toto orbe oppressos confugere.

Cap. LVI.
De appellationum abusione atque abusivis appellationibus.

Videamus autem in quem[2]) perversum usum etiam appellationis remedium derivatum est. Apellant namque flagitiosi et facinorosi, si forte pulsati fuerint, non quod se inique gravatos sentiant sed ut peccandi sibi vel ad tempus impunitatem redimant; appellant, quique volunt, ante auditam vel datam sententiam, scientes appellationem qualitercumque ad sedem apostolicam factam Romanis non esse ingratam. Nec satis jam est appellationis interpositione quosque sibi peccandi tempus redimere, insuper et cornua adversum eos, a quibus pulsati fuerint vel etiam contra judices, coram quibus pulsantur, erigunt sub falsa quadam appellationis imagine eos ad apostolicam sedem provocantes. Appello, inquiunt, te ad Romanum Pontificem, ut illo vel illo die coram eo mihi de injuria illata respondeas. Quae verba eis scripta porrigunt, ut majorem terrorem suis appellatis incutiant, ad instar videlicet aselli pavidum pecus pelle leonis territantis. Ita non satis est, appellationem iniquis et malefactoribus ad male agendum patrocinari nisi et cogant appellationis imaginaria specie proprios judices et episcopos, etiam quotquot graves personas judicio cooperantes, grandi via laborare. Sic enim quasi appellati plerique non

---

1) Joan. 6. 26.
2) cod. quam.

supersident, non quoniam eis falsas appellationes spernendi prudentia desit, sed quia timent in se a Romanis Pontificibus velut in contemptores [1]) vindicari, quod et saepe factum est. Ita appellationum non solum usus in contrarium versus est sed etiam nomen ipsum in alienam significationem violenter detortum.[2]) Nam cum dicere liceat gravatis audita vel data sententia, quia sentio me gravari tali sententia illum vel illum judicem appello, sicut Paulus coram judice Festo et rege Agrippa timens donari Judaeis Caesarem, inquit, appello [3]), quod ego non aliud esse putaverim quam dixisset; Caesarem in causa mea nomino, coram illo et non alias responsurus, nihil enim est aliud apello quam nomino, cum, inquam, pro incerta gravationis causa et legibus praescripta verborum formula et verborum significatione antiquitus instituta liceat appellare; isti pro nulla causa formula quoque verborum neglecta, quin etiam verbis in alium usum transsumptis, non tam appellant quam appellasse videri volunt, ut eis quos suos dicunt appellatos et dispendia rerum et fatigationem corporum aut, quod est gravius, Romani Pontificis indignationem supersedentibus inducant. O vos contemnendi judiciorum justorum contemptores et iniqui appellatores, quis vobis ausus, quae licentia verba de usu propriae significationis in alienam significationem transferendi? Sic enim intelligi et hoc significare vultis dicentes: appello te ad judicem illum, quomodo si diceretis, provoco te ad illum. In quibus, quaeso, grammaticorum vel rhethorum scholis hunc tropum didicistis, ut pro verbo quod est provoco, appello ponatis, aut quale huic tropo nomen ponitis, quem ignorandi et ignorantes contra omnem latinitatis usum, contra legistarum omnium doctrinam de corde vestro coeco et fatuo confinxistis? Aut vos Romani, qua fronte in talium pseudoappellationum contemtores vindicatis, quas, si confiteri velitis, penitus spernendas esse cognoscitis? Numquid simplicium ignorantia ac timidorum inconstantia vestraque potestate in malum vobismetipsis abutimini, ut comedatis agnum de grege,

---

[1]) cod. incontentores.

[2]) Sequentia usque ad „numquid simplicium“ desunt apud Stülz.

[3]) act. 25. 11.

immo vero ut aurum et argentum vobis multiplicetis et Dominus videns haec non judicabit? Iudicabit plane justitias sed cum acceperit tempus, videlicet cum vestrae iniquitates fuerint completae. Quas ego vel jam completas vel de proximo completum iri arbitror. Gravatur enim jam ecce universa terra, fastum et avaritiam Romanorum ferre non sustinens.[1])

Cap. LVII.

De exortu novi schismatis.[2])

Unde mihi videtur hoc ipsum esse de judicio Dei ultra iniquitates ipsorum sustinere non valentis, quod nostro in tempore in Romana ecclesia talia erumpunt schismata, qualia non sunt audita nec visa in illa praesertim ecclesia ex quo christiani esse coeperunt. Non nunc de haeresibus loquor, quae catholicam impugnaverunt hactenus veritatem sed de schismatibus, quae catholicam dissipant unitatem. In quolibet autem schismate, quod ad nostra usque tempora catholicam scindere moliebatur unitatem, facile, quod supra quoque docuimus, erat discernere quaenam pars in catholicam esset ecclesiam et quae in haeresim reputanda, existentibus nimirum causis manifestis, pro quibus haec cuilibet catholico acceptanda altera vero detestabilis existeret, sicut in Wicpertiniano eodemque Henriciano et Burdiniano etiam ipso Henriciano nec non in Petrileonino schismate advertere promptum est. At nunc in schismate de electione Romani pontificis exorto, quod jam non solum urbem sed et Romanum vexat orbem, ita contentiose invicem partes utraeque convertant, tantaque se multitudine hinc inde muniunt, ut cum duo sint Romani Pontifices dicti et consecrati non facile, nisi a valde prudentibus viris et nihil in

---

[1]) Glossa marginalis ab anno 1525 in margine codicis adjungit: Modo completa est iniquitas.

[2]) Vide hoc capitulum editum: Gretseri S. J. Opera omnia. Ratisbonae MDCCXXXV. tom. VI. p. 586.

causam praeter veritatem quaerentibus, adverti possit, quis inter duos electos et consecratos pro papa catholico assumendus et diligendus et quis pro schismatico odiendus aut saltem quis e duobus sustinendus quisve contemnendus sit.

Etenim obeunte papa Adriano [1]) cum ad eligendum Romanum Pontificem episcopi ac presbyteri, diacones aliique sanctae Romanae ecclesiae Cardinales convenissent et singulorum voluntates secreto ab his, quibus id injunctum fuerat requisitae fuissent idque quod inventum et scripto notatum fuerat in medium idem ipsi protulissent: major et potior apparuit numerus cardinalium, qui in Cancellarii Ruolandi electionem consenserant. Nam paucis valde in electionem Octaviani aliquibus etiam in magistrum Bernhardum [2]) eligendum complacuit. Dumque ageretur cum eis quatenus se ad majorem numerum cardinalium colligerent, eo quod tres Papae esse non possent, hi, qui magistrum Bernhardum nominaverant, ab ejus nominatione recesserunt et ex eis aliqui se in electionem cancellarii junxerunt, aliqui vero etiam ambigue se ad Octaviani et cancellarii electionem habuerunt, ita ut ad utrumque devotionem suam ostenderent, quilibet ex his duobus salva pace et unitate eligi potuisset. Et jam numerus cardinalium, qui in Octavianum sive omnino sive cum tali ambiguitate consenserant usque ad septem excrevit.sed nimia erat etiam in his paucitas comparatione numeri eorum, qui in electionem Roulandi cancellarii consenserant. Igitur et cum his agi studiose coepit, quatenus a parte illa sua modica recedentes ad universitatem se colligerent et obtentum est usque ad tres, quorum unus erat Johannes Pisanus, alter Guido Cremensis, qui contentiosius ajebant et instabant dicentes se numquam ab Octaviani electione recessuros. His tertius adhaesit Tusculanus. Et hi tres quartum Octavianum Papam facere moliti sunt. At universitas Cardinalium tres istos nec partem dici posse reputantes suum electum, cancellarium videlicet Rulandum, in Papam

---

[1]) 1. Sept. 1159.

[2]) De hoc Bernardo Portuensi Episcopo vide epist. Eberhardi Epi. Babenbergensis ad Eberhardum archiep. Salzburg. Gretser Op. omn. tom. VI. p. 576. nro. 37.

elevare tentaverunt oblato ei, ut mos est, per archidiaconum manto, rubea videlicet illa cappa, quae insigne papale est. Quam ille vestem aliquamdiu pro humilitate sua renueret suscipere tandem vero precibus fratrum exoratus animum et caput ad suscipiendum inclinaret Octavianus manibus uti coepit, rapiens mantum de manibus offerentium et desuper collo et capite ejus, qui fuerat induendus et sic inter manus hinc inde trahentium mantus discissus est. [1]) Ipse vero Octavianus alium mantum de sua domo allatum ac praeparatum offerente sibi suo capellano vestitus est atque in eminentiorem ascendens locum clerum advocat, qui semotus in parte ecclesiae beati Petri finem rei expectabat, ut quem electio sublimasset ei ipse debita reverentia acclamaret. Hic itaque clerus accurrens ubi Octavianum in rubea cappa vidit electum unanimi fratrum assensu credidit et ei velut electo acclamavit. Sed et fores basilicae disclusae sunt et introgressi cives romani, ut erant armati, etiam ipsi Octaviani electioni acclamare coeperunt omnia putantes esse peracta in pace. At vero Domini Cardinales cum suo electo videntes quae fiebant in partem se receperunt sanctuarii deinde intra munitiunculam, quae est supra sanctuarium, se incluserunt ibidem per novem dies expectantes, donec tandem securitate accepta per cives romanos extra urbem educti sunt, ubi libertate sua potiti electum suum levaverunt et eum papam Alexandrum nominaverunt, quem et mox hi, quorum id juris ac privilegii erat cooperante sibi frequentia Dominorum Cardinalium cum omni solemnitate consecraverunt, qui etiam consecratus Octavianum tamquam schismaticum cum suis principalibus fautoribus excommunicavit. At vero Octavianus datam in se spernens sententiam, cum non haberet legitimos consecratores, a Tusculano,[2]) quem solum habuit ex cardinalibus, et ab aliis duobus ex provincia conquisitis manus sibi tandem post mensem fecit imponi, quo facto suos etiam ipsos excommunicatores excommunicare praesumpsit.

Et quis sapiens, veritatem et judicium in hac controversia

---

[1]) Notat hic manus ab anno 1525 (forsan Aventini) in margine codicis: U t i n a m t o t u s a b l a t u s f u i s s e t.

[2]) cf. Pertz Monum. Tom. IV. Legum T. II. p. 126.

quaerens, non facile deprehenderet causam Alexandri esse meliorem? Sed eversor pietatis et justitiae diabolus per suos satellites ad callida argumenta convertitur, [1]) excogitans qualiter lucem tenebras ac tenebras lucem poneret, qualiter partem Alexandri infirmaret ac suae robur acquireret eaque esset ei utilitas, ut ecclesia Christi scinderetur. Quia enim in electionis et consecrationis ratione pars Octaviani se vidit et agnovit inferiorem quibusdam adinventionum cuniculis partem Alexandri coepit infamare, non jam electioni ejus derogans vel consecrationem profanans, quae suis rationibus secundum canones constabant, sed personas electi et eligentium apud augustale imperium reos majestatis sugillans, quatenus et sibi imperii clementiam conciliaret et adversae parti majestatem offensam redderet. Unde et primo mussitare deinde vero apertis vocibus clamare coeperunt ac dicere, numerum de parte Alexandri Cardinalium spernendum esse propter conspirationis notam, quae se notabiles ipsi reddiderint. Duplicem autem eis conspirationem vel conjurationem objiciunt, unam qua [2]) contra augustale imperium Friderici imperatoris et contra laudamentum in verbo Domini factum, adhuc vivente papa Adriano, cum Siculo Willehelmo et Mediolanensibus aliisque inimicis imperii foederati sint; secundam qua, ut easdem contra imperium conceptas inimicitias ad finem usque destinatum perducerent, inter se sacramenti firmitudine convenerint decedente papa Adriano non alium se in papam electuros, nisi qui ejusdem conjurationis consors extitisset. Verbum autem conspirationis pecunia Siculi et Mediolanensium coemptum hoc esse dicunt: quatenus imperatorem Fridericum excommunicarent et absque consilio Willehelmi Siculi et Mediolanensium numquam absolverent.

At cum dicunt eis hi, qui nondum in hanc vel illam partem accesserunt, quatenus probent quae dicunt respondentes: quomodo, inquiunt, contra eos probare quid possumus, qui omnem ecclesiae audientiam subterfugiunt vel exagitati malae stimulo conscientiae

---

[1]) Glossa marginalis ab anno 1525. Diabolus praecipuus elector papae.

[2]) cod. quam.

vel fastu decepti superbiae? nam sicut qui male agit odit lucem (ut) non arguantur opera ejus, [1] ita, inquiunt, etiam istorum superbia odientium [2] veritatem ascendit semper, ut male agentes ipsi proprii facti arbitri esse velint. Numquid, inquiunt, non superbiam spirat, quod invitati ad synodum Papiae episcoporum aliorumque ecclesiae praelatorum quos imperatoris Friderici ecclesiastica ac pia diligentia congregaverat, non solum non venerunt sed et respondentes superbiae dixerunt, se, quorum esset de omnibus judicare, nullorum mortalium judicium subire velle aut debere? At noster, inquiunt, papa Victor agnus mansuetus ad concilium episcoporum venit et causam suam examinandam judicio ecclesiae commisit, ubi et ordine electionis et qualiter in ecclesia b. Petri ipse nullus alius inmantatus et inthronizatus est diligenter exposito videlicet sub jurisjurandi probabilium sacerdotum et aliorum qui interfuere clericorum attestatione semota omni laica violentia seu judicio in papam catholicum ecclesiae catholicae a quinquaginta episcopis et aliis religiosis patribus, qui eidem interfuere concilio, agnitus et confirmatus est. Ubi et ille, inquiunt, schismaticus Rulandus, qui duodecimo post Papae Victoris electionem et inmantationem die apud Cisternas intrusus est ab ipso Victore papa et universo concilio, tribus dumtaxat se subtrahentibus episcopis, excommunicatus est. Haec dicunt simul et litteras quasdam pridem a papa Adriano, alias etiam postmodum ab Alexandro ad inimicos imperii quasi directas in testimonium factae contra imperium conspirationis proferunt. Factae autem ejusmodi conspirationis etiam se ipsos testes proferunt duo illi cardinales, qui octavianae partis sunt, utpote qui, sicut ipsi fatentur, ejusdem conspirationis socii extiterint et participes illius male datae et acceptae pecuniae impunitatem sibi super hoc ipso apud imperium promittentes, eo quod legibus imperatorum in crimine laesae majestatis proditoribus etiam sociis criminum non solum impunitas promittitur sed etiam ad testificandum contra socios criminum admittuntur. Sed non sic ecclesiasticae leges cen-

---

[1] Joan. 3. 20.
[2] Ps. 73. 23.

sent, quae apud clerum potiorem locum obtinent,[1] utpote quae nimini de se confesso super alieno crimine credendum esse judicant. At illi contenebrati et leges ecclesiasticas minoris habentes in suo destinato permanent ac dicunt etiam non fuisse liberam nec puram in Alexandrum factam electionem, quae inter solos duodecim Cardinales conjurationis socios non sine pretii interventu coarctata sit etiamsi prior extitisset.

Cap. LVIII.

Quid pars Alexandri contra Octavianum dicat?[2]

At vero hi, qui de parte Alexandri sunt, magnas etiam ipsi et graves causas electioni in Octavianum factae opponunt. Primo videlicet de manto, quod Rulando canonice electo a Romanae ecclesiae archidiacono oblatum, cum eum ad horam renisus ac tandem consentiens indui coeperit Octavianus propriis manibus de collo ejus sacrilegus rapuerit, quodque alio manto de domo sua allato ipse a propriis capellanis ausu sacrilego vestitus sit. Ajunt praeterea, quod a duobus solis cardinalibus, per spiritum contentionis assumptus, legitimos consecratores et antiquitus propter schisma cavendum institutos non habuerit, sed post consecrationem Alexandri per legitimos factam episcopos ipse integro fere mense interposito a duobus solis comproviucialibus episcopis emendicatis non tam consecratus quam dissecratus sit. At hi qui de parte Octaviani sunt, pro duobus solis, quod eis objicitur, cardinalibus electoribus tres exhibent, quos etiam quamvis pauciores numero saniorem fatentur partem, eo quod a conspiratione illa, quam dicunt, immunes libertatem electionis habuerint, aliorum vero cardinalium numerum nullum reputant, quos nota[3] ejusce conspirationis vel conjurationis resperserit, quos eadem quoque conjuratio libertatem et puritatem in eligendo habere passa non sit, sed eos,

---

[1]) cod. obtinet.

[2]) vide apud Gretser Op. omn. tom. VI. pag. 587. 5.

[3]) cod. notam.

ut dicunt, ad unum de solis conjuratis vel confoederatis eligendum constrinxerit.

Cap. LIX.
De magnitudine partium.

Ita hinc inde partes et causae verae seu fictae confligunt coram summo rege Christo ac si videas duas mulieres unam veram et alteram falsam matrem coram rege Salomone de puero contendentes, quarum una dicat: filius tuus mortuus est et filius meus vivit [1]) et altera respondeat, mentiris, filius quippe meus vivit et filius tuus est mortuus. Et continet se rex noster verus Salomon super his et peccatis nostris exigentibus nondum manifestum vel rebus ipsis vel per ora fidelium suorum fecit aut protulit judicium, ita ut dixerit: date huic infantem vivum et non occidatur, haec est enim mater ejus, sed adhuc usque rebus quasi loquitur et dicit: dividite infantem vivum et date dimidiam partem uni et dimidiam partem alteri. Videmus enim jam orbem in una fide catholica, Romanae ecclesiae filium, quae nunc peccatis nostris exigentibus quasi in duas matres divisa est, etiam ipsum incipientem dividi et in duas partes conscindi, jamque dimidiam partem uni et dimidiam partem alteri matrum obtingere, ita ut neque hic neque illic Christus integer [2]) constanter inveniri aut teneri valeat. Quarum divisionum partes si invicem quasi in statera penses, ut eam [3]) quae major vel potior inveniatur, pro catholica teneas utrobique regna et regiones atque provincias et reges partium tutores invenies, utrobique metropolitanos et episcoporum aliorumque patrum multitudinem agnosces. Et cum magni ponderis sit et esse debeat apostolicarum sedium judicium in

---

[1]) III. reg. 3. 16.

[2]) Hic notatur in margine codicis: 1525. Si modo viveres integer vir Gerhohe diceres Christum omnino ablatum a Roma.

[3]) cod. ea.

omni controversia ecclesiasticorum judiciorum atque causarum dubiarum, earum praesertim quae universitatem contingunt et in quibus de catholica veritate vel unitate disceptatur, unde ait pater Augustinus, quoniam quisque catholicus securus illam partem detestatur cui catholicam ecclesiam apostolicis sedibus roboratam non communicare cognoscit. Cum igitur, ut dictum est, apostolicarum sedium, quae sunt Antiochena, in qua primo sedit Petrus Apostolus, et jerosolymitana, cui praefuit Jacobus Apostolus, magni ponderis sit et esse debeat in universalibus ecclesiae causis judicium tamen et aliarum ecclesiarum vel praesulum judicium ajunt, qui pro parte Octaviani sunt, ubi concordia suffragatur plurimorum spernendum non est, qui quanto causas ipsas de viciniori noverunt, tanto de eis judicium aequius ferre possunt. Et haec dicunt pro eo vel potius contra hoc quod Antiochena et hierosolymitana ecclesiae favere dicuntur partibus Alexandri, quae causas, ut ajunt, utriusque partis utpote transmarinae de longinquo per internuntios et litteras noverunt aut forte unius solum partis maritima et portus tenentis allegationes per litteras agnoverunt, alterius minime. Sicut nos quoque, inquiunt, Victoris et eorum, qui cum eo sunt, allegationes ore ad os cognovimus et quasi manibus in Papiensi [1]) concilio pertractavimus, aliorum vero allegationes per litteras tantum, et ipsas aliis directas, agnovimus eo quod invitatis utrisque partibus ab imperatoria majestate ad concilium papiense, semoto omni saeculari judicio, celebrandum una, Alexandri videlicet, pars se concilio subtraxit non quin sufficiens ei securitas veniendi et asserendi, quae vellet, data de parte imperatoris fuisset, sed quia sibi, ut ajunt, sufficiens in se visa est et quae cum de omnibus haberet judicare concilii subire non deberet judicium.

Non sic Dominus, non sic. Qui cum de resurrectione dubitaretur a discipulis apud quos etiam verba mulierum resurrectioni ejus attestantium quasi deliramenta visa sunt, non inquam sic Dominus discipulorum conventui in infidelitate prostrato praesentiam suam subduxit sed stans in medio eorum omnibus eis se ipsum non solum videndum sed et palpandum exhibuit dicens:

---

[1]) cod. papapiensi.

Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere.[1]) Qui et se in via discipulis duobus ambulantibus junxit, coram quibus, etsi se longius[2]) ad tempus finxit ire, intravit tamen cum illis et in fractione panis agnitus est. Sed neque unum discipulorum Thomam in infidelitate relinquere voluit, quin potius vulnerum suorum cicatrices ei palpandas offerens infidelitatis non solum illius sed nostrae quoque dubietatis in eo vulnus sanavit. Cur igitur non eum Alexander imitari volui [3]) cujus dum papatus phantasticus non sit, quare se ecclesiae in concilio adunatae videndum et palpandum non praebuit, dicens, palpate et videte, quia electio papatus mei carnem et ossa habet, ossa nimirum in spiritualium collaudatione, carnes vero in populi Romani acclamatione? Quare videns lupum fugit, qui se pastorem legitimum, alium vero lupum agnovit? Quare non potius Paulum apostolum imitatus est veniendo vel idoneos legatos ad concilium et causam suam exponendo, sicut ille ascendit Jerosolymam[4]) ad apostolos et contulit cum eis evangelium, quod praedicabat in gentibus, ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset? Cur non imitatus est Petrum principem apostolorum, submittendo se judicio inferiorum archiepiscoporum videlicet et episcoporum aliorumque ecclesiae patrum, siquidem ille ubi non recte ambulavit ad veritatem Evangelii non recusabat de se judicium se arguentis Pauli[5]) apostolorum minimi? Quod si causa ejus, electio videlicet in eum facta, coram concilio allegatione conveniente exposita ab eodem concilio probata et confirmata fuisset gaudium provenisset ecclesiae universae, pax et unitas et concordia schismate penitus excluso. Sic enim Victor ad concilium venit, ut causam suam episcoporum judicio absque retractione submitteret. Quod si Alexander idem fecisset, quid nisi unitas schismate submoto provenisset? Insuper vero et hoc temporalis emolumenti

[1]) Luc. 24. 39.

[2]) Luc. 24. 28.

[3]) Glossa marg. ab ao. 1525: Gerhohe! Dignior ambobus illis officio papali fuisti qui protulisti sententiam.

[4]) Gal. 2. 2.

[5]) Gal. 2. 11.

commodum subsecutum fuisset, quod quilibet e duobus in papam ab episcopis recognitus et ab imperatore notificantibus episcopis fuisset receptus mox et in patrimonia beati Petri tamquam sponsus legitimus in sponsae bona fuisset introductus vel intromissus, ut non necesse haberet stipendia papatus sui vel gladiis pugnando vel undecumque mutuando et expiscando conquirere, aut certe, quod est durius, licet secundum Deum tutius, in nomine et dignitate sublimi victu cottidiano destitui et ad ultimam immo et infra ultimam mendicitatem redigi. Melior est enim pauper et mendicus sufficiens sibi quam vir gloriosus et indigens pane.[1]) Immo vero pater Augustinus testatur, melius est minus egere quam plus habere. Quae sententia si in omni genere hominum vera, immo quia generaliter vera est, quanto melius et rectius in homine Christi sacerdote est minus egere vel habere, quam stipendia sacerdotii sui et debita gladiis non legitimae sed usurpatae atque extraneae potestatis pugnando vendicare? Hoc enim vel maxime in Alexandro ex his, quae ad faciem sunt, reprehensioni ducitur, quod sub vexillo Siculi Willehelmi praedia b. Petri expugnare sibique vendicare perhibetur. Nam verbum nefandi illius pacti, quod cum eodem Willehelmo et Mediolanensibus in occulto contractum dicitur, non facile de tam sapientibus viris credendum est, maxime si id quod ecclesiam Christi super eodem verbo scandalizat, quodque principum iram provocat pro ecclesiae pace reformanda solemni negatione a se propellere non dedignentur.

Cap. LX.
De concilio Paviae celebrato.[2])

Sane quod b. Petri praedia sibi vendicat hoc facit, ut aestimo, de justitia et innocentia sua confidens, qua et confidentia sententiam concilii Papiae celebrati in irritum ducere videtur, in quo

---

[1]) Prov. 12. 9.

[2]) Nonis Februarii MCLX. Chron. Reichersberg. ad hunc annum; vide etiam epist. Alexandri papae Gretser VI. 578. nro. 43.

nimirum concilio electio in Octavianum facta confirmata est, maxime quod idem Octavianus eidem concilio praesentiam suam exhibuerit et quia a sanioris licet paucioris numeri parte Cardinalium, ut ajebant, electus ac prior inmantatus atque inthronizatus sit et a romanis civibus papa clamatus nec non a maxima parte Romani cleri papaliter salutatus. Electio vero in Rulandum cancellarium facta in eodem concilio cassata est, maxime quia nec praesentiam suam concilio exhibuit nec per legatos idoneos concilio ordinem electionis suae exponere curavit et quia notam infamiae super verbo illo conspirationis nec per se nec per legatos depulerit. Aderant tamen satis vicini, in civitate scilicet Janua, duo legati Romanae ecclesiae ab Alexandro et cardinalibus in hoc opus missi, sed illi, ut dicebatur, praesentiam suam concilio exhibere noluerunt nisi eis in eodem concilio locus praesidendi concederetur, quod verbum a concilio receptum non est, maxime quia propria ipsorum causa erat in eodem concilio ventilanda. Sed neque Octavianus consultationi concilii interfuit, sed quando in ejus electionem a concilio, tribus exceptis episcopis, consensum est, tunc primo in concilium introgressus est.

Cap. LXI.

De concilio apud Tolosam celebrato, ubi pars Octaviani damnatur.[1])

Interim vero dum haec scribimus et ad praeferendam partem Victoris pro reverentia maxime concilii Papiae celebrati articulum jamjam fere inclinamus, eo quod eidem concilio Victor praesentiam suam humiliter exhibuit, Alexander vero quasi judicium humanum dedignans aut forte, quod est credibilius, suspectam imperatoris, quem ipse in aliquo offenderat, habens praesentiam semetipsum causamque suam [2]) eidem concilio credere noluit aut quia Octavianum qui causam suam concilii cognitioni offerebat auditione, juxta

---

[1]) Notat Stülz. Spätestens im Herbste 1161. S. Damberger Synchronist. Geschichte VIII. 732. Vide hoc, sequensque cap. Gretser. Op. omn. Tom. VI. p. 588.

[2]) cod. praes. suam sem. causam. suam.

Nicolai papae statuta, indignum censebat atque idcirco ubi ille audiendus adventabat illic se ipse subtrahebat, dum inquam pro causis praelibatis jamjam Victoris pars in mentis nostrae trutina vincere ac praeponderare inciperet, ecce alii ac novi rumores per certos internuntios advolitant, in occiduis partibus, regno videlicet Franciae, civitate Tolosa celebratum esse concilium, cui centum partes inter[1]) episcopos abbates interfuerunt una cum regibus Franciae et Angliae, quorum studio iidem patres[2]) convocati convenerunt, ubi et Octaviani, quem Victorem dicunt simul et Alexandri Papae atque imperatoris augusti Friderici nec non et regis Hispaniae legati aderant. Illic sane utriusque partis defensoribus sufficienter auditis eidem concilio tandem in Alexandrum complacuit; Octavianus vero, qui et Victor ab universo concilio cum suis principalibus defensoribus excommunicatus est.

Cap. LXII.

Desiderium concilii generalis.

Atque utinam sicut idem concilium celebratum ac tali fine terminatum certissime novimus, item in eodem concilio quaestionem de conspiratione, quae electioni in Alexandrum factae ab adversariis appingitur, canonice succisam audiremus et sic esset soluta omnis dubitatio inter duos illos nemine ignorante partem Alexandri esse acceptandam, quae cum esset a nota ejusmodi pura merito robur acciperet, cum de majore numero cardinalium eligentium tum etiam de legitimis personis ordinatorum accedentibus quoque ad ejus electionis consensum sedibus apostolicis videlicet Antiochena et Jerosolymitana ecclesia, quae solae una cum Romana apostolicas sedes simul et litteras accipere meruerunt cum tanta multitudine capitum ecclesiae ac sapientum in jam dicto concilio congregatorum. Oportuerat namque ut conspirationis illius contra imperium, ut dicitur, per pecuniam Siculi et Medio-

---

[1]) sic codex.

[2]) cod. idem partes.

lanensium factae nota immanissima, sicut in alio concilio clamata ac diffamata fuerat, ita in isto subsequente fuisset expiata, ne cum cetera salva videantur hoc solum relictum esset scandalum, pro quo non solum pusilli vel pauci sed et magni ac magnorum et pusillorum non contemnenda multitudo ab electionis in Alexandrum factae atque ab hujus concilii confirmatione resiliendum vel differendum existimant, exspectantes ac desiderantes adhuc generalius concilium ex unanimi consensu et convocatione regum in unum congregandum. Potens enim est Deus concordiam facere in sublimibus suis regibus ac principibus sine quorum consensu ac studio unanimi in hoc tempore schismatis generale fieri concilium non posse manifestum est, Est etenim scandalum ejusdem conspirationis seu fictae seu factae tantum ac tale, ut nec secure a fidelibus contemni nec absque concilio generali tolli de medio posse videatur.

Nam si id soli inimici et adversarii Alexandri dicerent et ipsi contra quos dicitur, prout oportuerat, solemniter negarent aut certe factum suum justificarent aut, quod justificari non posset, mutarent seque ab amicitia Siculi et Mediolanensium, quibus contra imperium seu contra collaudamentum imperatori factum foederati dicuntur, longe facerent contemni possent ac deberent maledicorum calumniae de simoniaca illa conspiratione. Nunc vero sicut Adrianum papam cum Siculo contra collaudamentum imperatori in verbo Domini factum certissime notum est, esse foederatum, quo inito foedere continuo non sine interventu, ut dicunt, pecuniae inventae sunt occasiones excommunicandi domnum imperatorem, quae utique excommunicatio in effectum processisset nisi intentata sententia morte Adriani intercepta fuisset, ipso tamen imperatore parato stare ad omnem justitiam sive ex judicio principum ecclesiae et regni sive ex consilio paucorum ex placito hinc inde nominatorum et electorum, sicut, inquam, sub Adriano papa foedus cum hostibus imperii initum et excommunicatio domno imperatori intentata est, sic eandem excommunicationem idemque foedus iste, Alexander dico papa, cum eisdem cardinalibus, qui ejusdem consilii tunc participes fuisse dicuntur, perseveranter tenent, accidente tamen etiam nova causa pro qua eis vide-

atur domnus imperator excommunicandus, eo quod Victoris causam fovet ac manutenet. Quod utique multum auget quaestionis hinc inde difficultatem. Nam si iniqua est Victoris causa, juste convalescit contra imperatorem aliosque ejus fautores excommunicationis sententia; si vero justa, invenient unde sententiam inique prolatam propulsare vel annullare possint ac debeant.

Sed hujus quaestionis nodus et absolutio in eo maxime consistit, si plene cognoverimus Alexandri causa injusta justane sit. Justitia vero causae illius vel injustitia in eo versatur, si, cum cetera sana vel potiora circa ejus electionem et ordinationem sint, etiam de conspiratione illa mala contra imperium, quae ejus electioni appingitur, ipsa ejus electio, si possibile est, pura demonstretur. Quis vero est qui sibi hoc assumere possit vel audeat, ut istud mysterium iniquitatis exquirendo in lucem perducat, vel innocentiam ejusdem facti inveniat nisi generali concilio illud fiat? In cunctis enim fere, quae egerint Romani, dici sibi nolunt, cur ita facitis, siquidem, ut ajunt, sedes illa soli coelo debet innocentiam. Sciant vero unum et solum esse Deum, cui nemo dicere debet cur ita facis? Nam et Petro dictum est a fidelibus ac disceptantibus Judaeis: Quare introisti ad viros praeputium habentes et manducasti cum eis [1]) et ipse requisitus facti sui humiliter rationem reddere dedignatus non est. Similiter Paulo resistente ei in faciem refragatus non est sed eum tamquam frater fratrem humiliter audivit et juste arguenti acquievit. Quin et Dominus et magister omnium Jesus redargutionibus Judaeorum se obtulit dicens: Quis ex vobis arguet me de peccato? [2]) dedignatusque non est ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui venerat peccata laxare. Cur ergo se membrum supra verticem, discipulus super magistrum extollit, dedignans quodammodo esse sub capite cui assimilari non vult in reddenda ratione? [3]) Cur qui se dicit Petri vicarium non ita ambulet sicut eum videt ambulare?

---

[1]) act. 11. 3.

[2]) Joan. 8. 46.

[3]) Glossa marg. ab anno 1525: Ibi invenisti Antichristum, qui se extollit supra omne quod etc.

Sed opponitur nobis verbum Domini dicentis: Super cathedram Moysi sederunt scribae et Pharisaei, omnia quae dicunt vobis etc.[1]) Itemque illud Gregorii Papae dicentis, quoniam sententia[2]) pastoris sive justa sive injusta gregi timenda est.[3]) Et nos quoque eadem verba recipimus et sicut verba salutaria veneramur, maxime tamen de his, quorum cathedra in quaestione non est et de quorum pastorali officio non dubitatur. Hi enim qui sine quaestione cathedram tenent et pastores sunt, quamdiu secundum cathedram docent et pastoralia praecipiunt, etiamsi injuste ligant vel solvunt contemnendi non sunt. Nam, ut ait idem Papa Gregorius, sive juste sive injuste obliget pastor pastoris sententia gregi timenda est, ne is qui subest et cum injuste forsitan ligatur ipsam obligationis suae sententiam ex alia culpa mereatur. Praemisit autem in eadem homilia ipse dicens, quoniam ligandi atque solvendi potestate se privat, qui hanc pro suae voluntatis motibus et non pro subditorum moribus exercet. Itemque notandum, quod non ait sententia pastoris gregi tenenda sed timenda est. Is autem pastoris sententiam non contemnit sed timet, qui, ut sibi videtur, injuste ligatus vel ad majorem confugit audientiam vel si major audientia non est totum et solum id quod potest facit eidem pastori et ecclesiae suam exponendo innocentiam. Sed haec et cetera ejusmodi, ut dictum est, de illo pastore sentienda sunt cujus cathedra in quaestione non est. At nunc quando dicitur ecce hic est Christus aut ecce illic aut etiam neque hic neque illic, eo quod utriusque Christi cathedra in quaestione sit; nam iste, ajunt, per schismaticam conspirationem ac simoniacam irrepsit; alii vero de alio, iste tumultuarie irrupit dum grande concilium hujus, aliud vero aeque grande vel grandius alterius, causam tuetur et ejus, qui ex adverso est improbat et damnat dumque utriusque Romani vocati Pontificis tanto facilius sententia contemnitur, quanto minori uni-

---

[1]) Math. 23. 2.

[2]) cod. sententiam.

[3]) Homil. 29. in Evang. edit Paris. 1705 coll. 1556. lib. II. hom. 26. Corp. jur. Can. c. i. C. XI. qu. 3.

tatis consensu vel causae certitudine roboratur, quis est in hac tumultuatione ac turbine atque incertitudine causarum latere valens qui non libenter latere debeat? Quis est qui se inter medium duorum conciliorum quasi duorum montium[1]) invicem pugnantium volens inserat, ut hunc vel illum montem transferat, alium stabiliat? Quis illius vel illius causam defendendam facile assumat quem tantum vel tantum concilium damnat et profanat? Quis vero sapiens non refugiat pro illo mori vel persecutionem pati de cujus causae justitia dubitat? Vix enim pro justo quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori.[2]) Quis autem nesciat magnum esse sacrilegium in ovile Christi irrumpere violenter vel e diverso per simoniacam vel schismaticam conspirationem irrepsisse? Nam alter eorum, qui ejusmodi sunt, fur, alter vero et latro est, immo vero utrique talium fures sunt et latrones, nam et ille qui violenter irrupit oves furatur, mactat et perdit et qui pro accepta pecunia scindunt ecclesiam non minus fure ac Juda proditore detestabiles existunt. Scindunt vero ecclesiam, quae est corpus Christi, si tamen ita est, ut dicitur, qui pro accepta pecunia domnum imperatorem, quem multitudinem sequi dubium non est, excommunicaturos se sacramenti firmitudine promiserunt et ut eadem excommunicatio in futurum firma permaneret ex eorumdem compromitentium coetu papam sibi pro eadem compromissione schismatica ac simoniaca elegerunt. Hos ego, si qui tales sunt, scindere vel scidisse judico ecclesiam nec Judae proditori paulominus sceleratiores, maxime cum domnus imperator ad omnem justitiam legum vel, certe si domno papae placuisset, ad consilium electarum hinc inde personarum stare paratus fuerit de his omnibus super quibus impetebatur vel jam adhuc stare in eodem paratus sit, si sint qui nunc illud recipere debeant ac velint. Nam his qui ejus christianitatem pro pecunia Siculi ac Mediolanensium vendidisse dicuntur, nisi super hoc verbo expurgatis, non se facile credere poterit. — Sed dicitur mihi: quis tu es, qui talia loqui praesumas et quasi tibi assumere judicium de tanta sublimitate vel personarum vel causarum? Sed sciat, qui me talia loquentem

---

[1]) cod. mentium.

[2]) Rom. 5. 7.

miratur, sciat, inquam, et intelligat non me judicare sublimium dignitatum personas sed eas, quas publica fama loquitur, causas iniquas detestari, de quibus omni homini etiam infimo, qualium unus ego sum, ratione utenti licitum immo et naturale est judicare. Aut si et judico personas in sublimitatis nomine constitutas vel etiam alias mihi commissas judico eas judicio discretionis, suspendens interim condemnationis judicium, donec crimen cujuslibet eorum vel ecclesiasticis vel publicis legibus condemnatum manifesta luce cognovero. De qualibus apostolus manifesta, inquit, sunt opera carnis, quae sunt fornicatio[1]) et cetera talia. Quae etiam judicio condemnationis judicat, cum ipsis auctoribus scelerum, quoniam qui talia, inquit, agant regnum Dei non consequentur. Item qui talia agunt digni sunt morte.

Cap. LXIII.

De judicio discretionis et judicio condemnationis.

Sane in hac dubietate causarum ac personarum sublimium, quis ego essem, qui judicium mihi condemnationis vel confirmationis in hunc vel illum assumerem? Porro ex eo quod homo sum et hoc non esse non possum judicio discretionis et ego cum ceteris hominibus judicans dum haec et talia de causis licet sublimibus non contemnendis clamoribus audio dico, si haec vel illa ita vel ita sunt tantum ac tale malum esse idque ita vel sic omni homini Christiano abominandum et ita contra illud decertandum esse. Non autem dico vel judico enuntiative hoc vel illud ita esse, nisi vel ex confessione seu convinctione aut etiam notoria manifestatione causarum valeam hoc vel illud evidenter demonstrare. Numquid vero in hac multitudine papantium judicare non debeo et omnis homo christianus tempus esse non solum putationis sed et amputationis, quatenus coelestis agricola unum de palmitibus ejusmodi tollat, alium vero si quid in eo purgandum est purget ut fructum plus afferat? Propter hoc enim desiderat electorum

---

[1]) Gal. I. 9.

ecclesia generale concilium, in quo revelent coeli iniquitatem Judae ac terra adversus eum consurgat quisquis e duobus ille est et manifestum fiat peccatum illius. Non solum namque Deus vel angeli coelum illud esse existimandum est, cui sedes illa beati Petri debeat innocentiam, sed et sanctorum hominum spiritualium et maxime ecclesiae praesidentium ecclesiam ego existimem illud esse coelum cui quilibet, etiam summus mortalium, debeat innocentiam, dicente vase electionis de se suisque similibus apostolis ac viris apostolicis: Quoniam spectaculum facti sumus huic mundo et angelis et hominibus.[1]) Et profecto quibus spectaculum facti sumus his etiam sine scandalo esse debemus dicente generaliter omnibus eodem apostolo Paulo: sine offensione estote Judaeis et Graecis et ecclesiae Dei.[2]) Nec solum magnis sed etiam minimis summos ecclesiarum praesules in hoc debitores existimem, ut videlicet summopere caveant ne scandalizentur ab eis. Et hoc non ex me sed ex verbo Domini praesumo dicentis: Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt etc.[3]) Propter hoc sane scandalum scilicet praecavendum ascendit Paulus Hierosolymam[4]) ad apostolos et contulit cum illis evangelium Christi ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset, si ab aliorum apostolorum doctrina ipso in aliquo discordante scandalum super hoc pateretur ecclesia Christi. Propterea et laborabat operando manibus suis nihil accipiens a quibusdam [5]) ecclesiis ne quid super hoc offendiculum pateretur Evangelium si sua quaesiisse videri potuisset. Unde et cum dixisset sine offensione estote Judaeis et Graecis et ecclesiae Christi semet ipsum in hujus praecepti exemplum offerre potuit dicens, sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens quod mihi utile est sed quod multis ut salvi fiant.[6])

---

[1]) I. Cor. 4. 9.
[2]) I. Cor. 10. 32.
[3]) Math. 18. 6.
[4]) Gal. 2. 2.
[5]) act. 20. 34.
[6]) I. Cor. 10. 33.

Cap. LXIV.
Expurgatio Leonis Papae.

Sane Marcellus papa quoniam sacrificando idolis peccaverat in coelum scandalizando ecclesiam, quae nimirum coelum ac sedes Dei est, dictum est ei ab eodem coelo i. e. sanctorum patrum in urbe et ad urbem super hoc ipso collectorum unanimi concilio: Tu qui summus Pontifex es a nemine debes judicari. Tu collige causam tuam in sinu tuo, verumtamen praesentibus hoc facias. Et ipse cum peccatum suum, super quo infamatus erat, excusare non potuisset coram ecclesia, quae super eodem exacerbata fuerat, in semet depositionis atque excommunicationis sententiam dictavit unde et misericordiam a Deo consecutus de catalogo Romanorum Pontificum deletus non est, sed quoniam pro fide catholica postmodum illustre martyrium duxit etiam in sanctorum martyrum coetu digne connumeratus est.

Leo quoque injuste infamatus, ne super eo scandalum pateretur ecclesia Dei, cui tamquam rationali coelo debebat innocentiam, publice conscenso ambone coram rege ac principibus omnique frequentia populi cum duodecim adstipulatoribus episcopis famam suam juramento purgavit.[1]) Cujus tenorem juramenti in hujus causae consimili negotio praesenti loco non piguit inserere. „Auditum est, ait, fratres carissimi et divulgatum est per multa „loca, qualiter homines mali adversum me insurrexerunt et debilitare voluerunt et miserunt super me gravia crimina. Propter „quam causam iste clementissimus ac serenissimus Domnus Karolus una cum sacerdotibus et optimatibus suis istam pervenit „ad urbem. Quam ob rem ego Leo pontifex s. Romanae ecclesiae, „a nemine judicatus neque coactus sed spontanea mea voluntate, „purifico me in conspectu vestro coram Deo et angelis ejus, qui „conscientiam meam novit, et beato Petro principe apostolorum, „in cujus conspectu consistimus, quia istas criminosas et scele-

---

[1]) Cf. Chron. Reichersp. ad a. 800. ed. Gewold. Monachii 1611 p. 112 Gretseri Op. Tom. VI. 408.

„ratas res quas illi objiciunt mihi nec perpetravi nec perpetrare „jussi. Testis est mihi Deus in cujus judicium venturi sumus et „in cujus conspectu consistimus et hoc propter suspiciones malas „tollendas mea spontanea voluntate facio non quasi ego hanc con„suetudinem aut decretum in sancta ecclesia successoribus meis „et fratribus et coëpiscopis nostris imponam sed ut melius a vobis „abscidatis rebelles cogitationes."

Sic sancti Romani Pontifices alius in se sententiam depositionis et excommunicationis dictando, alius vero semetipsum humiliter purgando ab ecclesia Dei, cui tamquam coelo rationabili debebant innocentiam, scandalum tulerunt. Oportet enim episcopum habere testimonium bonum etiam apud eos, [1]) ut ait apostolus, qui foris sunt. Quod si apud eos qui foris sunt quanto magis apud domesticos fidei? Nam restat, ut ait unus magnorum sacerdotum Gregorius, nec se nec alios excipiens, ut cujus vita dispicitur etiam deprecatio contemnatur.

Cap. LXV.
Quid sit coelo debere innocentiam.

Et quid ait quis placuit dicere patribus beati Petri vicarium tantum coelo [2]) debere innocentiam? Sic enim ait Symmachus papa [3]): „Aliorum hominum causas Deus voluit per homines ter„minare; sacrosanctae vero sedis Romanae praesulem [4]) suo sine „quaestione reservavit arbitrio. Voluit b. Petri successores coelo „tantum [5]) debere innocentiam et subtilissimi discussoris indagini „inviolatam exhibere conscientiam."

Quid, inquiunt, iste Romanus pontifex dicere vel scribere sic voluit, si, ut tu dicis, etiam ecclesiae, quae nimirum sedes Dei

[1]) I. Tim. 3. 7.

[2]) cod. zelo.

[3]) Corp. Jur. Can. c. 14. C. IX. qu 3. edit Coloniae Munatianae 1696 pag. 530.

[4]) corp. jur. sed sedis istius praesulis.

[5]) cod. tamen.

ac coelum rationale est, a Romanis Pontificibus innocentia debetur? Ad quod audiat, qui super his dubitat vel quaerendum putat, quoniam Symmacho major est qui ait: sine offensione estote Judaeis et Graecis et ecclesiae Dei.[1]) Item. Oportet episcopum bonum habere testimonium apud eos qui foris sunt.[2]) Et Dominus Jesus adhuc major ambobus[3]) his, plus enim quam Salomon hic,[4]) immo et major omnibus, qui scandalizaverit, inquit, unum de pusillis istis, qui in me credunt expedit ei et cetera[5]) quae dicere perhorreo. Ait etiam ipse: si oculus tuus dexter scandalizat te erue eum et projice abs te.[6]) Item necesse est, inquit, ut veniant scandala, vae autem homini per quem scandalum venit,[7]) nec magnum excipiens nec minorem. Quibus manifestissimis dictis Salvatoris et apostolicis Symmachum papam nequaquam crediderim sensisse contraria, sed id solum, quod nulli hominum fas est, in Romanum Pontificem ferre condemnationis judicium vel ad expurgationem sui cogere, sicut Marcellus a nemine judicio condemnationis judicatus est dicentibus ei fidelibus: Tu collige causam tuam in sinu tuo, ipse in se judicium tulit damnationis. Similiter et Leo a nemine ad expurgationem sui coactus est sed summum coelum ac coeli habitator Deus, subtilissimus videlicet discussor et indagator, hoc in ejus corde locutus est. Quod si valens de ecclesia Dei tollere scandalum de ipso habitum non abstulisset, utique quantumque de causa bene sibi conscius apud ipsum nocens extitisset. Itaque subtilissimi discussoris acquiescens indagini et vivo Dei sermoni, qui est penetrabilior omni gladio ancipiti,[8]) compulsus quod potuit et

---

[1]) I. Cor. 10. 32.

[2]) I. Tim. 3. 7.

[3]) Satis acute tuis verbis declaras hominum dicta Dei verbis non aequanda. Glossa marg. ab ao 1525.

[4]) Math. 12. 42.

[5]) Math. 18. 6.

[6]) Math. 5. 28.

[7]) Math. 18. 7.

[8]) Hebr. 4. 12.

interni arbitri judicio debuit, hoc fecit semetipsum de crimine objecto purgando et ab ecclesia Dei scandalum auferendo. Sicut item Marcellus, eodem divino in ecclesia ac per ecclesiam se compellente judicio, libens in semetipsum damnationem dictavit ne non solum divino judicio sed et apud ecclesiam reus concilio, insuper vero gehennae ignis reus existeret, sed redargutus ab ecclesia in semetipsum judicium damnationis non tulisset. Nunc vero quia justitiam Dei, quasi coelo per ecclesiam se arguente, cognovit et eidem justitiae semetipsum damnando acquievit etiam in numero sanctorum inventus est. Sed et illud Symachi papae aliaque ejusmodi sciendum de his solum Romanis Pontificibus agere, qui et soli tenent cathedram et quorum introitus quaestione caret. Nam cum de duobus quasi cathedram tenentibus disceptatur, quis eorum apostolicus, quisve apostaticus sit, bene debent introitum suum ecclesiae Dei exponere seque inter confratres et discipulos videndos ac palpandos exhibere, ut omni scandalo ac dubitatione sublatis noverit ecclesia Dei reprobare malum et eligere bonum. Sane dum illud Symachi annotamus his, qui et soli sedent et quorum cathedra quaestione caret, non destruimus, quae supra asseruimus, generaliter vae intentari omni homini per quem scandalum venit, sive ille summus sive infimus mortalium sit, seu brevi tempore seu diu cathedram tenuerit. Quicumque vero se ipsum, arguente se coelo i. e. ecclesia, judicaverit non utique judicabitur a Domino, sicut de quodam summo sacerdote per hominem Dei redarguto sed non correcto legimus quod divino judicio de sella cadens retrorsum fractis cervicibus mortuus sit. Similiter autem et Romani quidam dicti Pontifices, qui in malo pertinaces usque in finem perstiterunt de catalogo pontificum judicante ecclesia etiam post mortem sublati sunt, praeter illud judicium, quo a Domino sunt aeternaliter judicati. Qualium unus extitit Leo ille, qui contra Hilarium Pictaviensem in concilio praesumptuose locutus est. Quamvis ergo quispiam sit vel dicatur summus mortalium non contemnat pusillorum de se scandalum. Nam si poena gehennali plectitur qui scandalizaverit unum de pusillis quanto magis illis judicium repositum est, qui scandalizant ecclesiam Dei simul et regna.

Hinc enim, ut in praesentiarum cernimus, vexatur et non modice turbatur ecclesia Dei permaxime super illius malae pactionis verbo, quo sicut adstruit is, qui ab eodem negotio se subtraxisse dicitur, videlicet Octavianus, quem Victorem dicunt, simul et illis Cardinalibus videlicet Johanne Pisano et Gwidone Cremense divulgatum est, qui eidem pessimae conspirationi, ut fatentur, interfuerunt et male datae et acceptae pecuniae, ut dicunt, participes facti sunt, ab his, inquam, divulgatum et, quod pro accepta Siculi et Mediolanensium pecunia domni imperatoris excommunicatio sub cautione sacramentali firmitudinis promissa fuerit, quo pacto etiam id firmatum dicitur, quatenus de illorum coetu, qui tale piaculum commiserint, unus in papam eligeretur post mortem Adriani, quam promissionem in electione [1]) dicunt esse completam. Quem sane tale piaculum non scandalizaret? Quod utique si perpetratum constaret Judae traditoris crimine paulominus sceleratius esset. Nam illic discipulus magistrum, hic pater filium ecclesiae veste nudatum hostibus tradidisset; aut quia tantum facinus de tam sapientibus credi difficile est, quamvis et munera corda excoecant sapientum, si liberam super hac infamia retinent conscientiam ostendant etiam ecclesiae Dei suam innocentiam piaculum idem competenter negando et ab hostibus imperii soluto pacti foedere auxilium et favorem suum longe faciendo, maxime cum domnus imperator super omnibus quae postulantur justitiae seu consilio stare paratus fuerit, semper et adhuc Deo annuente, ut speramus, paratus erit, sicut esse debet, maxime si expiatis his piaculis de Romanorum erga imperium fidelitate constiterit. Propter hoc igitur a fidelibus ecclesiae et imperii generale desideratur concilium, ubi omnibus his in medium prolatis ac, Deo favente, expiatis unoque, adulterino videlicet, palmite exciso et alio purgato unitas fiat et pax inter regnum et sacerdotium, pax quoque reformaretur ecclesiae scandalis ablatis et excluso schismate.

---

[1]) cod. electionem.

Cap. LXVI.

Commemoratio veteris historiae.

Talis namque pax inter sacerdotium et regnum etiam olim in dispositione castrorum israelitici populi praefigurata est, ubi ad orientem ante faciem tabernaculi Moyses et Aaron simul castra metabantur; hoc significante Spiritu sancto eorundem ordinatore castrorum nimirum in umbram futurorum atque coelestium, nihil magis conducere ecclesiae Dei profectui, quam ut in unum habitent concorditer sacerdotium et regnum; sicut econtra eisdem ab invicem dissidentibus statui christiano nihil esse perniciosius umquam potuit ac poterit. Quod si dedignantur Romani, ut suam ecclesiae innocentiam super jam dictis criminationibus exhibeant, utpote quorum sit de omnibus judicare et a nemine, quidquid fecerint aut divulgatum de eis fuerit, judicari, ita ut nemo eis dicat vel dicere debeat: cur ita facitis, parum vel nihil de scandalis ecclesiae curantes, utpote quibus sit licitum quodlibet fuerit libitum, quid ultra [1]) exspectabimus, nisi ut si et hoc libuerit quidquid adhuc fastus et avaritia, duo scilicet mali consiliarii, suggesserint, qui raro in urbe defuerunt, compleant etiam novas leges veteribus abolitis, ad placitum condant terminos episcopatuum jam olim antiquatos omnes e medio tollant et novos pro consilio philargyriae limites statuant de archiepiscopatibus omnibus suffraganias et de suffraganiis archiepiscopatus constituant inter haec omnia pinguiora et meliora sibi reservantes, cetera vero ad librae pondera statuentes.

Immo vero et si placuerit et mali illi consiliarii suggesserint reliqua ovilia omnia in unum conducant, ut sit solum unum ovile et unus pastor solus Romanus Pontifex. Aut si hoc difficile ac laboriosum visum fuerit episcopos visitationes, quas volent sibi jurare faciant, reges quoque a subjiciendis sibi rebellibus et ecclesiarum ac civitatum vastatoribus prohibeant, dicentes: huc usque venies et non procedes amplius, aut haec sua praecepta transgre-

---

[1]) prophetasti: Glossa marg. ab anno 1525.

dientes excommunicent medios quoque se inter reges ac tyrannos, inter civitates alterutrum infestantes interponant et quorum [1]) eis pecunia plus ponderaverit eorum adversarios excommunicent eandemque excommunicationem dato pretio absolutionis absolvant. Jam vero et aliarum civitatum praesules et quique ecclesiae praesidentes videntes libertatem ipsorum in omnibus his libere etiam ipsi pro sua possibilitate vel loco ipsorum sequantur errores, turpe enim Romanis arguere in aliis quod ipsi fecerint. Sintque jam omnes non discipuli veritatis sed magistri simul ac discipuli erroris, sequentes etiam non Jesum Christum in hoc mundo pauperem vel Simonem Petrum aurum et argentum non habentem sed antichristum thesauris auri et argenti dominantem et Simonem Magum dona Dei pecuniis aestimantem. Quales nimirum magistros ac discipulos Petrus Apostolus in epistola sua detestatur dicens: cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii; derelinquentes viam rectam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit.[2]) De talibus vero et Judas apostolus: Vae, inquit, illis, qui in via Cain abierunt et errore Balaam mercede sunt effusi et in contradictione Core perierunt.[3]) Vae inquit eis, nam quamvis ejusmodi maledictionis filii Balaamitae benedictiones seu maledictiones quascumque cantitant vendentes et cuncta apud se venalia habentes, quamvis, inquam, aestiment qui ejusmodi sunt benedictionem et maledictionem apud se solos esse repositam, solos esse benedictos quos benedixerint et maledictos in quos maledicta ad pretium auri et argenti congesserint, in quorum sorte censetur etiam ille rex Balac ejusque similes maledictionis emtores, quamvis, inquam, aestiment se in hac via sua pessima usque in finem prosperari aut etiam si aliquamdiu fuerint prosperati, ejicientur [4]) tamen tandem de ecclesia Dei flagello divinitus proviso et forti

---

[1]) Negari nostra aetate non potest. Glossa marg, ab ao 1525.

[2]) Petri 2. 14.

[3]) Jud. 11.

[4]) Glossa marg. 1525 Gerhohe jam videres impleri illam tuam prophetiam.

a locis in quibus benedictiones ac maledictiones venditare soliti ecclesiam Dei speluncam latronum ac domum negotiationis fecerant; sicut Judaei quoque fune captivitatis per Romanos a sancta illa civitate et templo, in quibus latrocinari solebant, abstracti sunt. Ac nisi per has temporales calamitates conversi fuerint gladium suum vibravit Dominus arcum suum tetendit, ut eos a coetu justorum separatos sagitta maledictionis tandem transfigat: dicturus talibus in fine: Ite maledicti in ignem aeternum;[1] sicut ille ariolus Balaam tandem gladio filiorum Israel occisus et a coetu viventium separatus atque inter Madianitarum cadavera deputatus est. Sed nec interim plene de viae suae prosperitate gaudebant, nam etsi propheta ariolus gladium angeli ad interfectionem sui paratum non videat asina tamen videns interim sessorem suum quantumcumque se verberantem inquietabit et a via pessima declinans sedentis pedem obteret atque, ut ait Petrus, subjugale illud mutum humana voce loquens prophetae insipientiam[2] increpabit.

Juste enim laxantur ora subditorum quantumcumque brutorum seu mutorum ad increpationem ejusmodi praesidentium avaritia coecatorum atque apertis occulis cadentium benedictionesque ac maledictiones venditantium sicut totus jam mundus conqueritur de avaritia Romanorum aestimans et fama divulgante, certum habens de auro et argento Siculi (et) Mediolanensium hoc praesens schisma pullulasse, quod ecclesia inter duos illos Romanos vocatos Pontifices errabunda disscissa est. Sed nec Mediolanenses legibus damnati atque proscripti tanta pertinacia augustali imperio se opponere, ut creditur, auderent[3] nisi Romanorum favore id facerent. Nam dum foris eos gladius imperialis et intus pavor excommunicationis vastaret, quomodo duobus illis gladiis in unum consentientibus non cederent? Sed in omnibus his thesaurizant sibi iram in die irae et revelationis justi judicii

---

[1]) Math. 25. 41.

[2]) II. Petr. 2. 16.

[3]) cod. audirent. Notat Stülz. Mailand ergibt sich 1. März 1162. Praesentia verba obsidionem notare videntur.

Dei. Jam vero in homicidiorum ac vastationum reatu miror quod non timent participium hi, qui eos animant ad rebellandum, maxime contra divinam ordinationem, a quo omnis potestas est ac Paulo apostolo praecipiente principibus ac potestatibus subjici debere. Sed quousque duos illos pessimos consiliarios avaritiam et superbiam prosequendo prolabor? [1]) Quousque me impetus spiritus contra fastum et quaestum loquentem impulit? Demittenda jam vela sunt, ne forte et in aspera loca incidamus, si ultra progressi fuerimus. Arguemur enim forte etiam super his, quae dicta sunt, os in coelum posuisse. At nos contra coelum, quod sapientia inhabitat et quod sedes Dei est, nihil, ut aestimo, diximus sed nec contra coelos rationales gloriam Dei enarrantes ac desuper rorantes, contra nubes, quae pluunt justum et justitiam, nihil locuti sumus, sed si quidem est coelum aeneum viscera pietatis terrae subjectae claudens, de scandalis terrae rationalis non curans aerugine et rubigine terrae virentia perurens fulmina et terrores contra innocentes jaciens, nocentes vero ac rebelles justitiae fovens, si quae sunt nubes sine aqua et nebulae turbinibus agitatae ignis grandines et nives noxias emittentes contra se dicta cognoscant si quae duriora a nobis prolata sunt.

Nos autem contra neminem personaliter sermonem dereximus[2]) sed consequentias quasdam causarum malarum praecedentium et effectuum pessimorum contexuimus, quos partim vidimus, partim quoque adhuc futuras formidamus. Semel namque posito his, qui in ecclesia Dei episcopi vel episcoporum magistri ac patres positi sunt, de scandalis ecclesiae non curare altum sapere nec humilibus consentire ac non secundum Jesum Christum dubitantibus et scandalizatis fratribus ac discipulis latus, manus ac pedes innocentiae videndas ac palpandas demonstrare cum et hi duo consiliarii pessimi, superbia et avaritia, penitus admissi fuerint nihil malorum, quae diximus, sequi dubitandum non est. Immo vero

[1]) Glossa marg. ab a. 1525: Non poeniteat te bone vir, quia e luto aurum collegisti.

[2]) Glossa marg. ab a. 1525: Modo vix a personis tibi temperare possis.

et discessionem de sub Romanae ecclesiae obedientia per talem contemptum scandalorum parturiri timendum est, sicut a Graecis quoque jam olim discessum est atque ita revelatum iri filium perditionis, si tamen haec vel talis est discessio, quam significat apostolus, dicens: nisi venerit discessio primum [1]) et cetera.

Cap. LXVII.

De expeditione illa Jerosolymitana tota calamitosa, quam avaritia suasit. [2])

Videamus autem per unum ex his consiliariis, quaestum dico vel avaritiam, quale quantumque malum, quanta clades et pernities in totam ubique terrarum ecclesiam processit.

Recens tenet memoria, nam ante annos quatuordecim gesta sunt, quae perstrinximus. [3]) Exierunt [4]) a civitate Jerosolyma frequentes nuntii, personae vultu et aetate venerabiles, adiere curias regum ac principum, ipsum quoque piae memoriae quaerimoniis suis papam sollicitabant Eugenium nec non et abbatem Claraevallis, columnam ecclesiae ac luminare fulgidum, episcopos ac episcoporum adiere concilia calamitates sanctae illius civitatis lacrimabili quaerimonia deponentes qualiter videlicet gentes finitimae sanctum illum locum infestarent, qualiter illic omnia christianorum loca et habitationes caedibus et luctu complerent, incendiis et praeda vastarent, omnia jamque interesse quin congregatae in unum sanctam civitatem et sepulchrum requietionis dominicae occisis habitatoribus sibi tollerent, nisi quantocius eis a regibus

---

[1]) II. Thess. 2. 3.

[2]) de hac expeditione in comment. ad. Ps. XXXIX. Pez. thesaur. anecd. tom. V. col. 792; de prima vero expeditione in Comm. in tertiam partem Psalmorum in Cod. Monac. 16012. vide Bach, Probst Gerhoh von Reichersberg. pag. 23.

[3]) anno 1147 + 14 = 1161.

[4]) Eadem fere verba vide Chron. Reich. ad. a. 1147.

cismarinis et christianorum universitate exercitu quam copioso subveniretur. Cumque ista quaerimonia augeretur in dies rex Romanorum Chunradus, rex quoque Franciae Ludewicus christianissima miseratione permoti laborem sibi tanti negotii tamque piissimi operis assumpserunt et cum infinito exercitu de omnibus terris Christianorum ad eos confluente viam terraneam ingressi sunt, praeter eos qui navibus per mare viam arripuerunt. Non fuit civitas quae multitudines, non villa seu vicus quae non saltem paucos emitteret, episcopi cum gregibus suae parochiae [1] sibi adunatis, duces quoque et comites aliique principes ac magnates singuli cum suis turmis incedebant, scuta, gladios et loricas aliaque belli vasa secum perferentes cum copiosa praeparatione sumptuum ac tabernaculorum, quae plaustris et equis innumeris subvehebant. Vix terrestris via simul et campi contigui per terram gradientes, vix Danubii decursus navium multitudines capiebat. Tam enim erat infinitus exercitus quod, ex quo gentes esse coeperunt, numquam tantam hominum, equitum simul et peditum, multitudinem in unum congregatam aestimaverim. Nulla eorum necessitatibus venalium rerum fora, vix ulli campi castris metandis sufficiebant. Unde vulgus innumerabile cui plaustra et equi victualibus perferendis deerant non post longum fame coepit laborare. Multitudo namque etiam rusticanorum ac servorum dominorum suorum relictis aratris ac servitiis ignorantibus quoque nonnulli vel invitis dominis, parum aut nihil auri vel argenti habentes, inconsulte expeditionem illam longissimam arripuerant, sperantes in tam sancto negotio, sicut olim antiquo illi Israelitarum populo vel pluente desuper coelo vel undecumque coelitus ac divinitus administranda fore victualia. Sed longe aliud quam sperabant evenit. Maximae namque adversitates eundem exercitum in eadem sancta via, ut aestimabant, comprehenderunt. Prima namque calamitatum ejusdem exercitus quas relatu dignas arbitramur, haec fuit. Cum in finibus Graeciae secus mare pergerent una dierum super ripam cujusdam non magni admodum fluminis mare influentis castra locaverant cum ecce nulla subito pluvia, quam vide-

---

[5]) cod. parrothice.

rint, praecedente sed vel diruptione nubium desuper vel dimissione aquarum, quas humanum artificium aliquo obice structo ad eorum pernitiem ac decipulam retentaverit, idem fluvius granditer intumuit et desuper castra praeceps veniens lateque ac vehementer exundans magnam partem exercitus cum tentoriis simul et plaustris secum in mare traxit, ita ut quibuslibet plaustris vel utensilibus inhaerentes vivi in profundum descenderent.

Cap. LXVIII.

Quando Constantinopolim ventum est divisi sunt exercitus.

Deinde Constantinopolim laboriose satis a tanta multitudine ventum est. Ubi Romanorum rex a Graecis callide circumventus ac principibus quibusdam auro et argento illectis iter per desertum quoddam versus Iconium ingressus est, obsequium se arbitrans praestare Deo, si quascumque gentes Christianis infestas subjugare Christo vel humiliare atque infirmare potuisset, sed Graecis, quorum id erat consilium inimicorum suorum humiliationem (potius) quam christiani nominis propagationem intendentibus. Igitur exercitibus in duo divisis rex Romanorum cum suo exercitu versus Iconium viam ductu Graecorum ingressus est per desertum; rex vero Franciae cum exercitu sibi adunato versus Antiochiam et Jerosolymam viam, ut coeperat, tenuit aliis per mare aliis per terram tendentibus. Verum quantae utrique exercitui calamitates obvenerint, quoniam enumerare impossibile foret, summatim majora perstringemus.

Exercitus namque versus Iconium gradiens labore, fame ac siti in deserto confectus insuper dissenteria gravissime ac pene universaliter fatigari coepit, cui nimirum infirmitati labor corporalis permaxime contrarius est. Igitur infirmitate et labore viae simulque inopia turba confecta morte consumi coepit, ita ut diatim multitudines fame ac morbo simul et labore depastae caderent. Transito tamen sic morbide ac laboriose deserto ventum tandem est ad terram hostibus habitatam, qui eos pugnae occursibus et

incursibus exceperunt, non tamen ut eis cominus pugnandi facultatem darent, sed sagittis eos die noctuque incursando simul et fugitando eminus fatigabant, ita ut nec pugnae seu victoriae locus esset, nec tamen absque pugnae incursibus ullo momento existerent.

Cap. LXIX.
Calamitates exercitus regis Romanorum.

Quod si nostri equites eos incursare voluissent fugientes illos nostri consequi non valebant, nimirum equis nostrorum labore et inedia fatigatis, illorum vero equis pinguibus et requietis. Sed et pauci nostro exercitui [1]) erant sagitarii, tota vero adversariorum multitudo arcubus munita hunc fere [2]) solum pugnandi usum retentabant. Unde ex consilio rex noster cum exercitu divertit ab eis, tandem quam ierat viam per desertum repedando, non quod nostri bello ac victoriae defuerint sed quod bellum ac victoria fugerit ab eis. Nam si pugnare voluerant et ad bellum acies ordinaverant nullus erat ex adverso adversariorum occursus; si vero se in castra recepissent requies eis non dabatur, sagittariis eos undique per circuitum die noctuque infestantibus. Igitur nostri loricis vestiti, ut dictum est, ab eis diverterunt per idem desertum, quo venerant, viam dirigentibus, quod alias divertendi locus non fuisset silvis aut paludibus hinc inde impedientibus. Sed et abeuntes adversarii per desertum et rara quaedam silvestria hinc inde comitantes longum illum ordinem abeuntium sagittis a dextris et sinistris fatigabant. Qui dum a nostris fugabantur mox eadem levitate qua fugerant revolabant. Contigit autem, ut in quadam rupe magna pars nostrorum una se noctium recepisset credens se illic ab adversariorum sagittis posse requiescere. Sed adversarii eadem rupe circumdata et expugnata omnem illam multitudinem vel gladiis peremerunt vel captivos abduxerunt, rege nostro eventum rei penitus ignorante, aliquantulum enim longius

---

[1]) cod. exercitu.

[2]) cod. ferre.

ipse processit et cum robore exercitus castra in loco sibi proviso locaverat. Mortibus igitur et cadaveribus omnem illam deserti viam stratam relinquentes rex cum exercitus quibusdam reliquiis Constantinopolim rediit. Ubi cum aliquantis principibus aliisque magnatibus, quibus animus vel pecunia non defecerat, viam jerosolymitanam per mare ingressus est.

Cap. LXX.

Calamitates exercitus regis Franciae.

Sed et regis Franciae exercitum et quam plures ex Germanis, qui per viam terrestrem Jerosolymam tetenderant, infinitae atque innumerae calamitates comprehenderunt. Nam cum ad loca montium angustiora devenissent illic Turci dispositis armatis cum parte exercitus aperta manu congressi sunt, quos etiam a facie simul et a tergo atque a scopulis desuper impugnantes maximam ex eis multitudinem peremerunt, ubi etiam comes Carinthiae [1]) Bernhardus occubuit. Illic etiam complures locorum angustiis simul et armatorum cuneis obsessi cum quibus, ex quo congredi non poterant, relictis suis omnibus solas animas salvare cupientes per aspera et ardua montium fugam inierunt. Inter quos etiam frater regis Romanorum Otto Frisingensis episcopus non solum calceamentis sed etiam pedibus attritis fame quoque ac gelu confectus ad quandam civitatem maritimam cum devenisset miseratione civium refotus atque mutuo ab eis acceptis aliquibus etiam ipse per mare Jerosolymam tetendit. [2]) Similiter autem rex Franciae calamitatem non modicam incurrit. Nam cum Antiochiam devenisset nihilque illic, utpote inter compatriotas suos, suspicaretur mali, fraude simul et vi per principem civitatis propriae uxoris, [3]) quam secum duxerat, consortio privatus est. Quae cum post tem-

---

[1]) Cod. corinthie.

[2]) Confer quid ad hunc locum scripserit Meichelbeck in sua Historia Frising. edit. 1724. tom. I. p. I. p. 330.

[3]) Eleonora, regina Franciae, neptis erat Raimundi regis Antiochensis.

pus libertati reddita redire ad ipsum, utpote servatae fidei matronalis sibi consciae,[1]) voluisset, admissa non est manetque inter eos hodieque divortium sed aliis ex causis ecclesiastice stabilitum. Nam et ille aliam duxit et tenet uxorem et illa regis Angliae matrimonio sociata est. — Ventum tamen est tandem Jerosolymam ab utrisque regibus cum quibusdam reliquiis exercituum, nam regis Romanorum exercitus qui deserti illius labores et tela hostium evaserat ex maxima parte ad paternum solum remeaverat. Sed et alius ille exercitus regem Franciae comitatus ex parte inter montana illa perierat. Ventum tamen, inquam, tandem est Jerosolymam, quam adeo liberam ab hostium incursu invenerunt sicut ore proprio rex Romanorum testatus est, quod numquam fere majori pace potiri potuerunt, excepto quod sicut semper inter confinia gentium diversarum excursus et praedae agi solent tale quid etiam illic esse hinc inde potuit quali etiam infestatione raro aut numquam caruerunt vel carebunt sicut nec adjacentes regiones ab eorum excursibus securae sunt vel erunt.

Cap. LXXI.

De obsidione Damasci fraudulenta.

Cum itaque consueta ac penitus secura pace agerent, qui tamen universum orbem quasi timore hostium sanctum locum tollere cupientium permovissent tandem, ne pro nihilo motus ille factus videretur, expeditionem et obsidionem contra Damascum moliti sunt. Ad quam obsidionem perficiendam rex Romanorum Chunradus novum de multa pecunia, qui undecumque Jerosolymam adventaverat, conduxit exercitum. Sicque ad obsidionem a regibus Romanorum et Franciae eorumque exercitibus nec non a rege Jerosolymae omnique jerosolymitana militia itum est. Et rex quidem noster credens omnia simpliciter ac fideliter agi pomeria civitatis irrumpens secus muros castra locavit rem ut erat strenuus strenue peracturus; alii vero alias locis facilioribus ac remotioribus castra disposuerunt. In hac denique obsidione claruit qua

---

[1]) Dicit tamen alius: non tamquam regina sed tamquam meretrix (vixit) Raumer, Gesch. de Hohenstaufen Band I. 548.

intentione Jerosolymitani totum orbem in expeditionem permovissent, quodque tanto illo totius orbis motu laboriosissimo, tot mortibus christianorum, qui partim gentium gladiis et sagittis, partim fame ac frigore, partim dissenteriae morbo ac fluminum incursu marisque tempestate perierant, non tam pacem sibi, siquidem eam integre possidebant, quam auri et argenti thesauros sibi multiplicare quaesierint. Continuo namque, ut obsidione civitas cincta est, cives intra moenia positi de pace et obsidione relaxanda cum Jerosolymitanis tractare coeperunt. Quibus etiam auri plurimum offerentes mox quod petierant impetrarunt. Conventione ita pacti clam firmata pecuniaque copiosa recepta Jerosolymitani persuaso rege Franciae ab obsidione recesserunt regem Romanorum solum cum suis in obsidione relinquentes. Qui cum vidisset secum fraudulenter actum etiam ipse quod reliquum erat ab absidione recessit. [1])

Ecce quis finis! quis fructus, quanta rerum molimina subsecutus est. Quis non penset ex fine Jerosolymitani tanto rerum motu, tot mortibus christianorum, tanto rerum publicarum et cujusque privatarum dispendiis quid intenderint? Nam quod fere solam pecuniae acceptionem, sive ex oblationibus adventantium sive ex redemptione obsidionum, intenderint acceptae pecuniae finis probavit. Sed Deo interim etiam hic juste judicante non usquequaque de tantae pecuniae acceptione iniqua gavisi sunt. Nam qui multos deceperant etiam ipsi in eadem pecunia data decepti sunt, siquidem ex maxima parte pro auro cuprum fucatum acceperunt, quatenus eos vel sero poeniteret, quod tantum Christianorum sanguinem tam vili pretio vendidissent.

Cap. LXXII.

Inclamatio contra Jerusalem terrenam.

Jerusalem, Jerusalem, quae occidisti olim prophetas et lapidasti eos, qui ad te missi fuerant,[2]) quid

[1]) Huc usque vide Chron. Reich. ed. Gewold ad a. 1147 ubi paucis intermissis eadem verba exstant.

[2]) Math. 23. 37.

tibi visum est, ut nova christianorum homicidia veteribus adderes, nisi ut ista faciendo mensuram patrum tuorum semiplenam Christianorum sanguine impleres! Aut quo usa consiliario es, ut id faceres, ut tantum sanguinem tam vili venderes (pretio), nisi avaritia, qua suadente Judas quoque in te omnium nostrum Dominum ac magistrum triginta vendidit argenteis? Et ille quidem argenteis in pretium justi sanguinis acceptis usus non est, quin potius eos in testimonium suae nequitiae in templo projecit dicens: peccavi tradens sanguinem justum[1]; tu vero spe pecuniae accipiendae innumera Christianorum milia in mortem adduxisti et tanti sanguinis pretium a Damascenis acceptum insuper possedisti. At ubicumque est apud te aurum illud sive cuprum in cameris repositum vel in ollas fusum in testimonium est contra te.

Cap. LXXIII.

De scissione domus hospitalis a Patriarcha Jerosolymitano.

Propter hoc namque Deo etiam in praesenti judicante in medio tui patres comedunt filios et filii comedunt patres suos sicut in illa contentione hospitalensium manifestum est, in qua male acceptam maleque servatam pecuniam iidem hospitalenses male nihilominus effuderunt, dum spiritalem illum spiritalis filiationis et paternitatis inter se et patriarcham suum contractum, qui inconvulsus abusque temporibus apostolorum permanserat, ipsi eadem sive alia male servata vel accepta pecunia inique effusa dissolverunt, sibique contra patrem suum spiritualem perpetuas inimicitias et in malum aemulationes coëmerunt. Quod et si domus illa hospitalis, modernis utpote instituta temporibus, abusque temporibus apostolorum non fuit, nulla tamen domus illius civitatis ab exordio Christianismi[2] praeter hanc de obedientia illius urbis episcopi ac patriarchae exempta umquam inveniri poterit. Quomodo ergo poterunt mater illa et pater Jerosolyma ecclesiarum

[1] Math. 27. 4.
[2] cod. christianissimi.

mater ejusque antistes patriarcha filiam hanc suam sed ab utero aberrantem non dolenter aspicere? Quomodo vero ab ejus aspectu poterunt oculos dolentes avertere, quo sic tandem aliquando fieri forte possint immemores injuriae, quippe quae in eadem civitate sita oculis eorum subjecta non esse non potest? Itaque sicut visio filiae contemtricis continua semper est ita et contemtus memoria cottidie patri matrique renovatur, atque ex jugi contemptus memoria dolor continue innovatur. Similiter et tu filia naturalis affectus oblita, scriptae quoque legis praevaricatrix patrem ac matrem honorare praecipientis, quomodo poteris levare oculos tuos ad videndam faciem patris ac matris, quorum viscera vipereo dente laesisti, a quorum visceribus sauciatis et convulsis contra naturam violenta prorupisti? Non enim te excuset, quod Romanis data pecunia id fecisti, sed magis accusat, quod spiritalis paternitatis ac filiationis contractum data pecunia simoniace dissolvisti. Quam utique pecuniam quamvis plurimam si Petro apostolo obtulisses quatenus data ea spiritualis obedientiae jura dissolveres aut transferres, non aliud aestimo ab eo audisses, quam quod Simoni primo spiritualium forensi aestimatori dictum ab eo est: pecunia tua tecum sit in perditione, quoniam aestimasti donum Dei pecunia possideri [1]; aut certe quod ait Dominus: auferte ista hinc et nolite facere domum Dei domum negotiationis. [2]) Nec mirum.

Cap. LXXIV.

Dispensationes ecclesiasticas gratis fieri debere. [3]

Audierat enim Petrus sibi cum ceteris coapostolis dictum a Domino: Gratis accepistis gratis date. [4] Aut igitur ostendant, qui ejusmodi in domo negotiationes factitant, quantum auri

[1]) act. 8. 20.
[2] Joan. 2. 16.
[3]) Apud nostrates pro nihilo pensatur hic sermo. Glossa marg. ab a. 1525.
[4]) Math. 10. 8.

vel argenti Petrus dederit, ut ovium Christi pastor fieret et Clemens Petro quantum appenderit. In prima quoque ecclesiarum limitatione ostendant, quantum pecuniae a singulis ecclesiis episcopalibus Romano Pontifici appensum sit, ut proprios singulae limites acciperent, quatenus et ipsis exemplo priorum in transferendis, dilatandis et contrahendis ecclesiarum terminis idem factitare liberum sit. Simul et doceant, si possunt, magistratus et discipulatus ecclesiae spiritualia dona non esse, ut liberum sit ea more peculii ac terrenae possessionis vendere aut si Petrus, ut pastor fieret, nihil terrenum dedit, quippe cui aurum et argentum non fuit sed spiritualibus spiritualia comparans solo confessionis fidei et dilectionis pretio, ut pastor fieret, emeruit. Si Clementem ipse gratis successorem ob meritorum praerogativam elegit, si gratis a principio ecclesiae limitatae sunt, si olim Simon a Petro damnatus ac praecipitatus est, si ejus quoque sequaces in crimine simul cum ejusdem piaculis criminis interventoribus a sanctis patribus abusque exordio ecclesiae praedamnati et anathematizati sunt, unde isti novi Simones innocentes et innocui emerserunt? Si vendentes et ementes boves et oves simul et columbas a templo flagello dominico jam olim ejecti sunt, si nummulariorum effuso [1]) aere mensisque subversis idem nummularii foras pulsi, unde isti novi boum atque ovium rationabilium, praelationum dico atque discipulatuum spiritualium, venditores et emptores irruperunt? Unde novi trapezitae isti ad librae pondera spirituales magistratus et discipulatus ampliantes, minuentes, transferentes atque insuper anathema talibus dictatum non formidantes? Aut vero soli ipsi a communi lege Evangelii simul et regulis ecclesiasticis exempti sunt, ut quidquid qualitercumque vel quibuslibet pro causis fecerint sacrum debeat reputari? [2]) Non enim negamus eis dispensationem esse creditam, ubi id ecclesiasticae necessitatis vel utilitatis ratio postulat, sed ad pretium pecuniae magistratus ecclesiae transferri, ampliari vel minui aut quocumque modo dis-

---

[1]) cod. effusio.

[2]) Cur delicatas aures praesumis mordaci rodere vero? Glossa marg. ab a. 1525.

pensari magis vero dissipari ego penitus aestimo damnabile ac simoniacum et puto idem veritatis esse judicium.

Cap. LXXV.
De similibus idem judicium.

Dicant autem et ipsi mihi, obsecro, quorum est post Deum orbem terrae in aequitate judicare, judicium quod eos interrogo. Si inter duos episcopos mediante pecunia convenerit, ut quatuor aut quinque aut plures aut pauciores plebes ab unius parochia descissae alterius parochiae adscribantur, veneritque in quaestionem causa eadem apud ipsos, dicant, inquam, mihi simoniacamne pactionem actionemque talem judicent nec ne? Et puto eos aliud non judicaturos quam ut simoniaca sit.[1] Nam si unius sacerdotis in unam plebem per pecuniam introitus juste censetur damnabilis ac simoniacus, quomodo non et episcopi talis, ut dictum est, ad plebes introitus non judicabitur simoniacus neque enim potior ordo levigat culpam sed auget. Aut sacerdos plebanus si vicinum suum consacerdotem plebanum apud episcopum data pecunia supplantet, ut ejus plebem propriae conjugat et fiat unum ovile et unus pastor, numquid non uterque simoniacus juste censetur episcopus venditor et emptor plebanus? Quodsi et presbyter supplantatus a quaerimonia cedat pecunia conductus nihilominus et ipse judicabitur simoniacus? At si scire velint hi, de quibus sermo est, causa illorum istorum causae consimilis, aut certe deterior est. Arguam te, inquit Dominus, et statuam contra faciem tuam[2]) ei qui sermones ejus retrorsum projecerat. Ipsi namque, quorum erat aliorum errata corrigere, accepta ab hospitalensibus pecunia jerosolymitanum supplantaverunt episcopum eandem hospitalem domum illi subtrahendo suaeque providentiae et obedientiae speciali attitulando, suo episcopio adscribendo. Et quidem hi[3]) dissimile? Utique non aliud nisi quod

---

[1]) Glossa ab a. 1525. Sile bone vir excommunicabunt te.

[2]) Ps. 49. 21.

[3]) sic codex.

alias in communicatione dati et accepti diversitas personarum consideratur, dum alius est qui pecuniam accipit atque alius dans ad quem possessio pro qua sumitur transit. Hic vero iidem ipsi sunt, qui pecuniam accipiunt, qui et rem, pro qua sumitur, ut ita dixerim, usucapiunt.

Accipiunt, ut aliorum privilegia vel possessa ad alios transferant, accipiunt rursum, ut ablata vel translata restituant; accipiunt, ut aliis auferant, accipiunt ut ablata aliis sibi retineant. Accipiunt pecuniam non ut de suo tribuant vel de suo jure cedant, sicut inter vendentes et ementes mos est, sed accipiunt, ut accipiant, ut terminos episcopatus sui extendant, ut domum domui jungant et quasi soli ipsi habitant in terra. Accipiunt, inquam, ut accipiant, accipiunt quia acceperunt. — Sed dum omnia haec ad imperium avaritiae facta fuerint adhuc accipiendi apud eos locus est. Non de omnibus tamen eis dico.

Novit enim Dominus etiam apud eos quos elegerit, novit qui sunt ejus, et discedet ab iniquitate omnis, qui invocat nomen Domini. Quod etiam signaculum ejus firmum stabit. Novit in area triticum inter paleas, paleam cum tritico usque ad ventilabrum tolerare. At illud ventilabrum tunc instare paleae valde formidandum est, quando ex crescente numero ac potentia perversorum in area Domini granorum tanta est paucitas et infirmitas, ut sint, quasi non sint et maxime cum usque ad coelos id est usque ad sacerdotes Domini, quorum erat aliorum errata corrigere ac pro delinquentibus exorare, peccata venalitatis excreverint. Unde vir illustris et notae scientiae ac fidei beatus Hieronymus locum illum in Michaea pertractans: principes ejus in muneribus[1]) judicabant et sacerdotes ejus in mercede docebant et prophetae ejus in pecunia divinabant et super Dominum requiescebant dicentes: numquid non Dominus in medio nostrum, non venient super nos mala propter haec[2]) causa nostri[3]) Sion

---

[1]) Mich. 3. 11.

[2]) Vulg. hoc;

[3]) Vulg. vestri;

quasi ager arabitur et Jerusalem quasi acervus lapidum erit et mons templi in excelsa silvarum, haec inter cetera dicit: „Petrus apostolus.[1]) Argentum et aurum non habeo. „Poterat utique Simoni Mago vendere quod petebat, immo poterat „simulare vendentem, (Spiritus enim sanctus nec venundari nec „emi potest) sed oblatam pecuniam cum offerente damnavit. Nunc „videas Prophetas Jerusalem non habere in ore prophetiam et in „Domino requiescere et dicere: non venient super nos mala. „Quorum causa speculatorium Dei hostili aratro dividitur et locus „quondam pacis ruinis plenus fit et templum Domini in vepres „spinasque convertitur et est habitaculum bestiarum." Et post „aliqua. Propter[2]) quod causa nostri qui tales sumus, qui Sion „aedificamus in sanguine et Jerusalem in iniquitate, qui judicamus „in muneribus, qui in mercedibus respondemus, qui in pecunia „divinamus et super hoc fictam nobis sanctimoniam vendicantes „dicimus, non venient super nos mala, audiamus sententiam Do„mini quae sequatur. Sion et Jerusalem et mons templi specula„torium et visio pacis et templum Christi in consumatione, in „fide, quando refriguerit charitas et rara fides fuerit, quasi ager „arabitur et redigetur in tumulos et erit in excelsa silvarum, ut „ubi amplae quondam domus erant et absque numero acervi fru„gum, ibi vix parva sit casula servans speciem ciborum refecti„onem animae non habentium."

Cap. LXXVI.

Iterum de expeditione illa calamitosa quam suasit avaritia.

Cum haec dicit profecto scire nobis et dicere licet quia causa futurae tribulationis tam magnae peccatum est maxime graduum[3]) ecclesiasticorum peccatum venalitatis et avaritiae, quod nunc a-

---

[1]) in Mich. 3. 11. ed. Paris 1704. col. 1520. argentum, inquit; deest autem Spiritus enim — emi potest.

[2]) l. c col. 1521.

[3]) cod. graduorum.

spicimus et ubique regnare videmus, ambitione nimia cuncta devastante, avaritia pene universa reposita intus in ecclesiis devorante, quia ubi licet vivere, libet etiam ambire; unde tunc merito fiet, ut, quia non licebit vivere, etiam non libeat ambire. Sed quousque consiliarios istos pessimos, avaritiam dico et superbiam, persequor? Nam, ab urbe Roma bestias has persequendo coepi, Jerosolymam devectus sum rursumque ab Jerosolymis Romam relatus. Et putaveram me Jerosolymis unam solam bestiam reperturum avaritiam, contra quam esset dimicandum, sed ecce etiam illic alia socialis bestia, videlicet superbia, reperta est, quam dum sequi coepissem ad montem Libanum, ad Romanorum auctoritatem, confugit, sed Deo favente nec illic tuta erit, comminante ei Spiritu sancto per os prophetae David: Quia neque ab oriente neque ab occidente neque a desertis montibus erit locus refugii, quoniam Deus judex est.[1] Visne bestias ipsas ad lucem producam, ut facies earum ad solem videas[2] quamque ecclesiae Dei simul et orbi cladem intulerit agnoscas? Sed unam earum, avaritiam videlicet, jam vidisti; immo vero totus orbis vidit et agnovit, quam ei cladem expeditione illa mendaciis emendicata intulerit,[3] nos quoque supra in brevi magis perstrinximus quam digessimus. Videamus vero etiam adhuc quaedam, quae super eadem calamitate minus a nobis dicta sunt. Nam, quia calamitatum ecclesiae Dei ab exordio illatarum ista multorum ac magnorum virorum judicio maxima sit, libet eam Jerosolymorum illo famoso excidio per Titum et Vespasianum facto conferre, ut ex collatione similium tribulationis ejusdem pondus expressius agnoscatur. Nam illic ad diem festum totius provinciae turba confluxerat, quae simul intra ambitum civitatis obsidione cincta est: hic vero ex toto orbe christiano principum nobilium, mediocrium ac popularium multitudo innumera convenerat, magis ad victorias ac triumphorum solemnia sua aestimatione festinans, quam ut sibi ullas gentes gladio posse resistere aestimaret; sed subito, dum

---

[1]) Ps. 74. 7.

[2]) Quia veritatem dixisti inimicatus est tibi papa cum suis. Gl. marg. ab a. 1526.

[3]) cod. intulerint.

non credit, maximo tamen labore suo, in medium hostium adducta sicque ab hostibus undique cincta est, ut ei pro victualibus quaeritandis nullus relinqueretur egrediendi vel ingrediendi locus, haud secus quam si murorum ambitu simul et obsidione cincta fuisset. Immo vero et illic in obsidione videlicet Jerosolymorum muri ad tempus hostes arcebant, cives tuebantur, hic vero nec muris nec vallo obstantibus hostium sagittis undique versum patebat accessus. Et illi quidem validi adhuc corpore et animis obsidione cincti sunt, istos vero corpore simul et animis ex labore, fame simul et infirmitate hostilis incursio confractos invenit. Et illic fames multa horribilia persuasit, sed et hic tanta fames grassabatur in populo, ut equorum carnes ac pelles ovium etiam veteres [1]) detractis pilis modicum in lebetibus decoctas in cibos sumerent. Tam vero parce eaedem carnes equinae vendebantur, ut unus homo in uno cibo decem nummatas insumeret, octo grana fabae uno argenteo unusque panis centum quadraginta argenteis veniebat. Et in Jerosolymis dum multitudo morientium facultatem sepulturae vinceret trans muros cadavera projecerunt, isti vero, dum et hic morientium multitudo facultatem sepeliendi excederet, mortuorum cadaveribus contra frigus imminens simul et contra Turcorum sagittas pro muris usi sunt.

Cap. LXXVII.

Numerus exercitus septuagies centum milia.

Et hoc dolendum simulque mirandum ac miserandum est, quod cum idem exercitus ad septuagies centum milia computatus fuisset de tanto exercitu vix quaedam paucae reliquiae redierunt nihilque victoriosum tanta molitione peractum est.

Cap. LXXVIII.

Conquestio abbatis claraevallis super eadem expeditione.

Super qua re vir illustris abbas claraevallis, quo annitente una cum sanctae memoriae Eugenio Papa eadem expeditio pro-

---

[1]) Germanice: sogar alte Schafhäute. Stülz legit ventres.

mota est ad eundem papam Eugenium scribens quasi [1]) lamentatur hoc modo: [2]) „Incidimus, inquit, ut ipse nosti in tempus grave, quod et ipsi bene vivendi usui videbatur indicere cessationem ne dum studiis cum scilicet Dominus provocatus peccatis nostris ante tempus quodammodo visus sit judicasse orbem terrae in aequitate quidem sed misericordiae suae oblitus. Non pepercit populo suo, non suo nomini. Nonne dicunt in gentibus, ubi est Deus eorum? Nec mirum. Ecclesiae filii, qui et christiano nomine censentur, prostrati sunt in deserto aut interfecti gladio aut fame consumpti. Effusa est contentio super principes et errare fecit eos in invio et non in via. Contritio et infelicitas in viis eorum, pavor et moeror et confusio in penetralibus regum ipsorum. Quam confusi pedes annuntiantium pacem annuntiantium bonum. Diximus pax et non est pax. Promisimus bona et ecce turbatio. Quasi vero temeritate in opere isto aut levitate usi sumus. Cucurrimus plane in eo non quasi in incertum sed te jubente immo per te Deo. Quare ergo jejunavimus et non aspexit, humiliavimus animas nostras et nescivit? Nam in his omnibus non est aversus furor ejus sed adhuc manus ejus extenta. Quam patienter interim adhuc audit voces sacrilegas et Aegyptios blasphemantes, quia callide eos eduxit, ut occideret in deserto. Et quidem judicia Domini vera. Quis nesciat? At judicium hoc abyssus tanta, ut videar mihi non immerito pronuntiare beatum, qui non scandalizatus fuerat in eo. Et quomodo tamen humana temeritas audet reprehendere quod minime valet comprehendere.

Recordemur supernorum judiciorum, quae a saeculo sunt, si forte sit consolatio. Nam quidam ita dixit: Memor fui judiciorum tuorum a saeculo Domine et consolatus sum. Rem dico nemini ignotam et nunc nemini notam. Nempe sic se habent mortalium corda quod scimus cum necesse non est in necessitate nescimus. Moyses educturus populum de terra Aegypti meliorem illis pollicitus est terram. Nam quando ipsum aliter sequeretur populus solam sapiens terram? Eduxit, eductos tamen in terram quam promiserat non introduxit. Nec est quod ducis temeritati imputari

---

[1]) cod. quas.

[2]) De consideratione lib. II. c. 1. — epist. 288.

queat tristis et inopinatus eventus. Omnia faciebat Domino imperante, Domino cooperante et opus confirmante sequentibus signis. Sed populus ille, inquis, durae cervicis fuit, semper contentiose agens contra Dominum et Moysen servum ejus. Bene. Increduli illi et rebelles. Hi autem quid? Ipsos interroga. Quid me dicere opus est quod fatentur ipsi. Dico enim unum: Quid poterant proficere qui semper revertebantur cum ambularent? Quando et isti per totam vitam non redierunt corde in Aegyptum? Quod si ceciderunt isti et perierunt propter iniquitatem suam miramur istos eadem facientes eadem passos? Sed numquid illorum casus adversus promissa Dei? Ergo nec istorum. Neque enim aliquando promissiones Dei justitiae Dei praejudicant. Et audi aliud. Peccavit Benjamin, accinguntur reliquae tribus ad ultionem nec sine nutu Dei. Denique ipse disignavit ducem proeliaturis. Itaque proeliantur freti et manu validiori et causa potentiori et quod his majus est favore divino. At quam terribilis Deus in consiliis super filios hominum. Terga dedere sceleratis ultores sceleris, paucioribus plures. Sed recurrunt ad Dominum et Dominus ad eos: ascendite, inquit. Ascenderunt denuo, denuoque fusi et confusi sunt. Ita Deo primum quidem favente, secundo et jubente justi justum certamen ineunt et — succumbunt. Sed quo certamine inferiores eo fide superiores inventi sunt. Quid putas facerent de me isti, si meo hortatu interato ascenderent, iterato succumberent? Quando me audirent monentem tertio repetere iter, repetere opus, cum semel jam et secundo frustrati forent? Et tamen Israelitae unam et alteram non reputantes frustrationem tertio parent et superant. Sed dicunt forsitan isti: Unde scimus, quod a Domino sermo egressus sit? Quae signa tu facis ut credamus tibi? Non est quod ipse ad ista respondeam, parcendum verecundiae meae. Responde tu pro me et pro te ipso et secundum ea, quae audisti et vidisti aut certe secundum quod inspiraverit Deus. Sed forte miraris me prosequi ista qui aliud proposueram. Facio non oblitus propositi, sed quod a proposito non judicem alienum. Nempe de consideratione, ut memini, sermo mihi ad tuam dignationem est et sane magna ista res et egens consideratione non minima. Quod si res magnas a magnis considerari oportet, cui aeque ut id studii com-

petit qui parem super terram non habes? Sed tu secundum sapientiam et potestatem datam tibi desuper facies de hoc. Non est meae humilitatis dictare tibi sic vel sic fieri quicquam; sufficit intimasse oportere aliquid fieri unde et ecclesia laetetur et obstruatur os loquentium iniqua.“ — Haec abbas claraevallis super his.

Cap. LXXIX.

Quaedam prodigia et signa mendacia.

Sed et nos, quamvis Jerosolymorum super his avaritiam incusamus, nostros prorsus excusare non possumus. Nam quia saepe multumque evangelica imbuti doctrina, quatenus sobrie ac juste et pie viverent, non receperant caritatem veritatis ut salvi fierent, ideo misit eis Deus operationem erroris, ut crederent mendacio et judicarentur omnes qui non crediderant veritati sed consenserant iniquitati.[1]) Nam et signa atque prodigia mendacia eodem tempore non defuerunt, quae a Deo per quosdam illius tempestatis viros, per quosdam etiam illius viae perditissimae socios multiplicata sunt, ut eisdem mirabiliariis irruentibus nimirum ad eos turbis ac signa vel sanitates petentibus vix vacaret panem comedere. Quod ipse vidi oculis meis, fictionem vero miraculorum cui assignem ignoro, utrumnam his per quos fieri dicebantur, an vero his a quibus petebantur certum non habeo, cum tamen fictio ipsa certissime in multis sit prodita. Adducebantur namque coeci vel semicoeci et claudi et benedicebantur ab eis oratione facta super eos cum manus impositione. Dumque inter benedicentis verba requisiti ab ipsis violentis miraculorum exactoribus fuissent an aliquid melius haberent illique propriae sanitatis cupidi aliqua dubie responderent statim cum clamore sublimes rapiebantur et quasi sani inter manus vectantium ducebantur. Qui tandem sibi dimissi non diu sanitatem potuerunt simulare sed suae infirmitatis consueta subsidia, scamnella videlicet[2]) claudi ac coeci duces resumebant. Audivimus etiam de quibusdam quod post veram curationem

---

1) Glossa marginalis: Haec 1533 notanda.

2) cod. vidit.

duobus vel tribus diebus interpositis pristina [1]) ad eos redierit infirmitas. In civitate quoque Herbipoli quendam ficti nominis et sanctitatis Theodoricum quasi martyrem efferebant, quem fingebant de numero ejusdem exercitus a Judaeis clam per fraudem occisum, ad cujus sepulchrum crebra valde fingebantur miracula, sed non post longum per ejusdem fabricatores mendacii tota fictio propalata est, ut mirum non sit, si filius ille perditionis [2]) cujus est adventus secundum operationem Satanae in omni virtute et signis ac prodigiis mendacibus inter haec [3]) adventare vel advenisse putetur.

Cap. LXXX.

Praecursorium signum tanti motus ventus turbinis maximus et insolitus.

Hunc sane motum maximum alius quidam motus terribilis valde itemque maximus in ejus signum praecesserat. Subito namque ventus quidam turbinis vehementissimus, qualem numquam ante nec relatu nec experientia novimus, a regnis Occidentis adveniens ac fere octo horarum spatio durans eandem coeli regionem pertransiit, quam et postmodum exercitum pertransisse perspeximus. Hujus venti tanta erat vehementia et impetus, ut domos firmissimas annosaque robora everteret [4]) nec esset vicus aut civitas in qua non moenia fortissima diruisset, non domus quae laesionem ejus evaderet sicut scriptum est: terroresque de coelo, [5]) ut palam sit respectum irae desuper sicut in signo vehementis venti, ita et in terrae motu infructuosae, immo et pernitiosae, illius expeditionis extitisse. — Sed non ideo Jerosolymitae motus ejusdem auctores extra culpam sunt, quod nostri talia pati meruerint. Alia quoque signa terribilia de coelo monstrata sunt, cometa vide-

---

1) cod. pristinas.

2) II. Thes. 2. 3.

3) cod. he.

4) everterent.

5) Luc. 21. 11.

licet longe comas protendens coelum quoque totis noctibus sanguineo rubore perfusum, carnes quoque visae sunt de coelo in modum imbrium defluxisse, quae casu ipso dirumpebantur, calore quoque solis desiccatae perierunt sicut de tanto fuso humano sanguine tantaque strage Christianorum nulla memoranda vel manifesta ecclesiae Dei provenit utilitas.

Ecce quales fructus de pessima radice Jerosolymitanae avaritiae prodierunt. Ecce feracissima avaritia quanti sanguinis fusi rea inventa est. Sed et alia bestia superbia videlicet domus illius hospitalis sicut avaritia corporibus ita multorum animabus pernitiem induxit. Haec patriarchae suo moerorem, matri ecclesiarum dolorem filiorum a patribus separationem odiique perpetui materiam invexit; haec de thesauris ecclesiae jura ecclesiastica subvertit donorum magnitudine animos quoque sapientum evertit, ut aurum justitiae praeferrent, salutem animarum auro postponerent, ecclesiae Dei non modicam super eodem facto scandala inferrent. Haec subesse fastidiens ei, qui sibi divina ordinatione praelatus fuerat, ejus pedisequa facta est, qui multis donis naturae a Deo praeditus in corde suo dixit: Ponam sedem meam ad aquilonem et ero similis altissimo.[1]) Huic Romana ecclesia, immo in hoc facto et similibus magis dicenda curia [2]) quam ecclesia, in ratione dati et accepti communicavit aurum et argentum accipiens ab ea et ei in sua rebellione consensum et confirmationem impertiens.

Cap. LXXXI.

In ecclesia fieri abominabile et, quod nec legibus saeculi conceditur fieri, ad acceptionem munerum magistratus ordinari.

Immo nec recte curiae nomen obtinet dum hoc in ecclesiasticis admittit, quod in saecularibus quoque saeculi legibus prohibitum est. Non enim conceditur vel illic pro acceptione munerum

---

[1]) Is. 14. 14.

[2]) Vide epist. Gerhoh. ad. Card. Henricum. Baluz Misc. V. p. 63; Pez thesaur. I. II. 330.

mutari judices vel judicii sententiam vendi a judice; sordidamque hujusmodi munerum acceptionem nuncupat, nos vero (pro hujus detestandi mercimonii primo auctore Simoniam nominare solemus. Non ergo applaudant sibi Romani hujus vel similiter datae pecuniae acceptores. Plus enim de pretio pietatis et justitiae apud omnes justos rerum aestimatores perdiderunt, quam eis lucelli in viginti scriniis illis argenti plenis accesserint. Non, inquam, applaudant sibi super his. Ecce enim pro his similibus scandalis in ecclesia Romana occasione avaritiae et superbiae subortis, ecclesia Dei, quae una est et semper esse una debet, in duos quasi papatus scinditur, aliis Victori, aliis Alexandro adhaerentibus, aliis hujus atque aliis alterius partem defendentibus, tertiis vero nec uni nec alteri se parti secure committere audentibus. Habet enim in parte Victoris suspectam paucitatem Cardinalium, in parte vero Alexandri simoniacae, ut dicitur, ac schismaticae conspirationis abhorrent munerum[1]) acceptionem, nescientes plane cui se potius committant, quemve alteri praeeligant, Victoremne, qui missis in orbem litteris confiteri non erubuit pravae consuetudinis fratrum suorum Cardinalium in acceptione munerum se fuisse aliquando participem melioraque in futurum pollicentem, an certe Alexandrum, qui cum et ipse argentum hospitalensium, ut palam est, argentum quoque vel aurum Siculi ac Mediolanensium, ut imperium conquaeritur ac publica fama loquitur, super judiciis et causis ecclesiasticis cum ceteris acceperit nec poenitentiam ostendit de praeterito, nec cautelam promittit de futuro, quin potius, ut ajunt, et thesauros ab hospitalensibus pro dispensatione immo vero dissipatione ecclesiastici regiminis acceptos ipse possedit, nec super his capitulis, de quibus ejus suspectus habetur introitus, ab ecclesia Dei scandala tollere dignatus est. Cujus tamen causa tum propter numerum cardinalium ampliorem in ejus electionem concordantium, tum etiam propter ordinatores legitimos simul etiam sedes apostolicas, antiochenam dico et jerosolymitanam, in eum consentientes, causae Victoris praeponderaret in lance justitiae si exemplo usus Dominico latus ac manus innocentiae in medio fratrum suorum epis-

1) cod. numerum.

coporum dignaretur ostendere vel objecta negando vel, quae negari non possunt, juste facta comprobando.

Cap. LXXXII.

Tres esse partes in schismate praesenti.

Quod quia nondum est factum non solum bifariam sed et trifariam scinditur ecclesia Dei, aliis (ut dictum est) Alexandro, aliis Victori faventibus, tertiis vero neutrum accipientibus vel constanter reprobantibus, sed pleniorem adhuc causae utriusque discussionem sperantibus, quam absque concilio generali ex regum conniventia convocato fieri non posse arbitrantur. Et sunt, ut dixi, tres partes unius ecclesiae conscissae ac dilaceratae, quemadmodum scriptum est in apocalypsi Johannis, quoniam facta est civitas in tres partes.[1]) Siquidem et ungaricum regnum in ea parte est hominum, qui nondum hunc vel illum receperunt, quia mortuo rege suo [2]), qui susceperat Alexandrum, per hoc ab ipso Alexandro recesserunt, quod Archiepiscopum per ejus legatos firmavit [3]) reprobaverunt, etiam rege novo ibi creato [4]) nova molimina dicuntur mihi pari, quae quorsum tendant adhuc ignoratur.

Attamen quia rex ille novus per uxorem graecam [5]) graeco imperatori aliisque graecis principibus affinitate junctus est, hoc suspicandum relinquitur, quod sicut Graeci a Romanis propter avaritiam, ut dicunt, se alienaverunt sic et Ungari se incipiunt alienare, ut magis magisque augeatur illa discessio quam praedixit apostolus, quaeque olim praefigurata est populo Israel discedente a domo David propter intolerabiles vexationes quas eidem populo comminatus est Roboam rex Juda, filius Salomonis, dicens: Mi-

---

[1]) apoc. 16. 16. 19.

[2]) Notat Stülz. Gaisa II. † 1161. 31. Mai.

[3]) firmatum? Vide epist. AE. Eberhardi ad cum. Gretser Op. Tom. VI. p. 591. nro. 70.

[4]) Stülz. Ladislav 1162. 14. Jänner.

[5]) Stülz adjungit: Stephan IV. verehelicht mit Maria, Tochter des Isaak Komnenus, gekrönt 1162, 11. Februar.

nimus digitus meus grossior est dorso patris mei. Pater meus occidit vos flagellis, ego vero caedam vos scorpionibus.[1]) Quid enim sunt novae Romanorum vexationes, maxime autem superfluae appellationes et juramentorum in datione palliorum novae et indebitae exactiones nisi quidam scorpiones, quibus non tam castigant quam cruentant subjectos? Propter hujuscemodi mala etiam regnum Romae vicinum, videlicet Siculorum et ducatus Apulorum, aeque ut Ungarorum regnum, se in tantum segregaverunt, ut in eis non recipiantur hujusmodi appellationes[2]) vel admittantur legationes coenobia et alia servientium Deo habitacula gravantes. Timentur vero ista gravamina ex parte utraque sic intendente papari sic se habet mala consuetudo inolita jam longo tempore avaritia potius quam justitia dominante inter ipsos Romanos, qui omnes diligunt munera, sequuntur retributiones tam in parte una quam in parte altera. Unde aliqui episcopi multique religiosi ac fideles ecclesiae Dei super utriusque partis imperfectione, super scandalis quoque et abusionibus hinc inde succrescentibus nec non abominatione desolationis in loco sancto stante gementes, dolentes publiceque ac privatim meliorem super his finem orando exspectantes et optantes adhuc medium tenent. Putas, inquiunt, videbo, putas durabo, ut videam in sede Petri sequipedam Petri pecunias male oblatas contemnentem, justitiam auro et topazio praehabentem, pastorem se ovium magis quam Dominum tyrannorum seu regum recognoscentem? Putas, inquiunt, videbo tales in apostolica sede Cardinales, qui vestigiis per omnia apostolicis inhaereant, non in muneribus sed justitia judicantes, non quae sua sunt sed quae Jesu Christi quaerentes Martino[3]) illi nostro et Gerhardo, qui Lucius, similes? Quis nobis pro duobus istis unum dabit[4]) Innocentium vel Eugenium et multa in hunc modum. Et hae voces mediae illius partis sunt nec Alexandri nec Victoris causam defen-

---

[1]) III. reg. 12. 10. 11.

[2]) Cf. Baronium ad a. 1156. nro. 4. seq.

[3]) de quart. vig. noct. 12.

[4]) cod. dei.

dentis, nimirum propter scandala multaque perperam acta quae hinc inde alterutrum ab alterutris objiciuntur, quorum et similia vel pejora in futurum timentur. Quod si quaerat quis a me, quae istarum trium partium animo meo magis complaceat seu tutior mihi videatur minusque habere periculi, sciat me in rebus dubiis atque adhuc pendentibus diffinitivam nolle ferre sententiam.[1]) Verum si urgere non desinit noverit tutius mihi interim videri mediorum illorum desiderium discussionem adhuc pleniorem partis utriusque exspectantium, eo quod a schismatis periculo pars illa tertia remotior sit. Nam quaelibet duarum partium invicem se excommunicantium et ab alterutra excommunicatarum seu meliori adhuc interposita discussione seu universitatis cum apostolicis sedibus in se facta consensione victrix extiterit, contraria ei pars victa videlicet schismaticae damnationis periculo subjacebit. Ista vero media pars tutissima incedens et quasi cum Petro a longe sequens, ut optatum sibi ac Deo placentem videat finem a judicio interim damnationis inter ambas partes se continens, judicio vero discretionis, quanta valet cautela, se dirigens ne illud vae incidat dicentium bonum malum vel malum bonum, ponentium lucem tenebras et tenebras lucem, dulce in amarum et amarum in dulce[2]); haec inquam pars quaelibet duarum obtinuerit libera, ut aestimo, a schismatis periculo erit. Nam quem ecclesiae major unanimitas apostolicis sedibus roborata discussione praecedente seu non praecedente receperit hunc et ipsa vel amando vel sustinendo recipiet. Sustinebit autem etiam si minus de objectis purgatum minusque se ad apostolica seu dominica exempla gerentem; sustinebit, inquam, non etiam accipiet vel acceptum habebit, ne particeps illorum fiat quibus dicitur: Ego veni in nomine patris mei et non accepistis me. Alius veniet in nomine suo illum accipietis.[3]) Amabit autem manus et latus

---

[1]) Conf. praefat. 2. ubi dicit, jam ultra dubitandi locum non esse, quin Alexander pro papa legitimo habeatur. Et haec dicimus, ait, nostrae dubitationis ambages excusatas esse cupientes,

[2]) Is. 5. 20.

[3]) Joan. 5. 42.

discipulis exemplo dominico ostendentem, non solum ex opere avaritiam sed etiam ex calumnia projicientem seque et in ceteris ad exempla dominica et apostolorum gerentem dicetque illi Dominus meus et papa meus.

Cap. LXXXIII.

Visio hujus schismatis significativa.

Venit nunc in mentem visio cuidam prudenti et religioso viro praeostensa haec ipsa tempora periculosa portendens, quibus ecclesia, sicut dictum est, trifida scissione laborat. Videbat se quasi in ecclesia b. Petri Romae positum sursum aspicere, cum ecce in laqueari [1]) duo mirae magnitudinis serpentes depicti unus argenteo, alius purpureo colore videbantur et in medio ipsorum arbor nimiae altitudinis, videlicet a fine usque ad finem laquearis pertingens, quae inter ipsorum serpentum latitudinem quodammodo coangustata ramos extendere nullos valebat, sed gemmas tamen turgentes et folia quaedam rara sed pinguia praeferebat, usque dum ipsos serpentes sua proceritate vicisset. Nam illic, in spatio videlicet a serpentibus vacuo, ramos arte pictoria deductos expandebat sicque vigilatum est. Visionem hanc quisque interpretetur ut volet, mihi vero hujus portentuosi temporis signativa videtur. Nam mea aestimatione duo illi serpentes sunt isti romani vocati Pontifices suae extensionis magnitudine totam fere amplitudinem ecclesiae Dei Petro commissae implentes per membra nimirum multitudinem sibi cohaerentium et causas utriusque partis defendentium. Quorum unius argenteus color specimen praefert nitoris vel justitiae patrum eloquiis conscriptae; alterius vero color purpureus regalis potentiae, qua nititur, eminentiam praesignabat. Nempe Alexandri papatus formam legitimam juxta canones obtinet; alter vero id est Victor etiam vulgo papa imperatoris nominatur. Verumtamen uterque causam suam nitore conscriptae justitiae vel tuetur vel palliat, uterque defensione regali

[1]) cod. illaqueari.

nitens quasi purpureum in se colorem ostentat. Nam Victor augustalis majestatis defensione nititur, Alexander vero etiam tyranni Siculi se potestate tuetur, cujus etiam fretus militia castella seu praedia b. Petri expugnando suae subjicit ditioni.

Nec vero a ratione alienum est serpentum imaginaria visione sacerdotes seu bonos seu malos interpretari. Siquidem apud Moysen in serpentibus ex virgis Magorum haereticorum astutia [1]) insuper et gemina mors corporis et animae, in serpente vero ex virga Moysi etiam Christi mors seu prudentia [2]) christiana praesignata est. Unde et discipulis suis Dominus ait: Estote prudentes sicut serpentes,[3]) ut non absonum sit in serpentum figura sacerdotes seu bonos seu malos intelligi. Et Mardochaeus somnium [4]) interpretans: Duo dracones, inquit, ego sum et Aman.[5]) — At nos visionem hanc propter trifariae scissionis malum significandum intulimus, quod non jam in somnis sed in aperta visione declaratur. Tertiae namque partis illius mediae, ut videtur, significativa media illa arbor extitit, quae inter duos illos serpentes hinc inde porrectos medium tenuit. Quae tandem quoque Deo favente superato dualitatis schismate spatiosa potietur unitatis libertatem.

Cap. LXXXIV.

Phantasma diaboli ejusdem rei significativum.

Non solum sanctis revelationibus trifida haec scissio praeostensa est, sed et diabolus ejusdem scissionis machinator eam suis ostensionibus ac verbis praeludere ausus est. Cuidam namque puero super dictamine suo sollicito ipse in specie viri apparens haec verba scribenda et in scholis magistro suo reddenda commisit:

---

1) cod. astutio.
2) cod. prudentes.
3) Math, 10. 16.
4) cod. somnum.
5) Esth. 10. 7.

Super rotam molendini
Duo sedent palatini
Culmen tenent tres et trini
Laudatores matutini.

Et haec verba idem puer cum in scholis loco dictaminis, prout erat doctus, protulisset multis miraculo extiterunt hodieque miraculo sunt eis ad quos forte relatu perveniunt. Mihi vero sicut dicere coep duo illi palatini dualitatis hoc malum videntur portendere; rota molendini vel orbis vel ecclesiae universitas est cui competit verbi Dei farinam molere, nunc vero tam in orbe quam in urbe simul et in universa fere ecclesia de duobus dictis Romanis Pontificibus diversa molimina sunt. Sed inter haec sicut semper ita et nunc tres i. e. Pater et Filius et Spiritus sanctus culmen tenent et cum eis trini laudatores matutini videlicet ter terni ordines angelici vel etiam homines veri Trinitatis laudatores, non temere aut obstinate in hanc vel in illam partem declinantes sed utrobique, quod perperam agitur vel agi dicitur, improbantes ac super his ecclesiae universale concilium exspectantes, interim vero ab apostolicarum sedium communione non recedentes. Et haec tertia pars culmen tenens i. e. medium in diaboli phantasmate sicut arbor in praememorata illa visione absque dubio potior est, reliquis duabus per duos serpentes vel duos palatinos significatis. In qua simul tertia parte et nos interim esse cupientes divinam in ea et cum ea exoramus clementiam, quatenus vel ambos vel unum saltem e duobus istis serpentibus et palatinis tollat, ei vero quem manere ipse dignum duxerit tantum [1] columbinae simplicitatis et sacerdotalis pietatis infundat, uti ne solus serpens vel palatini fastus in ipso bonis terrori sit, sed et columba et pontifex consolationi. Et sicut de palmitibus in Evangelio suo veritas promittit, unum e duobus istis palmitibus insuper vero et omnem palmitem in se vitae fructum non ferentem Pater coelestis agricola tollat; ferentem vero charitatis, unitatis, pietatis et justitiae fructum purget adhuc ut fructum plus afferat.

---

[1] cod. tamen.

Cap. LXXXV.
Gravamina iniqua ecclesiae.

Purget quoque primum introitum ejus a multis et gravibus causis alterutris ab alterutrum objectis, ut ingressus sine macula operetur justitiam. Purget quoque sedem ipsam Petri, Romanam dico ecclesiam sive curiam, a nonnullis consuetudinibus ecclesiam Dei per orbem diffusam scandalizantibus, ut est illud, quod episcopi vel archiepiscopi consecrationem seu pallium accipientes jurare coguntur obedientias et obsequia, quaedam debita, quaedam etiam indebita. Nam venire vocatum ad synodum debita quidem obedientia est, quae non exhibita in negligentes vel rebelles, etiam non jurata, puniri potest secundum canones, visitationes vero illae subauditionem quaestus habentes sicut indebitae ita et scandalo plenae sunt, nimirum beato Gregorio munus ab obsequio indebite impenso in ordinationibus ecclesiasticis Simoniae nota denotante. Compescat quoque Deus populum Romanum, bestiam nimis inquietam, suoque Pontifici occasione accipiendi nimium infestam.[1]) Alioquin stantibus adhuc et permanentibus [2]) in ipsa de qua loquimur ecclesia, sive ut illis placet dici, curia Romana praenotatis scandalis sustineri oportet interim juxta praeceptum Domini in cathedra Moysi vel Petri scribarum et Pharisaeorum similes qui dicunt et non faciunt, sustinendi quoque sunt in apostolorum catalogo Judae mercatori pessimo similes donec coeli rationales [3]) revelent iniquitatem eorum et terra adversus eos consurgat et manifestum fiat peccatum eorum, sed hi qui secundum Deum inviti et non libenter ejusmodi sustinebunt, ne forte bruta eorum patientia redarguatur ab apostolo dicente; libenter suffertis insipientes, item, sustineretis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos

---

[1]) confer cap. 53.

[2]) cod. permanentes.

[3]) Glossa marg: Coeli aperuerunt ora clamantia 1533.

caedit.[1]) Sustinendus est populus ille romanus inquietus et turbidus ac pastori suo avaritiae occasione nimium infestus, quamdiu eum sustinet Dominus. At hi, qui secundum Deum sunt, non libenter ejusmodi sustinebunt sed dolebunt et gemunt super his. Ubi enim omne caput languidum est quomodo etiam omne cor moerens sit? Quis vero cordatus non gemat et doleat super avaritia Romanorum quasi ex legitimo et instituto [2]) Pontificem suum vexante? Quae dum ei, qui est caput ecclesiae, inquietudinem ingerit etiam corpus subjectum, quod est ecclesia Dei universa, quietum [3]) esse non sinit. Unde enim illi, qui in Petri vicarium ex communi omnium consensu eligitur, unde, inquam, illi in primo ingressu suo undecim talentorum milia quae expendat Romanis pro fidelitate sibi juranda [4])? Quorum complures melius esset non jurare quam jurata fidelitate infideles existere. Quare non ei ac domnis Cardinalibus satis est fidem ab eis et obedientiam exigere, quam debent filii patri spirituali, plebes sacerdoti, grex animarum suarum pastori. Nam qui ista vincula naturalia dirumpunt facile et juramentum irritum ducunt. Quare non eis sufficit doctrina Domini dicentis: reddite quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo [5])? quatenus discat ab eis populus reddere Deo et sacerdotibus ejus in ecclesiasticis obedientiam et fidem, et regibus honorem? Ad extremum vero quare non a populo potius expelli patiuntur, quam ut ipsi avaritiae eorum servituti subjiciantur? At, inquiunt: Nos qui non solum sacerdotalia in decimis et oblationibus, sed et regalia multa ex regum donatione tenemus quodammodo et reges et sacerdotes Domini sumus, ideoque a populo non solum obedientiam in ecclesiasticis sed et fidelitatem nobis jurari exigimus ad defensionem videlicet regalium simul et pontificalium beati Petri. Quaero autem a temporibus pii principis Constantini, qui primus regalia Romanis Pontificibus contulit,

---

[1]) II. Cor. 11. 19. 20.

[2]) cod. instituta.

[3]) cod. quieta.

[4]) vide supra cap. 20.

[5]) Marc. 12. 17.

qualiter eadem regalia usque ad tempora Gregorii septimi defensa sunt, in quibus nimirum temporibus nec fidelitatem jurare nec pecuniam tantam pro fidelitate juranda expendere in populo Romano auditum fuit et tamen, ut notum est, eadem pontificalia simul et regalia adeo defensa sunt, ut beatus Gregorius quam plures in diversis provinciis echonimos haberet et ex praediorum ecclesiasticorum redditibus Romae tria milia virginum sub regula pasceret, exceptis aliis Dei famulis longe vel prope positis. — Sed dicunt, quoniam habuit ecclesia Romana et urbs illis in temporibus imperiali sede in partes Orientis translata, patritios ab imperatoribus constitutos vel a patribus et populo expetitos usque ad tempora papae Adriani I. et Leonis Pontificis, qui videlicet patricii pro sua possibilitate ex quo, ut dictum est, imperialis sedes Constantinopolim translata est, pacem patriae similiter et regalia atque pontificalia b. Petri defenderunt; postquam autem invalescentibus contra civitatem Longobardis dignitas et officium patriciatus insufficiens ad defendendum comparuit etiam reges Francorum in defensionem patriae advocati sunt. Quorum unus, Karolus videlicet primus, Desiderio rege Longobardorum capto, patricius urbis appellatus est. Secundus vero Karolus Imperator et Augustus a toto populo, Graecis quoque, qui tunc Romae aderant, consentientibus acclamatus est, quin et imperialem coronam per benedictionem pontificalem adeptus [1]) eo quod per ipsum patria urbs, videlicet Roma, ab infestatione Longobardorum occiso nimirum Egelulfo rege ipsorum liberata sit. Quia vero et cives Romani in eligendis Romanis Pontificibus graves inter se scissuras fecerant, quae nisi majoris potestatis auctoritate sedari non possent, placuit etiam ejusdem temporis Romanis Pontificibus Adriano videlicet et Leoni quatenus eisdem regibus Francorum jam imperatoribus factis Romanorum privilegiis confirmarent, quatenus in eligendis et ordinandis Romanis Pontificibus jus et potestatem ipsi et successores eorum in perpetuum obtinerent,[2]) sed et per

[1]) cod. indeptus.

[2]) confer supra cap. 16. Chron. Reichersb. ed Gewold ad. an. 774 et 957. Gretser Op. VI. p. 180. 212. 366. 396.

omnes provincias imperii sui episcopos investiendi potestas eis tradita est, ita ut nisi eorum consensu electum per eos investitum nullus consecrandi facultatem haberet; sic tamen ut electio simul et investitio atque consecratio absque pretii interventu celebrarentur. Et hac quidem potestate sibi concessa iidem imperatores ad tempus modeste usi sunt. Verum succedente tempore quia imperatores modum suum ignorantes non in numero consentientium sed primi disturbantium immo exterminantium esse coeperunt, aliquando etiam in simoniae haeresim ac schisma prolapsi dum super his corriperentur catholicae matris ecclesiae unitatem impugnare conati sunt, sanctorum patrum statuta adversus eos prodierunt, ut semet electioni non insererent, et quisquis eorum suffragio ecclesiam obtineret anathematis vinculo innodaretur. Postremo praesentibus in urbe legatis imperatorum et inconsultis electiones Romanorum Pontificum leguntur celebratae. Conventi quoque imperatores religioso mentis affectu praefatis privilegiis renuntiaverunt, multa insuper donaria ecclesiae conferentes.

Cap. LXXXVI.

Statuta Karoli et Ludowici. [1]

Unde Karolus et Ludwicus gloriosi imperatores in primo libro capitulorum suorum statuerunt: Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini ecclesiastico praebemus, ut scilicet episcopi per electionem cleri et populi secundum statuta canonum de propria dioecesi, remota personarum et munerum acceptione, ob vitae meritum et sapientiae donum eligantur. [2] — Item pactum constitutionis primi Ludwici imperatoris cum Romanis Pontificibus.

Cap. LXXXVII.

Statutum Ludewici primi imperatoris. [3]

Ego Ludewicus imperator Augustus statuo et concedo per hoc pactum confirmationis nostrae tibi beato Petro principi Apo-

[1] Pertz. Monum. German. Leges I. 206. 2. (Stülz).

[2] Chron. Reich. ad a. 849.

[3] Pertz. Monum. German. Leges II. B. 9. (Stülz pag. 160.)

stolorum et per te vicario Paschali summo pontifici et successoribus ejus in perpetuum sicut a praedecessoribus vestris usque nunc in potestate vestra et ditione tenuistis et disposuistis civitatem Romanam cum ducatu suo et suburbanis atque viculis omnibus et territoriis ejus montanis atque maritimis litoribus et portubus seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis ac villis in Tusciae partibus.

Idem: Quando divina vocatione hujus sacratissimae sedis pontifex de hoc mundo migraverit nullus ex regno nostro aut Francorum aut Longobardus aut de qualibet gente homo sub nostra potestate constitutus licentiam habeat contra Romanos aut publice aut privatim veniendi vel electionem faciendi, nullusque in civitatibus aut territoriis ad ecclesiae b. Petri apostoli potestatem pertinentibus aliquid malum propterea facere praesumat, sed liceat Romanis cum omni veneratione et sine qualibet perturbatione honorificam suo pontifici exhibere sepulturam et eum quem divina inspiratione et b. Petri intercessione omnes Romani uno consilio atque concordia sine aliqua promissione ad pontificatus ordinem elegerint sine qualibet ambiguitate et contradictione more canonico consecrare et dum consecratus fuerit legati ad nos vel ad successores nostros reges Francorum dirigantur, qui inter nos et illum amicitiam et charitatem ac pacem socient.[1])

Ex his inquiunt Romani Augustorum concessionibus claret pietas ipsorum et obedientia in Dei legibus, siquidem concessione sibi contra ecclesiasticas regulas a Romanis Pontificibus facta non solum abuti sed nec uti voluerunt; quin potius privilegiis iniquis renuntiantes pontificales electiones canonicae libertati restituerunt. At alii successores ipsorum aliter effecti pro concessione sibi semel facta contentiosius agere coeperunt ita ut ecclesiam Romanam nec non et alias ecclesias libertate canonica in electione uti cupientes una cum episcopis electis suis pontificibus persequerentur [2]) et affligerent ac de sedibus suis proturbarent; alios vero suos dictos pontifices superintruderent sicut in Gregorio VII. atque Urbano

---

[1]) Cf. Chron. Reich. ed. Gew. ad. a. 817. pag. 119.

[2]) cod. persequeretur.

per Gwibertum et Gwibertinos factum est in urbe, praeter eas clades quas electoribus et electis intulerunt in urbe suo dumtaxat imperio subjecto. Pro qua, inquiunt, causa compulsi sumus Romanorum procerum sed et populi Romani flagitare auxilium, quatenus electos suos antistites contra tyrannicas imperatorum violentias defenderent, sicut beatus quoque Ambrosius contra imperatricis Justinae, Valentiniani regis pueri matris [1]) atroces violentias a civibus Mediolanensibus defensus legitur, ovibus nimirum pro suo pastore mori paratis. Hinc est, ajunt, haec expensa pecuniae, quam nunc ex consueto populus sibi Romanus ab electo expostulat antistite. Neque enim aliter ad hanc suorum Pontificum defensionem adduci potuerunt nisi loco beneficiorum pecunias ab eis acciperent, pro quorum videlicet defensione una cum rebus animas quoque exponere periculis oporteret. Sicque factum est, ut jurantes fidelitatem ac defensionem Romano Pontifici pecunias accipiant, quatenus ex duabus rebus, videlicet juratae fidelitatis [2]) et acceptarum pecuniarum debito, quasi ex ratione dati et accepti eis obligati ex altero debeant ex altero possint ipsorum defensioni non deesse. Et Romanorum quidem Pontificum seu Cardinalium super expensis pecuniarum defensio haec est.

Sed quaeso vos o Romani quod umquam emolumentum tanto molimine dignum per easdem abominabiles expensas consecuti estis? Quin potius semel inescati pecuniis ecclesiarum cives Romani semper, ut supra quoque sumus questi, inquietudines vobis quaeritant, quarum occasione semper magis ac magis accipiant. Abominabiles sane has expensas dixerim pro quibus conquirendis ecclesiae Dei vexantur, aporiantur, dismembrantur, nec tamen per eas pax vobis pecunias effundentibus conquiritur, siquidem a vobis accipientium avaritia non impletur. Mentior si nuper sub Adriano papa ecclesia jerosolymitana pro acceptione munerum demembrata non est. Taceo enim ecclesias idem passas quas commemorare longum esset. Unum hoc, quoniam recens est, silentio non praeteribo.

---

[1]) cod. matre.

[2]) cod. fidelitates.

Cap. LXXXVIII.

De causa Hospitalensium et avaritia ac fastu Romanorum.[1])

Causa erat domno jam dictae ecclesiae patriarchae adversus fratres de hospitali pro qua, dum ei satisfactionem iidem fratres offerrent, domnus patriarcha, prout ipsis visum est, nimius in causa propria exactor exstitit. Unde ad jam dictum papam Adrianum appellatum et ventum est. Dumque causa utrorumque cognita juste quod justum inter episcopum et subjectam sibi domum judicari debuisset intervenit pecunia hospitalensium, quae illis multa vacabat idque plus quam tribus milibus marcarum puri argenti factum est, ut eadem domus de sub obedientia patriarchae tolleretur, nemini quicquam obedientiae nisi Romano debens Pontifici. Et sic iniquitas per pecuniam victrix exstitit et patriarcha dimembratus ac dolens ad sua, sed jam non sua, remeavit. Hoccine est unicum asylum ac civitas refugii,[2]) quo a toto orbe refugiendum et appellandum sit, ubi iniquitas victoriam et justitia oppressionem invenit? Haeccine est umbra Petri sub qua non infirmi sanitatem recipiunt sed sani venientes aegrotare incipiunt, immo vero et mortem incurrunt? An vero mors multarum [3]) non est sanctam Romanam ecclesiam ecclesiarum matrem novercali odio propter avaritiae detestabile malum odisse incipere, ex cujus uberibus vitale sumentes alimentum eam tamquam filii matrem diligere debuerant? An non mors multarum est animarum inter praelatos et eos, qui subjecti esse debuerant, impacabiles saevire discordias, siquidem et subjecti semel a Romanis Pontificibus accepta resistendi audacia perseveranter cervicem contra suos ex antiqua ordinatione praelatos erigunt et iidem praelati stante ipsorum superbia suaeque truncationis detrimento perseverante non facile suae laesionis injuriam oblivisci sinuntur? Ubi nunc Elias magnus ille propheta jam olim promissus a Domino, ut huic ini-

---

[1]) conf. cap. 73. et De quarta vigilia noctis nro. 11.

[2]) Glossa marginalis: Hae sunt causae frequentium visitationum Romanae urbis.

[3]) scilicet animarum.

quitati occurrat dicens: occidisti insuper et possedisti?[1]) Ubi, inquam, Elias ut supplens id quod in Romanis deest, convertat cor patrum in filios et corda filiorum in patres eorum[2]) simul et ipsos instruens Romanos quatenus sciant se non in destructionem sed in aedificationem ecclesiarum potestatem accepisse? Etenim ecclesiae universae corpus cum sit unum, est tamen et in membra pulchra varietate subdistinctum, ita ut quaedam ecclesiae etiam membra de membro sint. Posuit namque Deus in ecclesia primo Romanum Pontificem, deinde Patriarchas et primates, tertio archipraesules deinde per civitates episcopos et sub episcopis presbyteros et reliquos cleri ordines collocavit. Si ergo, quemadmodum de Caesare a quodam dictum est, Romanus Pontifex omnia ubi corpus? Quid autem prodest quempiam civitatis illius aut illius episcopum dici et ei ab ejusdem civitatis domibus contradici?

Non ego nunc contra novas quasdam ordinationes loquor, quibus ab ipsis fundatoribus quaedam coenobia speciali Romani Pontificis obedientiae assignantur, quamvis hoc ipsum non probem et inordinatum existimem, quemadmodum si manus ab aure non interposito brachio vel pes a femore sine interpositione cruris dependeat, non inquam contra has novas institutiones, sive aequas sive iniquas, loquor, sed bene antiquitus ordinata convelli per pecunias et ad perditionem animarum fovendo videlicet superbiam rebellium in deterius institui ab his praesertim quorum intererat aliorum perperam acta corrigere et superborum intentioni obviare ego abominandam desolationem dicere non dubitaverim et eam stantem in loco sancto etiam si absque interventu simoniacae pravitatis hoc fieret in deterius. Quis enim locus in terris sede b. Petri apostoli sanctior in quo videlicet claves regni coelorum repositi sunt? At jam dictae, superius quoque notatae desolationes in eodem sancto loco jam ex aliquanto tempore steterunt. Et abominanda quidem fuerit desolatio in loco sancto in templo Jerosolymis imaginem Caesaris vel aliquid aliud simulacrum ma-

---

[1]) III. reg. 21. 19.

[2]) Malach. 4. 6.

nufactum stetisse, ego vero magis abominabile existimem in sede b. Petri avaritiam, quae est simulacrorum servitus,[1]) fronte aperta residere in loco judicii iniquitatem stare ac potestatem in sacerdotio exercentes beneficos insuper dici velle. Quin etiam sicut aliquando Caesares quaedam pontificalia et ecclesiastica praesumebant, ita isti de contra cum sacerdotio quoddam in se caesareum ac supercaesareum imaginantur. Nam dum Caesares hominio sibi obligari pingunt,[2]) loquuntur et scribunt, dum eorum processus quousque veniant et ubi subsistant, quas contra civitates veniant, a quibus etiam imperio rebellibus abstineant praescribunt, quid nisi se imperatores et imperatorum dominos, porro imperatores suos vassaldos constituunt?

Hoc autem quid est aliud quam potestatem a Deo constitutam destruere et ordinationi Dei resistere?[3]) Quomodo vero imperium destructum non erit, si civitas[4]) quaelibet aliarum civitatum vastatrix, justitiae atque imperio rebellis, tuitione domni papae mirum si et absque interventu pecuniae manus imperatoris et omnem justitiae satisfactionem evadet? Ubi erunt duo illi evangelici gladii, si vel omnia Apostolicus[5]) vel omnia Caesar erit? Quasi enim unum de magnis duobus luminaribus[6]) e mundo tuleris si vel imperium suo vel sacerdotium suo vigore ac decore caruerit. Unam quoque de magnis duabus columnis a facie templi tulisti, si vel sacerdotio in spiritualibus vel regno in temporalibus sua jura negaveris. Melius utraque potestas suis erit terminis contenta,[7]) ne aliena praesumens de suo perdere mereatur. Timeat sacerdos pugnare in gladio materiali vel in ipso saeculares vindictas facere, ne argui cum Petro mereatur a Domino dicente: Converte gladium tuum in locum suum;[8]) tuum inquit non

---

[1]) Col. 3. 5.
[2]) cf. de quarta vig. noctis. nro. 12.
[3]) Rom. 13. 2.
[4]) i. e. Mediolanum.
[5]) e. gr. Papa.
[6]) vide supra cop. 37.
[7]) cod. conten.
[8]) Math. 26. 52.

meum. Gladius enim ille jam Domini esse desinit, qui absque Dei ordinatione a sacerdote vibratur. Nam sicut quae a Deo sunt, ordinata sunt, ita e diverso quae ordinata non sunt, a Deo non sunt. Timeat insuper etiam repelli a sacerdotio dicente Domino: non aedificabis mihi domum, quia vir sanguinum es.[1]) —

Metuat quoque imperator aut rex sacerdotalia sibi vendicare ne lepra Oziae percutiatur in fronte et extorris non solum a sacerdotio sed etiam a regno fiat. Caveat scindere pallium Samuelis ne dicatur ei a propheta: Scindet Dominus regnum tuum a te.[2]) Audiant pontifices praecipientem sibi Dominum: reddite quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo,[3]) ut si regalia ecclesiae a regibus tradita tenere volunt regibus inde justum ac decentem honorem exhibeant. Audiant item apostolum: Deum timete, regem honorificate.[4]) Sane dum justum ac decentem honorem regibus exhibendum a sacerdotibus regalia tenentibus censemus, hominii obligationem in illa honoris exhibitione numerandam non putamus videlicet ne apostolo contraria sentiamus dicenti: Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus ut ei placeat, cui se probavit.[5]) Novae sunt istae consuetudines et ab institutionibus canonum alienae, nec a sanctis patribus exemplatae nec ratione fultae nec auctoritate. Sufficere poterat ac deberet regibus ab episcopis munitiones tenentibus sacramentum fidelitatis et coronae suae justae defensionis salvo videlicet ipsorum officio suscipere. Hoc autem dico secundum indulgentiam nostrorum temporum abusionis non secundum justitiam. Nam secundum evangelicam seu canonum institutionem sacerdotum nisi pro recta fide omnino jurare non est. — Audiat rex: honora patrem tuum et matrem, ut sis longaevus super terram,[6]) quatenus sacerdotes tamquam patres et ecclesiam velut matrem honoret et diligat sicque regnum

---

[1]) I. Par. 28. 3.
[2]) I. reg. 28. 17.
[3]) Marc. 12. 17.
[4]) I. Petr. 2. 17.
[5]) II. Tim. 2. 4.
[6]) Exod. 20. 12.

suum stabiliri sciat. Imitetur rex vel imperator humilitatem Constantini piissimi principis sacerdotes tamquam patres et dominos honorantem summoque Pontifici etiam stratoris officium exhibentem.[1]) Imitentur Pontifices Silvestrum honorem ejusmodi non exigentem sed ad honorem Dei et ecclesiae vix admittentem. Nam si eum Silvester quasi vel in eo exhibito vane gloriatus fuisset ex debito exegisset, ab Augusto utique licet piissimo velut superbus et insolens spretus jure fuisset. Nunc vero et ille, qui ecclesiae persecutor extiterat, tamquam pro ignorantiis prioribus satisfaciens humilitatis ejusmodi schema divinitus inspiratus exhibuit et sacerdos nihilominus humilis ejusmodi honorificentiam non suam sed Dei, ut dictum est, quaerendo gloriam partim admisit, partim quoque, ut in gestis ecclesiasticis legitur, prudenti humilitate repulit, nam coronam ex auro fabrefactam coronae clericali superponi passus non est.

At nunc dum animosius talia sub nomine et officio marscalci exiguntur non mirum si a regibus et imperatoribus minori dignatione redduntur aut omnino negantur. Et quidem Constantinum ejusmodi humilitatem ex piae mentis complacito exhibuisse legimus sed eum successoribus suis imperatoribus idem faciendi legem sanxisse aut etiam sancire potuisse vel successores ejus Gratianum, Jovinianum, Theodosium exhibuisse nec scimus nec legimus. At vero dum imperium christianum bipartitum factum est, Constantinopolitano siquidem se non immerito imperatorem scribente ideo quod imperialis sedes per Constantinum eo translata sit, Francorum quoque regibus ex merito suae beneficientiae ac laborum erga Romanam urbem et ecclesiam ex complacito Romanorum in imperium promotis, potuit in illo complacito ex conniventia utriusque partis etiam istud complacere, ut talis honorificentia de strepa seu freno tenendo Romanis Pontificibus a regibus vel imperatoribus eisdem exhiberetur, sed quo fructu ipsi viderint. Nam mihi videtur talis obsequii exhibitio magis hinc superbiae, hinc vero indignationis et odii fomitem ministrare, quam ut aliquis inde fructus salutaris proveniat. Dum enim Romani oc-

[1]) de quart. vig. noct. 12, de ordine don. Spir. s. lib. I. cap. 11.

casione talis obsequii reges vel imperatores homines suos in cameris sive in publico pingunt, loquuntur et scribunt, quid hoc spirat nisi superbiam aut quem fructum inde consequuntur nisi iram principum indignationem et calumniam. Aut enim imperialem eis coronam cum nomine detrahant et sic eos suae ditioni subjiciant vel hominio obligent, si est unde id facere possint et debeant atque uno carentes augustali imperio mille super se dominos sustineant, aut si eos imperiali coronâ et nomine honorant, quomodo eos versa vice hominii pictura et nomine dehonestant? Non bene conveniunt, ut ait quidam, nec in una se morantur imperialis majestas et hominii obligatio. Melius juxta consilium apostolicum honore invicem praevenirent et alter alteri tamquam filius patri deserviret atque ille versa vice ipsum tamquam filium foveret ac diligeret eique tamquam filio gloriam et honorem thesaurizaret et esset pax inter duos illos sicut a propheta Zacharia praedictum est. Sic Constantinopolitanus imperator et patriarcha honore se invicem praeveniunt, qui dum sibi invicem [1]) sedentes equis forte occurrerint ambo ad terras descendunt cumque se mutuae charitatis officio salutaverint reascensis equis utrique viam destinatam pergunt et est pax atque charitas inter eos.

Cap. LXXXIX.
Apologesis.

Sed dicet mihi forte quispiam: Quis, qualis vel quantus es tu,[2]) ut scribendo summis te rebus inseras, et quasi consiliarium te tantae majestati interponas aut quid ad te pertinet, ne forte etiam in coelum os tuum ponas? Nam et Romanus Pontifex tantum coelo debet, ut ajunt, innocentiam et imperatoria majestas talis homuncionis adjuvari consilio dedignatur.

Ad quod audiat.

Nihil, inquio, vel parum ad me pertineret loqui de hujusmodi vel conqueri si non scandala talium occasione suborta turbarent

---

[1]) cod. in vice.

[2]) conf. supra cap. 62.

ac scinderent ecclesiam, cujus ego membrum etsi infimum ac despicabile et sum et esse cupio. Qui dum inter ovilia Christi velut ovicula infirma delitesco pastoribus meis, pastoribus animarum atque corporum post Christum summis invicem pro fastu vel quaestu conflictantibus talique conflictatione occupatis atque hinc inde post se turbas populorum trahentibus ego interim mille periculis expositus sum. Dicentibus namque aliis atque aliis: ego sum Christus et ecce hic est Christus aut ecce illic, ecce hic papa et ecclesia aut ecce illic aut certe neque hic, ut ajunt, apostolica puritas est neque illic, nam iste, ajunt, per compromissionem novam seu conspirationem iniquam irrepsit; ille vero violentus irrupit, ego dum inter multitudines pastorum dissidentium ignarus veritatis velut ovis errabunda discurro facillime lupi dentes aut cultrum furis mactanda incurro et incumbit mihi periculum, ne forte pro veritate falsitatem recipiens maledictioni subjaceam dicentis: vae qui dicunt bonum malum et malum bonum ponentes lucem tenebras et tenebras lucem dulce in amarum et amarum in dulce.[1]) Et haec sunt quae mihi loquendi necessitatem indicunt etiam praeter illas, quae extrinsecus sunt, nobis persecutiones imminentes causa schismatis, quod ex occasione dissensionis summarum potestatum, sacerdotii videlicet ac regni subortum est. Unde ignoscendum mihi puto si, saltem pro meae personae spirituali vel corporali periculo, balatum dedisse videar.

Cap. XC.

Digressionis excusatio et praemissorum ad materiae intentionem reductio.

Potest autem inter ejusmodi pseudochristos, quales nunc multos patimur, et ille filius perditionis venire ac revelari, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat,[2])

---

[1]) Isai 5. 20.

[2]) II. Thess. 2. 2.

quod est ecclesia, ostendens se tamquam sit Deus sicque abominatio desolationis stet in loco sancto. Et propter hoc magis cuilibet Christiano timendum est, ne forte inter tales pseudochristos, sacerdotes videlicet ac reges Christo dissimiles, etiam illum recipiat, de quo ait Dominus: alius veniet in nomine suo, illum accipietis.[1]) Etenim ut in praemissis abundantius a nobis investigatum est, tempora per Caesares Romanos illatae persecutionis et martyrii recte babylonicae fornaci conferuntur, in qua tres pueri tamquam Trinitatis cultores martyres missi sunt, templo quod erat Jerosolymis tunc igni conflagrato, sicut verum et vivum Dei templum, quod est ecclesia, igne tribulationis examinata est. Tempora quoque reaedificationis templi, maxime vero impedimenta reaedificandi quae a vicinis, ut in libro Nehemiae legimus, facta sunt, nec non et mala, quae genti Judaeorum per Aman impiissimum temporibus Persarum et Medorum sunt illata, temporibus haeresium et pessimo studio haereticorum nostra investigatione assimilata sunt. At vero malis, quae sub regno Graecorum eadem gens Judaeorum passa est, templi videlicet profanatio, gymnasii sub ipsa arce Jerosolymis constructio, puerorum prostitutio, in ipso templo idoli abominandi positio et mulierum profanarum habitatio, venalitas sacerdotii, ad ritum gentilem compulsio, multitudinis interemptio — haec, inquam, et cetera genti Judaeorum sub regno Graecorum mala illata periculoso consequenter huic tempori conferuntur, in quo simoniacorum principum et sacerdotum incontinentium pariter et quae sua sunt, non quae Jesu Christi simoniacee in ecclesia quaerentium ecclesia Dei nunc tempestatem ac multitudinem incurrit. Nempe ad hoc pertinet illa digressio nostra prope historicae descriptionis de pseudosacerdotibus ac pseudoregibus, de contentione quoque regni ac sacerdotii, qua invicem utrumque alterius sibi jura vendicando hactenus dimicarunt, in qua etiam contentione pseudochristi et pseudoprophetae multi surrexerunt, ut tali quasi aggere a nobis late circumjecto intra ejus ambitum bestiae, quae antichristus dicitur, latibulum investigetur sagacius. — Sed quoniam in exquirendo

---

[1]) Joan. 5. 43.

abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, insuper vero et a Domino nostro Jesu Christo in Evangelio praedicta latius evagati ac diutius in extruendo ejusmodi bestialem indaginem immorati sumus, ea, quae duce sancto Spiritu sagaciori investigationi reposita sunt, ab alio sumenda videntur exordio, cum primo ea, quae Jesu Christi simul et ecclesiae propria eatenus praemiserimus, quatenus ad nostrae intentionis tenorem et antichristi oppositionem spectare videntur. Id sane in praesenti libello interim investigatum esse sufficiat, quod res, de qua agitur, investigationem admittat. Nam sicut Babylonia de qua nasciturus dicitur antichristus non solum illa metropolis Syriae sed et Roma civitas tropice, insuper vero et mundi hujus in maligno positi confusio recte valet intelligi et quemadmodum sanctus locus in quo statura dicitur abominatio desolationis et templum in quo sessurus filius perditionis ad duo aequivocatur, ad templum videlicet quodlibet manufactum et ecclesiam, quae est templum Dei vivi, columna et firmamentum veritatis de quo nunc partim pro modulo nostro tractatum est: ita et Eliae vel duorum testium adventus potest bifariam i. e. vel corporalis vel spiritualis intelligi, ut videlicet Elias et Enoch aut certe Elias et Moyses in propriis personis aut alii in eorum spiritu veniant. Similiter et occisio eorundem potest duobus modis i. e. materialis et spiritualis aut certe utroque modo accipi, nihil horum contradicente seu determinate asserente scriptura. Sed et de tribus regibus ab antichristo superandis prophetico locutionis modo per Danielem sub typo Antiochi obscure dictum est, ita ut super singulis his sed et super charactere ac nomine bestiae investigatio non solum locum habeat, sed et valde pernecessaria sit, si forte inveniri possit, quid inter haec ambigua et obscura magis tenendum ratio suadeat, scriptura non contradicente. Sed haec favente Domino cum ad id ventum fuerit sequens investigatio attentabit.[1])

---

[1]) Glossa marg. in fine hujus libri: Gerhohe! Si vera sunt, quae in hoc primo libro scripsisti, revera nimia sunt. Si modo viveres cor tuum sincerum pallio obducere deberes si excommunicationem effugere velles 1671.

Liber II.

Incipit proëmium in librum secundum.

Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis, ait psalmigraphus,[1] sciens se inoffenso pede viam praesentis vitae ingredi, si divino fultus[2] adjutorio actuum suorum intentionem ad verbi Dei lucernam[3] dirigeret. Quod ipsum, cum omni homini de se sentiendum sit atque orandum, maxime in praesenti opusculo mihi pernecessarium existimo, qui styli mei gressus inter medium bestiarum disposui, quaeritans nimirum inter monstra hominum bestialia, quae ab exordio ecclesiae contra Christum et ejus corpus, quod est ecclesia, insurrexerunt usque nunc, quis ex omnibus hoc nomine, quod est Antichristus, dignior inveniatur; in quo maximum illud iniquitatis mysterium, quod scripturae veritatis per hominem peccati, filium perditionis complendum denotant, videri possit esse completum. Venit nunc in mentem Eleazar ille, filius Saura, de quo in libro Machabaeorum[4] legimus, quod inter reliquas bestias bello dispositas videns unam ceteris eminentiorem atque regis loricis loricatam et existimans, quod in ea esset rex, ivit, viam sibi gladio parans,

---

1) Ps. 118. 105.
2) cod. fluctus.
3) cod. lucerna.
4) I. Mach. 6. 43.

sub pedes elefantis atque supponens se illi et eum interficiens ruina ejus oppressus est. Quid si tantus bellator, dum audacter agit,[1]) sed non recte aestimat, discrimen vitae praesentis incidit, qualiter ego securus esse potero, quaerens regem super filios superbiae in tanta ferocium bestiarum multitudine ac diversitate? Sed consolatur me de bellatore jam dicto, quod etsi aestimatio ejus falsa ac delusa est, intentio tamen ejus falli non potuit, qua sibi nomen ac meritum aeternum acquisivit, qua vitae praesentis aerumnas aeternitatis requie commutavit, ad cujus rei indicium proprii quoque mole triumphi sepultus est. Similiter autem et judicium meum etsi circa personas falli possit, ut de tyrannis ac monstris bestialibus plus forte justo vel minus aestimet, intentionem tamen meam falli posse non aestimo, quae in hoc maxime versatur, ut scripturas veritatis de Antichristo prophetantes in his ac talibus personis completas, et si quid adhuc restat completioni in talibus completum iri, demonstrem; quales jam olim ecclesia Dei in prioribus agonibus perpessa est, quae extiterunt tantae malitiae et impietatis, ut propter mysterium iniquitatis complendum quicquam eorum impietati super adjici necesse non sit. Quid enim crudelitatis antichristianae spurcissimo Neroni aliisque regibus persecutoribus ecclesiae defuit? Quid doli vel malitiae Antichristo repositae Constantius Arianus et Julianus Apostata atque Valens perfecerunt? Quid immunditiarum Heinricus quartus non exercuit, ut in aliis adhuc deterioribus personis exspectemus implendum quod scriptum est: qui nocet noceat adhuc et qui in sordibus est sordescat adhuc?[2]) Quid, inquam, his eorumque similibus in crudelitate vel sordibus defuit, in quo aliquis adhuc vel ultra nocere vel sordescere possit, ut dignior illis nomine Antichristi fiat? Quasi vero aliquid illorum malitiae defuerit quid

[1]) cod. ait.
[2]) apoc. 22. 11.

Antichristo repositum sit aut ecclesia non satis prioribus agonibus perpessa sit, ita se opinio multorum in futurum de persecutionibus Antichristi extendit, ut pene nihil ad impletionem ejusmodi scripturarum priores crudelitates et ecclesiae agones fecisse arbitrentur. Unde sicut de sanctis animalibus scriptum est, quoniam oculata fuerint ante et retro, libet occulos mentis recte flectere et antiquae impietatis portentuosa monstra nec non ecclesiae agones praeteritos cum eisdem tyrannis habitos cum scripturis veritatis conferre, si forte illius bestiae principalis, quae Antichristi nomine proprie censenda est, certa vestigia valeamus invenire. Et quia praecedente libello ea, quae circa templum manufactum acta sunt cum gestis ecclesiasticis conferendo et ab eis abominationem desolationis quaeritando, quasi quandam indaginem struximus, nunc admota scripturarum lucerna intra ejus ambitum more venantium, quantum Domino ducente possumus, bestiae latibulum sagacius investigemus [1]), securi nunc de illius morsibus, quoniam sicut scriptum est f u i t e t n o n e s t, ex maxima sui parte praeterisse jam putanda est.

Primo sane, ut in calce praecedentis libelli diximus, propria nobis vel singularia vitae auctoris Domini nostri Jesu Christi in ipso et in ejus corpore pensanda sunt, quantum videlicet exiguitati nostrae possibile est et quantum praesentis operis ratio postulat, ut ex opposito Antichristi quoque propria invenire valeamus.

---

[1]) cod. investiemus.

Cap. I.

De propriis Christi et ecclesiae.

Igitur a quo rectius ea, quae Domini nostri Jesu Christi propria vel specialia sunt, quam ab ipsius ore gratioso cognoscemus de se profitentis ac dicentis, quoniam ego, inquit, sum via et veritas et vita?[1]) Et quoniam tria haec sicut omnia verba salvatoris non sine magno pondere prolata sunt aliquantisper a nobis pro modulo nostro pensanda erunt, sicut ante nos quoque a sanctis et disertis viris digne ponderata sunt. Est enim nobis Dominus Jesus via in doctrina morum et exemplis, est nobis veritas in testimoniis et promissis, est nobis vita in justificationibus et praemiis. Via nobis est docens salutaria morum, ut est illud: tollite jugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde[2]) et alia in hunc modum. Itemque viam nobis humilitatis semetipsum stravit suis pedes discipulis abluens idque nobis humilitatis exemplum relinquens. Nec solum humilitatis sed et patientiae, mansuetudinis, benignitatis, sobrietatis, castitatis, misericordiae, hilaritatis, orationum, vigiliarum theoricae omniumque virtutum seu gratiarum nobis non solum docendo sed et faciendo semetipsum viam reliquit, sicut scriptum est „quae coepit Jesus facere et docere[3]) et quoniam pertransivit bene faciendo et sanando omnes oppressos a diabolo.[4]) Apparuit namque benignitas et humanitas salvatoris nostri Dei omnibus hominibus

---

[1]) Joan. 14. 6. — [2]) Math. 11. 29. — [3]) act. 1. 1. — [4]) act. 10. 38.

erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria sobrie, juste et pie vivamus in hoc saeculo.[1]) Quicquid enim honestatis et sobrietatis ad nos, quicquid justitiae vel aequitatis ad proximum, quicquid religionis ac pietatis in Deum est vel esse potest ac debet ad omnia haec prorsus semetipsum nobis Dominus docendo et faciendo viam reliquit.

Veritas quoque nobis est Dominus Jesus, dum testificatur de se vel patre dicens: ego et Pater unum sumus[2]) et omnia mihi tradita sunt a Patre meo et quaecumque facit Pater eadem et Filius similiter facit[3]) et sicut Pater suscitat mortuos et vivificat ita et Filius, quos vult vivificat[4]) et sic in caeteris divinitatis suae testimoniis, insuper vero in omnibus, quae dixit verax ipse ac veritas comparuit. Dixit enim moxque factum est. Dixit leproso „mundare" moxque mundatus est; dixit syrophoenissae „fiat tibi sicut petiisti" et ex illa hora filia ejus sanata est; dixit centurioni „fiat tibi sicut vis" et sanatus est puer ejus; dixit Lazaro „veni foras" et statim prodiit et sic in ceteris omnibus, quaecumque dixit continuo et facta sunt.

Veritas etiam in omnibus promissis suis est Dominus Jesus, ut sunt haec: nisi ego abiero Paraclitus non veniet ad vos, dum autem assumptus fuero mittam eum ad vos.[5]) Item. Qui diligit me diligetur a Patre meo et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum.[6]) Nec solum suarum sed et paternarum promissionum ipse veritas agnoscenda est. Quodquod enim promissiones Dei sunt, ait Apostolus, in illo est.[7]) Ipse namque est terra lacte et melle manans, caritate Dei simul et nostra usque ad suimet exinanitionem, nostri autem impletionem[8]) redundans. Cum enim in forma esset Dei nec rapinam arbitrans esse se aequalem Deo, semetipsum exinanivit formam servi accipiens,[9]) et de plenitudine ejus, ait unus amicorum ejus, omnes nos

---

[1]) Tit. 2. 11. 12. — [2]) Joan. 10. 30. — [3]) Joan. 5. 19. — [4]) Joan. 5. 21. — [5]) Joan. 16. 7. — [6]) Joan. 14. 21. — [7]) II. Cor. 1. 20. — [8]) cod. impleetionem. — [9]) Phil. 2. 6.

accepimus,[1]) nec a suis tamen ipse deficiens more pinguis terrae sed nostram ariditatem vomere passionis scissa reficiens. Ipse agnus verus typici illius completivus, ipse aliarum quoque omnium figurarum legalium solida nobis veritas et corpus est. In ipso et germen justum David nobis suscitatum est, omnesque promissiones completae, quas locutus est Dominus per os sanctorum, qui a saeculo sunt prophetarum ejus.[2])

In omnibus his Dominus Jesus veritas est, nimirum proprias de se testificationes veras ostendens, suasque nobis simul et paternas promissiones in se ipso ac de se ipso complens. Sed et in hoc veritas Christus est, quia solus ipse cum Patre sanctoque Spiritu et impermutabile esse habet. Unde ipse ad Moysen: ego, inquit, sum qui sum.[3]) A quo nimirum summo, vero et impermutabili esse singula quae sunt, nisi proprii esse veritatem sortirentur, nulla essent. In tantum autem omnia et singula verius sunt, in quantum vero huic esse vicinius appropinquant v. g. homo, nisi verus homo esset, nullus esset sed pictura hominis vel umbra, nisi vera pictura vel umbra esset, nulla esset. Similiter et cetera, quanto a vero esse longius recedunt in tantum minus sunt, quae nullomodo etiam vel nihil prorsus in rebus existerent, si summae huic veritati in nullo participarent. Ipse namque veritas Christus Verbum Patris est, in quo et per quod dixit Deus Pater in principio, ut mundus et ea, quae in mundo sunt, fierent et facta sunt; nec aliud omnium et singulorum esse vel forma est, nisi quod in illius Verbi aeterna veritate sapientissime praefinitum est. Unde David in spiritu Deo confitetur dicens: Omnia in Sapientia fecisti.[4]) Item Evangelista: Quod factum est, inquit, in ipso vita erat.[5])

Et hoc quidem generaliter de omni creatura sentiendum. — Ceterum rationalis creaturae electio ad vitam praeordinatam vocata et assumpta tanto verius et beatius verum illud et singulare esse participat, quanto electioni vocationique suae concordans eidem vero esse per bonitatis similitudinem ex dilectionis fervore appropinquat,[6]) dum sicut ipse est bonus et nihil eorum odiens, quae

---

[1]) Joan. 1. 16. — [2]) Luc. 1. 70. — [3]) Exod. 3. 14. — [4]) Ps. 103. 24. — [5]) Joan. 1. 3. 4. — [6]) cod. appropinquant.

fecit, etiam secundum ipsum est vel in hoc mundo degens vel ex hoc mundo ad eum transiens vel ab exordio creationis suae, ut sunt angeli, apud ipsum manens, ubi reddit ei coronam justitiae justus judex, diligenti primo ipsum de toto quod est, sapit et potest; deinde reliqua ordinata caritate tanto amplius vel minus quanto amplius vel minus sunt secundum ipsum quod semper idem est ipsum.

Ecce quousque via et veritas Christus attingit. Nimirum a fine usque ad finem, a fine ante quem nihil fuit, usque ad finem post quem nihil erit. Finis enim ille caret fine, nec ante habens nec post. A fine in verbo praescientiae omnium et praedestinationis electorum hominum et angelorum usque ad finem consummationis cunctorum. Neque enim alia vel alii per creationem vel generationem in mundum venerunt aut in esse prodierunt vel prodeunt, quam quae ante mundum in Verbo praescita sunt aut alii consummationis beatae participes erunt, quam qui in eadem veritate, quae Christus Verbum est, praesciti et praedestinati inveniuntur. Unde et corona vitae, quae ipsis redditur, corona justitiae[1]) dicitur et qui eam reddit Deus justus judex vocatur, nimirum justus, quia sanctus et verus atque in promissione seu praedestinatione sua justificatus et erit justitiae corona, quia ex promissione ac praedestinatione reddita, non quia nos meruimus sed quia verax est, qui promisit, Deus. Nam etsi aliqua nostra sunt merita, utpote voluntas libera gratiae trahenti et in nobis ac per nos operanti consentanea, prior tamen est praeveniens nos praedestinationis gratia. De qua Psalmista: Et misericordia, inquit, ejus praeveniet me.[2]) Nam et misericordia Domini ab aeterno usque in aeternum super timentes eum; ab aeterno praedestinationis usque in aeternum consummationis, neque enim vel consummatio absque divina miseratione fit. Unde ait item animae suae: Qui coronat te in misericordia et miserationibus.[3]) Sed et justitia illius, quae et veritas, in filios filiorum i. e. in omnes generationes super timentes eum. Ubique misericordia et veritas,[4]) principaliter vero in Domino nostro Jesu Christo obviant sibi ju-

---

[1]) II. Tim. 4. 8. [2]) Ps. 58. 11. — [3]) Ps. 102. 4. — [4]) Ps. 84. 11.

stitia et pax invicem in salutis nostrae negotio se osculantur. Universae namque viae Domini misericordia et veritas [1]) pertingentes ab aeterno usque in aeternum nec se invicem deserunt, siquidem in Domino nostro Jesu Christo unitae sunt. Misericordiae namque est, quod homo propter nos et in homine via nobis factus est, sed veritas et Verbum Christo ab aeterno et in aeternum est. Et per veritatem Verbi sive per verum Dei Verbum facti sumus, sed per humanitatis ejus viam refecti. Nihilque nobis per veritatem Verbi factos esse profuit, nisi per humanitatis ejus viam redimi ac refici profuisset.

Itaque et duarum naturarum professio est in Domino nostro Jesu, quod ait de se, quoniam via sit et veritas i. e. hominis et Verbi. Nam qui per humanitatis suae patientiam viam se pedibus nostris substravit ipse per Verbi sui virtutem et veritatem nos illuminat et regit. Est enim veritas haec Domini et veritas Dominus, lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.[2]) Idemque est quod ait: ego sum via et veritas, quomodo si dixisset: Ego sum homo humilis et sublimis Deus. Ego sum via, qui humanitatis meae patientia mores iniquorum et phreneticorum contra medicum furentium insaniam sustineo mansuetudine ac lenitate mea vos ad meliora informo, qui mea praecepta et exempla sequentes ad patrem perduco. Ego item sum veritas, qui viatoribus meis, ne aberrent, luceo visaeque lucis et gustatae sapientiae pulchritudine ac dulcedine traho ac ne deficiant in via me ipso solido cibo reficio. Hoc geminae gratiae donum in Christo geminae naturae gigante nobis repositum oculo prophetali Elisaeus propheta cernebat, qui in eius typum Eliae prophetae ad coelos elevato dicebat: Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus.[3]) Nam pro quo a semetipso Dominus via et veritas dicitur, pro eodem ab Elisaeo in typo Eliae currus Israel et auriga ejus clamatur. Unus enim atque idem Christus, qui per humanitatis suae gratiam de ista nos lacrimarum convalle tamquam via vel currus subvehit et sustollit, ipse per Verbi, quod ipse est, veritatem et potentiam Israelem verum ad coelestia aurigare non desinit.

---

[1]) Ps. 24. 10. — [2]) Joan. 1. 9. — [3]) IV. reg. 2. 12.

Sed non satis nostrae imbecillitati esset gemina ista gratiae in Christo professio videlicet nobis via et veritas sive currus et auriga est, nisi et tertium consolationis membrum junxisset dicens: Ego sum via, veritas et vita. Idem enim ipse Dominus Jesus, qui nobis per mansuetudinis humanae tolerantiam per morum doctrinam et exempla virtutum via factus est, quique nobis per divinae virtutis suae veritatem et gratiam lucere in via nosque aurigare seque nobis pastum praebere non desinit, ipse quoque in se vita, cum nostram ei vitam expenderimus, fessos viatores excipit, se nobis vitam praebens in patria cum nostra vita defecerit. Quod etiam oramus dicentes: Cum defecerit virtus mea ne derelinquas me.[1] Unde alias item confitetur dicens: Sicut habet pater vitam in semetipso sic dedit et filio vitam habere in semetipso.[2] Item: Ego, inquit, sum resurrectio et vita.[3] Et venit hora et nunc est quando mortui audient vocem filii Dei et qui audierint vivent,[4] et multa in hunc modum. Sed et Salomon de ipso: Sapientia, inquit, filiis suis vitam inspirat.[5] Ipse quoque dum se vitem, discipulos palmites confitetur, eos vitam non a semetipsis habere sed a se trahere dat intelligere. Omnia haec in Domino Jesu vitam et resurrectionem annuntiant et bene, recte, necessarie. Nos enim sicut imbecilles ad virtutem, coeci ad veritatem ita et frigidi ac mortui a vita nostra Deo et vitali calore effecti eramus in Adam. Unde necessarium restaurationi nostrae fuit, ut Dominus Jesus sicut infirmitati nostrae via vel currus coecitatique nostrae veritas et auriga factus est, ita morti quoque nostrae vita et vitalis calor existeret. Hoc autem et in Elisaeo mystice praesignatum est, qui resuscitaturus puerum posuit os suum super os ejus et oculos suos super oculos ejus et manus suas super manus ejus et incurvavit se super eum sicque calefacta est caro pueri et oscitavit puer septies apertisque oculis surrexit.[6]

---

[1]) Ps. 70. 9. — [2]) Joan. 5. 26. — [3]) Joan. 11. 25. — [4]) Joan. 5. 25. — [5]) Eccl. 4. 12. — [6]) IV. reg. 4. 34. cf. Honorius Augustodunensis in Speculo ecclesiae sermo in Passione Dni (in Cod. Lambacensi) et in prologo in Cant. Cantic. Biblioth. ss. Patrum. Lugduni Tom. XX. fol. 1155.

Cap. II.

Quid sit os super os, manus super manus, oculos super oculos.

Hoc est enim vero Elisaeo Domino nostro Jesu Christo os suum super os defuncti posuisse charitatis suae osculo, quod et sponsa in canticis canticorum desiderat, vitalem nobis dilectionem inspirasse. Hoc est ei oculos super oculos mortui posuisse rationale nostrum sapientiae et veritatis, quae ipse nimirum est, luce atque praesentia illustrasse. In hoc autem et manus super manus posuit, quod exempla nobis virtutum monstrando viam nobis semetipsum ad vitam non solum docendo sed et faciendo exhibuit. Et his nimirum tribus, i. e. appositione [1]) manuum, oculorum et oris, salutis nostrae auctor et apud patrem simul et nos perorator Dominus Jesus dociles nos, benevolos et attentos quodammodo facere dignatus est, ut salutis nostrae ac vitae per ipsum nobis conferendae capaces efficeremur. Unde et vitali calore, qui nimirum non aliud quam Dei charitas est, animati quasi septies oscitantes sanctum septiformem Spiritum adtraximus apertisque ad lucem sapientiae oculis ad vitam resureximus. Mortui namque eramus, videlicet non solum languidi ad virtutem ac coeci ad sapientiam sed ad charitatem quoque frigidi. Pro eo namque ut factorem nostrum Deum tantorumque bonorum spiritualium et corporalium largitorem diligeremus, veritatem nobis in portis loquentem odio habuimus sicque ex amicis inimici gratis effecti eramus in Adam, quidquid erat aliud, nisi vitalem calorem amisisse ejusque contrarium lethale frigus ipsamque mortem incurrise? Da enim mihi hominem, cui velle quidem bonum adjacet, sed qui ignorantia et infirmitate praepeditus perficere bonum non inveniat dicentem in gemitu suo Deo: Dereliquit me virtus mea et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum,[2]) non ego hunc mortuum fatebor, maxime si criminalibus peccatis non fuerit irretitus. Unde est illud: Num gentem ignorantem interficies?[3]) et Psalmista infirmitatis confessi-

---

[1]) cod. oppositionem. — [2]) Ps. 37. 11. — [3]) Gen. 20. 4.

one divinam clementiam ad miserationem provocare confidit dicens: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.[1]) Unde et principes Apostolorum Petrus et Paulus misericordiam consecuti sunt, quod non per malitiam sed unus per infirmitatem, alter per ignorantiam peccaverant, unus qui mori timens vitam negavit, alter qui Christum ignorans ipsum in suis membris persecutus est. Quis autem omnium antiquorum et justorum ante mortem Christi a peccato mortali liber extitit? Omnes criminaliter et mortaliter peccaverunt in Adam. Peccatum sane Adae criminale et mortale dixerim, non tam, quia inobedienter ad interdictae arboris fructum extendens manum ejus esum praesumpsit, quam quod requisitus et redargutus a Domino superba defensione reatum adauxit, nimirum in ipsum vitae auctorem injuriose peccatum intorquens, qui talem ei sociam dederit, cujus suasu ad tale flagitium induci potuerit. Haec plane superba et inimica relisio peccati in Deum Adae parenti nostro maxime in crimen mortale deputata est, qua etiam superbia tumens verbisque indisciplinatis inimice increpitans et increpans mortuus eadem die in anima cum socia peccati conjuge, sicut eis a Domino comminante praedictum fuerat, postea certissime etiam animae a corpore separatione moriturus, sicut per superbiae rebellionem animae separatione a Deo mox peccato admisso fuerat mortuus. Propter hoc ergo magni prophetae descensione ad nos penitus indiguimus, quatenus appositione oris ad os, oculorum ad oculos, manuum ad manus ac totius majestatis suae contractione et quadam compassione suique exinanitione super nos rursum inspiraret in faciem animae nostrae spiraculum vitae melioris, quam in principio in faciem parentis nostri Adae corporalem inspiraverat. Factus enim fuerat primus homo in animam viventem, novissimus in spiritum vivificantem.[2])

Cap. III.

Usque adeo autem magnus propheta noster Elisaeus, quod est interpretatum Dei mei salus i. e. Dominus noster Jesus

[1]) Ps. 6. 3. — [2]) I. Cor. 15. 45.

descendit ad nos, ut homo passibilis similis nobis fieret. Usque adeo super nos incubuit nobisque mortuis applicatus est, ut commori quoque nobis secundum carnem i. e. animae a corpore separationem dignatus sit, per quod utique mortem nostram duplicem sua simpla sed indebita abolevit. Nam qui mori pro nobis voluit, quia misericors fuit, gratis mori non debuit, quia et justus fuit. Cum vero magnum ac pretiosum esset innocentem quempiam hominem pro nocentibus aut principem pro populo se neci obtulisse, ita, ut nonnumquam mors unius oblata vel postulata ad liberationem patriae vel civium valuerit, sicut de David quoque a suis dictum est: quoniam tu unus pro decem milibus computaris [1]), ipseque dum se neci apud Dominum offerret dicens: vertatur obsecro manus tua in me, ego sum qui peccavi, [2]) iste grex, quid commeruit iram a populo avertit. Sed et Aaron medium se inter vivos et mortuos incendio offerens stare fecit incendium. Non multo magis Christus non solum homo solus a peccato immunis sed etiam Deus naturae universae auctor et Dominus se pro nobis in mortem tradens mortem nostram duplicem auferre idoneus fuit, sicut in virga Moysi in serpentem versa ac serpentes devorante magorum grandi miraculo fuerat praesignatum? Sed et ipse Dominus terram Gerasenorum ingressus cum duos occurrentes sibi de monumentis, quos nemo domare potuerat, ipse suo occurso perdomuit, mortis nostrae geminae solum se idoneum domitorem praedocuit. Mors autem nostra gemina: altera peccatum, altera poena peccati extitit; una separans Deum ab anima, altera disjungens corpus et animam et utrumque in gehennam trahens. Unde Johannes in sua apocalypsi: Beati, inquit, qui habent partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem. [3]) Qui dum primam resurrectionem dicit, secundam innuit, et dum secundam mortem denuntiat primam quoque mortem insinuat. Itaque sicut in Adam duplici morte mortui, ita et per Christum gemina sumus vita et resurrectione vivificati, primo in anima resurgentes per fidem et sacramentorum Christi communionem, quae sanctorum justificatio est, deinde corpore certissime in

---

[1]) II. reg. 18. 3. — [2]) II. reg. 24. 17. — [3]) apoc. 20. 6.

incorruptione resurrecturi. Nam si spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in nobis, qui suscitavit Jesum Christum vivificabit et mortalia corpora nostra per inhabitantem spiritum ejus in nobis.[1]) Nam si mors duplex per peccatum Adae introivit in mundum atque in omnes ab eo carnaliter propagatos lex peccati et mortis pertransiit, quanto magis Christi hominis et Dei satisfactio ac poenitentia Deo Patri pro omnibus nobis oblata cunctis eum spirituali generatione contingentibus ad resurrectionem duplicem debebat proficere? Propterea namque lavacrum pietatis nobis in morte Christi sanctificatum est, quatenus ad illud a facie latrunculorum daemonum confugientes ibique mortuum nostrum, quasi in sepulchro nostri Elisei projicientes, vivum eum recipiamus et incolumem stantem super pedes suos, sicut olim in Elisaeo grandi miraculo praesignatum est, ut mortuus mortuum ossium suorum contactu resuscitaret. Nam si umbra tantum et veritatis proëmium valuit, ut vitam praesentem mortuo quandoque finiendam conferret, quomodo non multo magis veritas ad vitam eis aeternam restituendam proficiet, qui consepulti ei per baptismum in mortem ossa salutaria Christi in fine contigerunt? Ipse nempe novus Adam Dominus noster Jesus a sopore mortis suscitatus tamquam suis recognitis et a se vitam mutuantibus dicit: Hoc nunc os ex ossibus meis et caro ex carne mea.[2]) Resurgens namque a mortuis et stans in medio discipulorum suorum Sapientia filiis suis vitam inspirans insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis,[3]) dans videlicet eis Spiritum sanctum in remissionem peccatorum cum potestate dandi eandem peccatorum remissionem, quae est resurrectio prima. In testimonium quoque secundae resurrectionis non solum ipse auctor vitae resurrexit a mortuis sed et multa corpora sanctorum, qui dormierant, cum eo surrexerunt, sicut evangelica tradit historia et venerunt in civitatem sanctam et apparuerunt multis. Duplici autem justitia Dominus Jesus potestatem habet hominibus dimittendi peccata: primo, quia Deus ipse est cui soli peccatur; secundo, quia peccatum i. e. sacrificium pro peccato fieri ac

[1]) Rom. 8. 11. — [2]) gen. 2. 23. — [3]) Joan. 20. 23.

pro nobis inter peccatores deputari dignatus est. Similiter et duplici justitia corporibus resurrectionem dare potens est. Primo videlicet quia Deus est, vitam et vivificandi potestatem, dante seu generante Patre, habens in semetipso, sicut Pater quoque vitam habet in semetipso, nam sicut Pater quos vult vivificat ita et filius quos vult vivificat;[1]) secundo, quia ad mortem usque corporis ipse humiliatus est propter nos, nimirum noster Elisaeus, quod interpretatur Dei mei salus, adeo mortuo nostro incumbens, ut mortem nostram ipse moriendo contingeret sicque de simpla sua et vitali morte nobis contra duplam nostram mortem antidotum conderet. Ideo autem simpla sua mors contra duplam nostram invaluit, quia is, qui moriebatur pro nobis, non solum homo innocens ac perinde morti nihil debens sed etiam Deus ac dominus mortis fuit, cui jure flectitur omne genu, non solum coelestium ac terrestrium sed et infernorum, ut per duo haec pretiosa unius mortis pondera in lance misericordiae cum nostris miseriis imposita ac pro nobis impensa super exaltaretur lanx justitiae peccata nostra continens sicque projicerentur in profundum maris omnia peccata nostra. Mors namque carnis nostrae misericorditer nobis a Deo provisa est dicente ac praecipiente Domino ministris angelicis post peccatum Adae: videte ne forte sumat de ligno vitae et vivat in aeternum.[2]) Si enim posteaquam peccaverat[3]) insuper etiam de ligno vitae comedisset, fuisset utique in eo sicut misera aeternitas ita et aeterna miseria, essetque homo similis per omnia daemonibus aeternaliter miseris et misere aeternis. Unde, ut dixi, mors nostra misericorditer nobis a Deo provisa recte constituitur in lance misericordiae cum miseria et morte Dei simul et hominis Jesu locatis e regione peccatis nostris in lance justitiae cum triplum contra simplum sit. Triplum autem dixerim numero tantum ponderum non etiam proportione numeratorum. Alioquin pretium singulare mortis Christi pro nobis redimendis voluntarie impensae etiam solum in lance misericordiae constitutum in infinitum nostrae miseriae simul et morti insuper et peccatis praeponderat etiamsi pariter ac simul e regione

---

[1]) Joan. 5. 21. — [2]) gen. 3. 22. — [3]) cod. peccata.

in lance justitiae collocentur. Siquidem auctor creaturae in infinitum dignior omni creatura est.

Cap. IV.

Multum de justitia et misericordia incarnationis Christi.

Sic vero salutis nostrae auctor misericorditer nobis subvenire dignatus est, ut justitiam simul ad vitam remeandi nobis, quam non habuimus, conferret. Etenim sapientissime provisum a Deo est, ut a nobis et ex nostro nova tamen origine i. e. absque peccati traduce sumeret, quod pro nobis redimendis impenderet. Quoniam igitur ex nostro a Deo redempti sumus haec nostrae justitiae ad vitam remeandi portio est. Neque enim deceret Dominum majestatis talis misericordia, quae penitus omni careret justitia, nunc vero misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatae sunt,[1]) ut et misericordia eam, qua[2]) in aeternum damnandi fueramus, temperaret justitiam et justitia Salvatoris nostri condiret misericordiam. Sane et hoc justitiae ratio postulabat, ut, qui delectationem ac facilitatem peccandi scienter inobedientes ac praemoniti mortem incurrimus, per duram et asperam obedientiam pro nobis usque ad mortem exhibita ad vitam redimeremur, alioquin facilitas veniae fieret occasio delinquendi dicique posset de Domino simul ac nobis proverbium: familiaris dominus temerarios servos nutrit, quod utique tam ipsi quam servis esset ingloriosum.[3]) Oportuit autem obedientiam hanc per innocentem personam hominis exhiberi, alioquin nocentis mors et obedientia vix proprio[4]) delendo reatui sufficeret, nedum totius mundi crimen aboleret. Quid igitur? Ad hoc opus obedientiae Deus angelorum quempiam misisset homine vestitum ne sine nostro redemptio fieret? Sed angelus etsi carne humana vestiri potuerit, animam induere humanam, qua nimirum ipse subtilior non est, non potuisset. Praeterea nec hominis nec angeli

---

[1]) Ps. 84. 11. — [2]) cod. quam. — [3]) cod. inglorium. — [4]) cod. propria.

carne vestiti mors licet innocentis tanti pretii aut ponderis apud Deum justum judicem fuisset, ut totius nocentis mundi peccatis praeponderare valuisset. Cum enim quilibet hominum vel angelorum pro justitia indeficienter vel usque ad mortem agonizare debeat idque faciens sibi tantum et non alteri merita conquirat dicendumque sit ei post omnia haec, quoniam servus inutilis sit, quae debui facere feci,[1]) quid esset quod in alterius, ne dicam totius mundi, redemptionem impenderet cum sibi vix utriusque merita sufficerentur?

Cap. V.

Nullum fuisse alium modum restaurationis congruum.

Hominem novum de terra ad hoc opus creasset? Sed et ille divino fultus adjutorio vix sibi ad standum sufficeret, nedum et lapsos universos de profundo mortis, principe tenebrarum devicto, erigeret. Sed et angelus, quoniam corruptibilis naturae est vix sibi ad standum maxime carne corruptibili circumdatus per gratiam sufficeret, nedum adversas potestates expugnaret. Esto autem, quod fuerit possibile per angelum vel per hominem noviter e terra creatum redemptionem compleri sed antiquum Dei consilium de sublimatione seu reparatione hominum ad aequalitatem angelorum per hominem vel angelum compleri valuisset.[2]) Quomodo enim in gloria par angelis esset, qui vel hominem purum vel quemlibet angelorum ad Deum mediatorem haberet, cujus tamquam servus emptitius esset? Non enim aequantur in gloria servus et Dominus. Jam vero etsi alium praeter unum Deum homo redemptorem et Dominum recognosceret, quomodo unius veri Dei et Domini ac non potius creaturae cultor et servus existeret? Essent enim jam duo quaedam principia hominis, unum creationis, aliud redemtionis. Dumque hominis alius creator atque alius redemptor existeret, cui inter hos homo potius culturam deberet non facile constare posset, creatori videlicet an redemptori? Cum enim magnum sit

[1]) Luc. 17. 10. — [2]) deest „non."

beneficium creationis non minus est utique beneficium redemptionis. Immo vero quia nihil nobis nasci profuit nisi redimi profuisset majus plane opus redemptionis nobisque utilius quam creationis opus esse constabit. Unde si alius creator atque alius redemptor existeret non solum aequali sed et majore ab hominibus redemptor quam creator honore habendus putaretur. Sed sic plenae beatitudinis compos anima rationalis non esset, quae aliud quid, praeter Deum summe veneraretur ac diligeret, quippe quam sola unius Dei plena visio et dilectio beatificat.

Cap. VI.

Nullus mediator aut redemptor aptus praeter Christum.

Ad quid igitur inter medium animae ac Deum redemtor ille non Deus? Ad nihil utique nisi ad offensionem immo et subversionem dilectionis humanae in Deum tendere se debentis. Nec dicat mihi quis, quod per mediatorem illum tamquam a Deo creatum et missum dilectio cordis humani tendere se haberet in Deum et non in illo tali redemptore quiescere, nam et nunc, cum Christus nobis a Deo Patre natus ac redemtor missus sit, non ita dilectio nostra per ipsum in Deum Patrem tendit, ut in ipso minori plenitudine quam in Patre Deo requiescat, quippe a quo non minora quam a Deo Patre beneficia percepimus. Similiter autem et in illo redemtore non Deo quiescere haberet, quippe qui non minoris meriti apud nos quam Christus existeret, sicque in tantum a dilectione conditoris nostra charitas excideret, in quantum aliquid cum ipso aut prae ipso, quod non esset Deus diligeret, atque ita salva esse non posset anima rationalis aliquid praeter Deum loco Dei diligens, quippe cujus salus in sola unius Dei veri cognitione ac dilectione consistit. Unde procul pellenda est illa suspicio per alium quam per Deum hominem factum redemtionem hominis compleri potuisse, alioquin Christus gratis ac sine causa mortuus esset. Nunc autem demonstratum est, quantae [1])

[1]) cod. quanta.

alium redemptorem inconvenientiae consequerentur. Neque enim homo ad gloriam angelorum homini praedestinatam per talem redemptorem pertingeret, quippe qui se hominis vel angeli servum emptitium cognosceret, sed nec redemptioni homo aptus esset, qui non de stirpe Adae sed nova origine creatus esset, aut, etsi redemptio per alium compleri absque offensione potuisset, unius Dei cultus apud hominem in dubium veniret, nescientem inter creatorem et redemptorem quem potius divino honore colere deberet. Quapropter ad reparationis nostrae plenitudinem omnino necessarius erat adventus Dei ad homines ita ut praeter hominem Deum ac Deum hominem quemcumque redemptorem induxeris insufficiens et incongruus inveniatur.

Cap. VII.

In tribus personis potissimum Filio Dei congruere opus redemtionis.

Hoc sane redemptionis opus ei personae potissimum congruebat, quae maxime per hominis praevaricationem injuriata est. Nam cum filius unica et singularis imago Patris sit, est enim, ut ait apostolus, splendor gloriae et figura substantiae ejus,[1]) dum sicut angelus in coelo, ita et homo in paradiso a diabolo persuasus Dei similitudinem superbus appetiit uterque gloriae filii Dei invidus locum ejus intolerabili audacia ambivit. Dicens namque angelus: in coelo ponam sedem meam ad aquilonem, conscendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo[2]) itemque homini suadendo dicens: comedite et eritis sicut dii,[3]) scientes bonum et malum, ipseque homo hac intentione manum ad cibum vetitum porrigens, quid nisi eum, qui vera et unica imago et similitudo Dei est, ipsumque Christum, qui est imago Dei invisibilis, in quo sunt omnes thesauri sapientiae ac scientiae Dei absconditi,[4]) supplantare moliti sunt, unde congruentissime illius personae intercessio in hominis forma

[1]) Hebr. 1. 3. — [2]) Is. 14. 14. — [3]) Gen. 3. 5. — [4]) Col. 2. 3.

admissa et suscepta a Deo Patre ac tota sancta Trinitate est, in quam maxime peccatum esse cognoscitur. Sed angelus, utpote inventor et auctor malitiae, requisitus non est; homo vero, utpote ab alio suasus ac deceptus a Deo ad poenitentiam requisitus tandemque per mortis Christi obedientiam inventus et tamquam ovis aberrans in humeris boni pastoris reportatus est. Qui, quoniam sciens et prudens per inobedientiae reatum mortem incurrit, oportuit, ut Christus [1]) eum levaturus eodem per obedientiam descenderet, quo ille se suamque posteritatem ultroneus praecipitaverat. Et haec mortis Christi rationabilis causa extitit, qui quasi gratis immo vero gratis mortuus fuisset, si per alium mediatorem redimi homo atque ad aequalitatem angelorum, ut praedestinatus fuerat, reduci potuisset. Sed hoc impossibile per alium fieri satis, ut aestimo, praemonstratum est. Nulla sane ratio dilectionis illius magnitudinem comprehendit, inaestimabilis enim et in Deo Patre illa dilectio charitatis est, qua ut servum redimeret filium tradidit et in Domino Jesu qua duram mortis obedientiam, quae ipsum solum expetebat, pro servo et inimico subire dedignatus non est. Nulla, inquam, ratio hujus dilectionis magnitudinem comprehendit, utpote quae omnem modum humanae aestimationis excedit, nisi quod hoc aliquatenus humana ratio capit quod justum et rationabile est veritatem Dei de mendacio diaboli triumphare ac falsitatem semper ejus veritati Dei succumbere. Dixerat autem Deus: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram [2]) idque totius Trinitatis consilium extitit. Super quo propheta supplicans et prophetans: consilium, inquit, tuum antiquum verum fiat, sed illud consilium quum diabolus decipiendo hominem falsificare molitus est juste sapientia Dei victrix ac diabolus tandem victus et mendax comparare debuit, sicut de eadem sapientia scriptum est „quoniam attingit a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter.[3]) Sic autem et lux solaris umbram terrae, quae nox dicitur, vincit eamque in conum cogens tandem deficere facit.

---

[1]) cod. Christum. — [2]) Gen. 1. 26. — [3]) Sap. 8. 1.

Cap. VIII.

Aliquoties humana ratio capit justitiam inaestimabilis charitatis Dei ad restaurationem hominis.

Dicitur autem adhuc: Cum scriptum de Deo sit, quoniam omnia quaecumquae voluit fecit[1]) in coelo et in terra, eo quod omnipotens sit, quare non solo verbo suo, quo dixit et facta sunt[2]) omnia, non etiam diabolum praecipitavit in abyssum et sic liberavit hominem, ut mortis unici filii sui tanta impendia necessaria non fuissent? Et haec quidem ajunt homines humana quadam pietate mortem filii Dei abhorrentes eamque minus necessariam arbitrantes. Sed sciant, qui haec dicunt, sapientiae Dei non esse praecipitanter agere, de qua scriptum est quoniam attingit usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter,[3]) quin potius aequum est eam cuique rei suum tempus conservare et unamquamque rem suo tempore in opus adducere. Dicit autem Salomon quoniam tempus plantandi et tempus evellendi[4]) quod plantatum est. Sicut autem certum tempus extitit, quo ille Cherub in coelesti paradiso inter ligna voluptatis plantatus est, et sicut tempore certo ac pro causa certa de coelo in terram et caliginosum hunc aërem projectus est, sic etiam non quolibet sed certo tempore ac pro certa causa in abyssum erat et est praecipitandus. Sicut enim signifer ejus Pharao non statim post primam vel secundam plagam in maris abyssum dimersus est sed expectatus est decem plagarum contemptus et sanguinis typici immolatio totiusque Israelis persecutio, quos ubi cum curribus et equitibus suis usque ad ingressum maris rubri persecutus est, tunc tandem ipse abysso maris obrutus est: sic et de diabolo observatum est, ut non ante suarum iniquitatum completionem in abyssum mitteretur justitia Dei cuique rei sua jura conservante. Itaque et in ipso decem praeceptorum legis quasi decem plagarum ejus contemptus exspectatus est, qui dum in morte Christi quasi agni incontaminati et immaculati reus et suasor inventus est, dum-

---

[1]) Ps. 113. 3. — [2]) Ps. 32. 9. — [3]) Sap. 8. 1. — [4]) Eccl. 3. 2.

que Israelem verum, populum videlicet christianum, ejusdem agni sanguine signatum gladiis regum securibus consulum totiusque exercitus sui apparatu persequitur eo tandem in mari obrutus est, quod nobis in morte ac per mortem Christi pietatis lavacrum conditum est. Quod ubi plena fide ingressi transierimus spiritualis Pharaonis omniumque satellitum ejus tam daemonum quam hominum persecutionem non est quod timeamus. Nam et homo si corpus occidit animam non potest occidere et diabolus in nobis, qui Christi facti sumus, suae cautionis signa non inveniet per quae rursum nos suae servituti subjiciat, nisi nos ultronee ad serviendum ei in luto et in lateribus in tenebras ignorantiae redeamus. Sic autem et in Sodomitis, in septem quoque gentibus habitatoribus terrae Chanaan tempus completionis iniquitatum eorum exspectatum est, ut mirum esse non debeat, nec in diabolo Dominum supplantare debuisse judicium, quo eum ante suae impietatis completionem in abyssum mitteret, sicque ipsum a possessione seu tentatione humani generis arceret. Utitur autem etiam usque hodie Dominus ejus nequitia tamquam fabro vel malleo ad fabricanda vel polienda vasa misericordiae, in quibus ostendat divitias gratiae suae propter quod faciendum, ut dictum est, cum ceteris vasis irae, quae apta sunt in interitum, in multa patientia etiam sustinet diabolum usque ad tempora consummationis electorum, quae nosse nostrum non est sed Pater ea posuit in sua potestate.[1])

Cap. IX.

Hominem nisi tali ac tanto pretio redemptum non fore aptum regno etiam propria diverberante conscientia.

Esto autem, quod Dominus non servato judicii tempore vel ordine diabolum statim post seductionem hominis vel aliquanto post tempore in abyssum miserit hominemque absque satisfactione

---

[1]) act. 1. 7.

legitima de potestate ejus rapuerit quid putabimus? Num aut statim homo divino conspectu dignus existeret aut levare faciem suam ad Deum posset? Quin potius male adhuc conscius et conscientiae propriae flagris ac stimulis diverberatus a veri luminis aspectu refugeret nec magis coram facie Domini quam vetus ille Adam vel fratricida Cain stare potuisset. Quo autem fugeret ab aspectu veri luminis nisi ad suas tenebras, in quibus non magis ipse quam diabolus refuga lucis umquam requiem esset inventurus, essentque jam duo rei, diabolus et homo, in suis tenebris ab alterutrum disjuncti in eis inventum puniendi nisi pietas redemptoris humano generi subveniendum decrevisset. Nunc vero in uno atque eodem carcere vincti isti inventi sunt, quando verus Joseph hujus mundi insuper et inferni carcerem visitare descendit. Ad cujus omnipotentem conjecturam et omnia efficax verbum, sicut in scriptura veritatis expressum fuerat, unus reorum videlicet homo gratiae Domini Dei sui redditus et in gradum pristinum restitutus est; alter vero reorum i. e. diabolus in cruce, quam Domino nostro Jesu paraverat, ipse victus et tortus atque a laesione fidelium suspensus est. Quia enim passiones illae crucis in Christo causam non habuerunt sed pro hominis reatu abolendo inferente per ministros suos diabolo a Christo susceptae voluntariae sunt, inanes esse nequaquam potuerunt sed sicut homini liberationem et refrigerium afferentes insuper contra omnia tentamenta diaboli scutum et locus refugii existunt, ita diabolo tormentum et aeterna confixio permanebunt. Et tunc enim corpus ejus ab avibus coeli comminutum et dilaceratum est non solum magno herodio nostro vel aquila Christo infernum spoliante et eos, quos sibi incorporaverat, auferente sed apostolis quoque aliisque piis avibus spolia sibi de eodem corpore, quod erat impiorum universitas, rapientibus. Alius vero vinctus, id est homo, non solum de potestate mortis erutus sed et in regnum dilectionis filii Dei translatus ejusque ac Patris Dei Spiritu potatus ita Christum in suis membris sanae doctrinae poculis inebriat immo et ipsi divinitati dulcia sui affectus pocula propinat, quemadmodum ipse ab eadem in benedictionibus dulcedinis praeventus est, sicut ipsa veritas promittere dignata: i n t r a b o, inquit, a d i l l u m e t c o e n a b o c u m i l l o

e t ipse mecum.[1]) Ad hanc vero dilectionis gratiam ab ipsa divinitatis hauriendam numquam homo, utpote male sibi conscius, faciem levasset, nisi filius Dei descendens ad nos prior ipse nos usque ad moriendum pro nobis dilexisset pacemque nobis ab inferis reportasset dicens: Pax vobis. Quasi diceret: Peccatum vestrum morte mea expiatum et divinitas vobis propitiata est. Itaque per omnia mors Christi necessaria nostrae saluti comprobatur sine qua etiam homo de potestate diaboli erutus faciem suam ad videndam claritatem Dei numquam levasset. Hoc enim a Domino etiam Moysi famulo suo praedictum est faciem ejus praemature suspiranti. Hanc enim videre solius mundi cordis est, quod nondum perfecte erat Moyses necdum mortis Christi sacramento expiatus. Unde ait ei Dominus: Facies mea non videbitur tibi, non enim videbit me homo et vivere potest.[2]) Quasi diceret: Qualis tu adhuc es vita veteris Adae vivens faciem meam videre non poteris sed oportet, ut moriaris tu primo cum reliquis hominibus sacramento mortis unigeniti mei participans sicque ei consepultus per baptismum in morte faciem meam videre idoneus efficieris.

Cap. X.

Absolutio magnae quaestionis per similitudinem alterius quaestionis ex scripturis assumptam.

Sed ajunt adhuc inquisitores magis temerarii quam pii: Cur non potius fecit Deus, ut diabolus non fuisset et homo non peccasset sicque mors ejus necessaria non extitisset? A quibus e diverso et nos quaerere possumus: Cur non potius fecit Deus, ut Israel in Aegyptum non descendisset et Pharao rex impius non fuisset, quam ut tot plagis et signis ac prodigiis inde liberari eum oportuisset? Quod si responderint, quoniam divina omnipotentia his plagis et mirabilibus clarificata est, ita, ut omnes gentes enarrent, magnalia Dei, quomodo videlicet Pharaonem et exercitum ejus obtriverit in mari rubro et liberaverit Israelem educens eum

[1]) apoc. 3. 20. — [2]) Exod. 33. 20.

per medium maris rubri, cur non similiter advertunt qualiter eadem divina potentia in exterminando diabolum clarificata est? Majus enim et praeclarius omnino opus est per infirmitatem carnis ac per mansuetudinem patientiae diabolum esse a Deo superatum, quam si eum per divinitatis suae potentiam solo nutu prostravisset.

Neque vero decebat Deum, qui creaturam rationalem diabolum fecerat, magnitudinis suae mole illum opprimere sed rationis et judicii aequitate superare. Justum autem diaboli possessionem in homine extitisse non penitus negare possumus. Quia enim homo in magna excellentia a Deo conditus sed beneficiis conditoris ingratus intus contra Deum superbe tumuerat, justum erat apud Deum, quatenus ad eum tentandum diabolus admitteretur, quo per tentatoris astutiam manifestum fieret, quod in ejus corde versabatur. Nisi enim, ut ante nos dictum est, intus tumuisset foris tentatus tam facile non cessisset. Aut etiam si non tumuit, justum tamen fuit, ut ejus obedientia per tentatoris astutiam probaretur, quatenus probata corona dignior fieret, aut reproba inventa juste abjici mereretur. Sic enim et angeli sancti [1]) eorumdem apostatam angelum omnes tentati sunt, cujus potius suae videlicet superbae suasioni an Dei humillimae charitati vellent obedire. Et qui ex eis reprobi inventi sunt cum ipso ad ejus tenebras delapsi sunt, reliqui perseverantiae et victoriae suae praemium aeternitatis in dilectione Dei, constantiam simul et coronam gloriae, perceperunt.

Tantum est enim aeternae gloriae pondus, ut nec homo nec angelus illa sublimitatis excellentia, illo torrente voluptatis perfecte idoneus vel dignus existeret nisi prius tentatione fidelis comprobatus. Praevidit autem Deus ejusdem angeli superbiam simul et casum, quod videlicet ex angelo diabolus futurus esset et tamen eum juste et rationabiliter condere voluit, utpote simul praevidens, non solum nihil eorum, quae voluit Deus, per ejus malitiam posse impediri sed potius profectui voluptatis ejus omnimodis servituram. Quid autem, inquis, voluit Deus? Quid me interrogas? Interroga apostolum vas electionis et dicet tibi: Quoniam

---

[1]) videtur deesse „per."

volens Deus ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irae, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasis misericordiae.[1])

Nota diligenter ex verbis apostoli, quid Deus voluit et quid sustinuit. Duo videlicet voluit, quae dicta sunt, quorum unum est ostendere iram et notam facere potentiam suam; aliud vero ostendere divitias gloriae suae in vasis misericordiae et haec duo bona valde sunt et quae deceat Deum velle. Nam si ira ejus et potentia, aemulatio atque vindicta in impios nesciatur, unde timeri debeat non erit. Et si divitiae gloriae ejus in vasis misericordiae ignorentur multum deerit, unde diligi debeat Deus. Propter haec ergo duo bona et valde omni rationali creaturae utilia ostendenda. Sustinuit Deus in multa patientia vasa irae apta in interitum, diabolum videlicet atque hominem divinae voluntati, quantum in ipsis erat, resultantes sed omnino eidem voluntati Dei effectui mancipandae nescienter servientes, sicut fratres quoque Joseph in vendendo ipsum divinae voluntati ac somnii illius oraculo implendo perversa et impia intentione resultabant, sed ejusdem somnii ac divinae voluntatis impletioni in eodem facto suo nescientes serviebant.

Magna igitur opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus[2]) etiam in eo quod diabolum et hominem, quorum peccata et malitiam praescivit, esse tamen eos voluit. Nam si nullatenus esse eos voluisset non creasset ejusmodi, quos malos praenovit, aut factos malos in tanta patientia sustinuisset. Esse autem malos malum non est ac perinde malos esse Deus voluit, quorum tamen malitiam et iniquitatem numquam ipse voluit aut velle debuit, alioquin si iniquitatem ipse vellet jam Deus non esset, psalmista testante, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.[3]) Voluit igitur Deus et velle debuit malos esse, quorum tamen malitiam ipse noluit, sicut de Pharaone carnali ipse loquitur, quod etiam de isto spirituali sub typo illius intelligi valeat. Quoniam in hoc ipsum excitavi eum,

[1]) Rom. 9. 22. Vulgat. in vasa mis. — [2]) Ps. 110. 2. — [3]) Ps. 5. 5.

ut ostendam in eo fortitudinem meam[1]) et alias: fortem, inquit, feci eum, ut corriperem.[2])

Quid enim est Pharaonem sive istum spiritualem sive illum carnalem Deum suscitasse, nisi hunc, Satanam videlicet, in magna sublimitate angelicae naturae creasse, illum autem cum esset malus in regnum sublevasse, quatenus uterque malitiam praescitam efficacius implere potuisset, iste videlicet inter angelos et super angelos superbiendo eorumque constantiam tentando et quos valuit post se trahendo ac postmodum hominem decipiendo; ille vero Israelem carnalem affligendo et contra Dei praeceptum retinendo.[3]) Nescio, inquit, Dominum et Israelem non dimittam.[4]) Sed uterque tandem ruinae suae damno prostratus didicit non blasphemare et vel sero atque invitus potentiam Dei confiteri dicens: Fugiamus Israelem, Deus enim pugnat pro eis contra nos,[5]) alter maris rubri undis occurrentibus, alter vero praeter id quod de coelo prostratus est aquis baptismi sanguine Christi rubricatis ab humani generis possessione ipsum detinentibus ac pondere pretii sui eum in abyssum aeternaliter deprimentibus.

Debuit autem et homo ad tempus poenarum suarum miseriis experiri, quantum distet inter servientem Deo et non servientem Deo et non [6]) suave Domini legitimi et jugum premens atque opprimens tyranni. Quodsi diabolus et homo desertores comprehensi in malitia sua et poenis meritis addicti non fuissent, in quo verus Israel, angeli sancti et homines, timere Deum didicissent cujus fortitudinem et in desertores vindictam experimento nescisset.[7]) Insuper et sancti angeli maxime autem homines impiorum malitia ad sui probationem veluti camino eguerunt per quos probati velut aurum vel tamquam vasa figuli atque in patientia atque aemulatione justitiae exercitati digniores regno illo invenirentur. Nec mirum illud non solum de hominibus sed et de angelis electis sentire, cum legamus in scripturis canonicis proelium magnum factum esse [8]) in coelo, in quo Michael et angeli

---

[1]) Exod. 9. 16. — [2]) Habac. 1. 12. — [3]) cod. dei ceptum reddinendo. — [4]) Exod. 5. 2. — [5]) Exod. 14. 25. — [6]) nomen? — [7]) cod. nescisset. — [8]) apoc. 12. 7.

ejus cum dracone, qui diabolus intelligitur, et angelis ejus proeliati sunt. Sed et in Danielis prophetia legimus angelum principem regni Persarum, qui nimirum malus intelligitur, angelo bono ad consolationem prophetae misso viginti et uno diebus restitisse donec ei Michael princeps populi Dei in adjutorium venerit. Et apostolus testatur, quoniam omnes sunt administratorii Spiritus missi propter eos qui haereditatem capiunt salutis. Qui nisi malis angelis resistendo pro nobis satagerent humana infirmitas subsistere non valeret.

Unde propheta Elisaeus ait puero suo: Ne timeas, plures enim nobiscum sunt quam cum illis,[1]) significans nimirum et cum illis gentilibus, qui ad comprehendum ipsum venerant, malos angelos adventasse, sed plures bonos in ejus adjutorium missos fuisse. Et numquid putandum erit inter tales agones etiam sanctis angelis nihil vel parum meriti vel coronarum accedere? Et haec diximus, ut non solum electis hominibus sed et angelis sanctis ex malorum angelorum sive hominum pervicacia nonnihil meritorum accedere monstraremus. Propter haec igitur omnia aliaque similia non debuit facere Deus, ut angelus et homo non peccassent vel ut mali non essent, quippe cujus potentia et ira in illorum repressione fuerat demonstranda sed et patientia sanctorum exercenda et corona augmentanda. Cur igitur faceret, ut mali non essent, qui malitia ipsorum ad honorem proprium simul profectum suorum uti novisset? Igitur quod facere debuit, quodque eum facere decuit, hoc fecit Deus angelum etiam illum ruiturum et hominem creando, quos ipse utique rectos creavit dando eis rationis et judicii inter bonum et malum vigorem simul et arbitrii libertatem posuitque ante faciem eorum ignem et aquam, ignem incendii et aquam refrigerii, ut[2]) quodcumque vellent extenderent manum suam. At unus eorum contra legem naturalem, alter vero etiam praeceptum praevaricans, dum ad ignem mittunt manum angelus sibi ignis aeterni reatum adduxit, homo vero infinitis miscuit se quaestionibus a quibus sine mediatoris adventu et labore absolvi non posset.

---

[1]) IV. reg. 6. 16. — [2]) deest ad.

Cap. XI.

Impermutabiles creari hominem vel angelum ad omnipotentiae opera non pertinere.

Ut autem tales faceret, qui peccare non potuissent,[1]) ad omnipotentiae opera non pertinebat. Hoc enim divinitatis privilegium est impermutabilem esse, peccare et mori non posse. Quod si ad omnipotentiae opera pertineret, ut creaturam coimmortalem sibi et aeternam faceret, jam unius Dei solius immortalis privilegium periisset. Quod iniquum utique esset, ut opus factori suo aequale existeret. Hoc autem dictum sit salvo assumpti in Deum hominis privilegio, qui jam creatura censendus non est, eo quod una intermutatio persona sit. Docet hoc apostolus Paulus, qui, cum me creaturae servire prohibeat, ipse tamen se Christi servum dicere non erubescit. Potest autem ad aeternitatis participationem angelus et homo per Dei gratiam proficere, sicut sancti angeli nunc ad aeternitatem et incorruptionem per gratiam roborati sunt, natura enim corruptibiles omnes esse noscuntur. Et haec operum divinae omnipotentiae ab ipso determinati circumscriptio est, in quibus ipse operibus jure laudantibus et magnificandus est, eo quod fecerit omnia bona valde, quae singula etiam considerata bona sunt, et qualia nemo facere de nihilo nisi Deus potuisset. Quae vero omnipotentem facere non deceret haec inter omnipotentiae opera censenda non sunt, Nec vero omnipotentiae praejudicat, quod solum filium sibi coaeternum sanctumque amborum de sua natura producere potuit Spiritum nihil vero sibi coaeternum et impermutabile vel ab ipso Deo fieri potuit cum hoc ipsum ad ejus naturae, ut dictum est, singularem eminentiam pertineat nihil vel ab ipso Deo simile et aequale Deo creari potuisse. Nam quae de nihilo creata sunt naturaliter semper obnoxia corruptioni erunt. Neque enim quod facta de nihilo sunt, non esse non possunt. Sed et ipse Deus, qui cuncta de nihilo fecit, quod de nihilo facta non sint, facere ipse non poterit. Etenim quod factum est in infectum revocari impossibile est.

---

[1]) cod. potuisset.

Cap. XII.

Maximam divinorum operum partem periisse nisi homo peccasset.

Amplius autem adhuc sciendum, quod si homo non peccasset, divitiae gratiae Dei et ineffabilis illa dilectio charitatis, qua ut servum redimeret filium tradidit quaque filius ipse pro servis et inimicis mori dignatus est, adhuc angelos et homines lateret. Et quantum putamus divinorum operum in infectum revocaretur? Nam cum magnum sit Deum angelos atque homines, coelestia atque terrestria de nihilo creasse, majus miserationum Dei opus est, quo ipse homo inter homines fieri et miserias nostras subire pro nostra liberatione dedignatus non est. Hoc enim et psalmista perpendens in gratiarum actione commemorat cum ait: Suavis Dominus universis et miserationes ejus super omnia opera ejus.[1]) Etenim etsi magna dignitas divinorum operum est major tamen omnibus ista pietatis dignatio est. Unde et non minore veneratione habenda est humana in Christo natura, per quam redempti sumus, sicut Nestorius dogmatizare ausus est, sed juxta Ephesini concilii diffinitionem una est adoratione cum divinitate Verbi veneranda. Itaque non debuit facere Deus, ut homo non peccasset, ne divitiae gratiae ejus in aeternum laterent; immo vero debuit permittere illud malum, ut innotesceret suum bonum. Unde enim misericordias Domini in aeternum cantaremus misericordiae ipsius viscera ignorantes? Nunc autem et principibus et potestatibus in coelestibus, ut apostolus quoque asserit, per ecclesiam innotescit multiformis sapientia Dei. Quae nimirum sapientia Dei in nostra liberatione maxime claruit, qua edulium carnis nostrae raptori artificiose ac sapientissime objecit, ut aculeus divinitatis fauces devorantis perforaret sicut scriptum est: Numquid Leviathan hamo capies aut perforabis armilla maxillam ejus?[2])

Et ista dicentes nequaquam in eorum errorem delabimur, qui dicebant apostolum dicere: Faciamus mala ut veniant bona.

---

[1]) Ps. 144. 9. — [2]) Job. 40. 20. 21.

Aliud est enim malum facere ut fiant bona, quod nequaquam docuit aut docere debuit apostolus atque aliud bonum facere quia malum factum sit, ut ubi abundavit peccatum superabundet gratia, quod utique bonum et opus Dei est. Neque vero putandum primi hominis peccatum quasi bonum faciendum fuisse per quod tanta nobis bona declarata sunt. Sicut enim nemo sanum sapiens coecitatem bonum dicit, quamvis ejus comparatione lucis bonum emineat, sic nemo superbiam et inobedientiam protoplasti debet bonas dicere, quamvis earum occasione Christi humilitas et obedientia pro nobis suscepta salutiferae nobis declaratae sint. Sed nec coeci illius coecitatem bonam dixerim, quem Dominus luto de sputo facto curavit, quamvis de eodem Dominus testificatus sit, quod neque ille peccaverit neque parentes ejus sed ut manifestarentur opera Dei in illo.[1]) Nam si bona coecitas illa fuisset nequaquam Dominus eam de sputo suo luto facto curasset; nunc autem mala quidem coecitas sed bonum illud lutum fuit sub quo coecitatis malum curatum est. Sed non te inducant verba evangelii, ut simili modo dicas, quia nec primus homo nec parens ejus in malo diabolus peccavit, sed ut manifestarentur opera Dei in illo; non enim similitudo per omnia est. Insuper et attende, quoniam coecitas in oculo vitium quidem sed peccatum non est. In creatura sane rationali, cujus oculorum sanitas cordis munditia et cujus lumen charitas est, qua debet primo auctorem muneris Deum, deinde naturae consortem in Deo ac propter Deum diligere, coecitas vero ingratitudo vel odium et obduratio cordis est, non potest ejusmodi coecitas peccatum non esse. Unde quamvis de primi hominis peccato gloria Dei provenerit ac divitiae gratiae ejus manifestatae sint ipsum tamen peccatum non bonum sed malum ac Deo odibile extitit. Alioquin pro ipso peccato quod naturam bene ab ipso conditam vitiaverat expiando tantum opere non impendisset.

---

[1]) Joan. 9. 3.

Cap. XIII.

Epilogus.

Et puto jam expeditas esse quaestionum objectiones, quas nectunt homines, mortem unigeniti Dei superfluam aestimantes, eo quod sicut docuit multi ereptionum modi subessent Deo, quibus et diabolum deterere atque hominem de potestate ejus liberare et in gratiam revocare potuerit, aut certe praecautum esse debuisse ne [1]) peccasset, ne vel Deo tanta injuria probosae mortis incumberet vel nobis a Judaeis et gentibus quod mortuum et crucifixum adoramus objici posset. Sufficientibus namque et evidentibus argumentis a nobis, ut aestimo, demonstratum est, nec per angelum humanatum nec per hominem purum et simplicem redemptionem compleri debuisse aut potuisse. Aut enim insufficientes fuissent utrique aut si sufficerent inter creatoris et redemptoris culturam error subesset. Sed nec homo a talibus redemptus angelicae dignitatis consors existeret. Qui etiam absque satisfactione detrito diabolo, ut monstratum est, ad videndam faciem Dei minime idoneus existeret. Sed et peccatum hominis a Deo praecaveri non debuisse satis ut aestimo ostensum est, ut non dedeceat unigenitum Dei redemptionis nostrae per mortem propriam subisse remedium, quippe quod ei soli fuerat repositum, eo quod per alium compleri impossibile extiterit sed et per ipsum non aliter quam per mortem ejus satisfactum Deo pro mortali hominum peccato fuisset. Nunc vero quia unus ipse innocens pro omnibus mortuus est ergo, ut ait apostolus, omnes mortui sunt, qui in ejus morte baptizantur,[2]) ut simul etiam cum eo vivant. Etenim mortis debitum ab omnibus per unum Jesum Christum solutum est, ut quomodo per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors[3]) atque ita in omnes homines pertransiit ita et gratia regnet per unum Jesum Christum in vitam aeternam.

---

[1]) cod. nec. — [2]) Rom. 6. 3. — [3]) Rom. 5. 12.

Cap. XIV.

Quatuor incentiva divini amoris.

Itaque non, sicut ipsi ajunt, dedecebat Deum pro nobis mortis subire remedium sed constantissimae veritatis claret sententia apostoli qua ait: Quoniam decebat eum propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat auctorem salutis eorum per passionem consummari.[1]) Haec enim sunt quatuor incentiva divini amoris, quae iste sacerdos verus juxta legis decretum quasi ligna in altari cordis nostri per singulos dies subjicit, ut idem ignis amoris sui in rationali creatura in aeternum non deficiat.

Horum namque primum est, quod propter ipsum omnia, coelestia nimirum et terrestria, quatenus iste regis filius haberet una cum Patre diversos hinc inde sibi adstantes exercitus angelorum videlicet atque hominum, utpote qui erat ipse non solum Deus sed et homo futurus. Quod etiam scriptura non tacuit dicens: quoniam omnia propter semetipsum creavit Deus.[2])

Secundum etiam quod addidit per quem omnia evangelica declarat veritas dicente Johanne: Omnia per ipsum scilicet Verbum facta sunt et sine ipso factum est nihil[3]) sed et geneseos principium ubi scriptum est: Dixitque Deus fiat lux etc.[4])

Tertium vero quod adjunxit qui multos filios in gloriam adduxerat cum totius rationalis creaturae privilegium sit, tamen specialius ad homines pertinere, quartum membrum declarat, quo adjunctum est: auctorem salutis eorum per passionem consummari.

Haec, ut dictum, omnia et singula cum magna sint divini amoris in Christum incentiva tamen super cetera et inter cetera plus id flagrat atque incendit, quod in fine positum est auctorem salutis nostrae Jesum, i. e. ut auctor fieret salutis nostrae, per

[1]) Heb. 2. 10. — [2]) Prov. 16. 4. cod. semetipsos. — [3]) Joan. 1. 3. — [4]) Gen. 1. 3.

passionem consummatum. Quis enim digne ponderare queat tantae charitatis munus nobis impensum? Aut quis dignum quid tantae charitati rependere queat etiam si milies pro Christo mori possit? Quantula est enim hominis unius mors vel certe mille hominum mortes aut etiam quantus est totus mundus factoris sui morti, si pro eo versa vice mori posset, comparatus? Quid est enim homo qui et ipse minor quidam mundus est compositus Deo? Unde David angustiatus quid pro tanto beneficio factoris et redemtoris rependeret: Quid, inquit, retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?[1]) Tribuit enim mihi me primo creando et excellenter formando et cum perditus fuissem retribuit in redimendo et reformando. Et cum magnum sit, quod me hominem fecit ratione utentem ac super bestias dominantem, majus tamen est, quod pro me ipse factus homo, ut me mihi[2]) immo et se mihi redderet, mortem pro me subire dignatus est. Quid ergo, inquit, retribuam Domino pro eo, quod primo me mihi dedit, quodque secundo, ut me reciperem cum perditus fuissem, se ipsum mihi et pro me dedit? Quid enim ego mihi sine ipso? Nam quid est homo desertus a Deo nisi volutabrum vitiorum, socius atque habitatio daemonum? Quid igitur retribuam, ait, Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Futurorum namque donorum quasi praeteritorum seu praesentium conscius non pro se solum sed et pro nobis angebatur, qui pro tantis beneficiis reddere dignum quid non habemus. Invenit tamen aliquid quo angustiae suae simul et nostrae inopiam relevaret cum dixit: Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo.[3]) Quasi dicat: Calicem salutaris mei accipiam, calicem passionis, quem ipse pro me bibit sed et calicem sanguinis sui, quem mihi bibendum tradidit, accipiam omni acceptione dignum judicabo et tamquam pretium inaestimabili charitate pro me datum semper pro me feram sicut ille Simeon, qui accipiens puerum in manibus gratias agens benedixit Deum et dixit: Nunc dimittis Domine servum tuum secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium

---

[1]) Ps. 115. 12. — [2]) cod. nihil. — [3]) Ps. 115. 13

populorum; lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuae Israel,[1]) non sicut illi dicebant: durus est hic sermo quis potest eum audire sed sicut Petrus, qui ait: verba vitae aeternae habes et nos ad quem ibimus?[2]) O admirabile pretium inaestimabilis charitatis repensione dignum cujus pondere captivitas mundi redempta est, tartarea confracta sunt claustra inferni, aperta est nobis janua regni. Unde non habens quod digne rependam unum hoc quod te Deus donante possum hoc faciam, calicem salutaris accipiam. Gratiam mihi impensam qua potero devotione acceptabo in eum, qui semetipsum dedit pro me corde credens ad justitiam et ore confitens eum ad salutem ipsumque pro me fusum calicem ac mihi in potum datum ad salutem tamquam vere salutare antidotum ore non solum carnis sed et cordis affectu bibam atque, ut eodem cottidie sumendo dignus inveniar, quantam ipso donante potero curam adhibebo. Et haec faciendo nomen Domini invocabo, nomen Domini quod invocatum est super me, nomen Patris et Filii et Spiritus sancti, nomen etiam Domini mei Jesu Christi in quo signatus sum et quo christianus censeor, ut inveniatur in me in veritate cottidianis precibus votisque cordis jugibus exorabo. Bene itaque et sicut decuit te, o apostole, vas electionis, dixisti, quoniam decebat eum propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat auctorem salutis eorum per passionem consummari. Nam hoc verbum omni acceptione dignum etiam de ipsius Domini Jesu ore gratioso prius sonuerat. Qui dum ad baptismum Johannis baptizandus venisset et prohiberet eum Johannes dicens: ego a te debeo baptizari et tu venis ad me ipse humillima et constantissima voce respondit dicens: Sine modo sic enim decet nos implere omnem justitiam.[3])

Quod erat dicere: Sine me modo baptizari a te et futurae mortis meae viam tali modo sternere atque umbras quasdam magni illius baptismi in isto praejacere. Sic enim sive in isto sive magis in illo mortis meae baptismo decet nos implere omnem

---

[1]) Luc. 2. 29—32. — [2]) Joan. 6. 61. — [3]) Joan. 3. 14. 15.

justitiam quam divina aequitas ad salutem hominis necessariam satisfactionem expostulat.

Oportet enim ut magna superbia hominis qua divinitas offensa est, aeque magnae vel majoris humilitatis merito recompensetur. Quanta autem erat superbia hominem, qui de terra conditus pulvis et cinis est, super coeli fastigia [1]) semetipsum efferendo Dei aequalitatem expetisse, ut fieret quasi unus ex nobis?[2]) Ubi tamen ille contrarium incurrit comparatus nimirum jumentis insipientibus et similis factus est illis[3]) insuper et mortis super se sententiam induxit comminationem Dei non verum sed sinistrum quid de illa suspicatus videlicet quasi invidens ei similitudinem suam arboris illius esum interdixisset. Igitur pro tanta superbia satisfieri divinitati non poterit nisi unus ex nobis, una de Trinitate persona, quae nimirum ego sum desuper coelis missus, nisi, inquam, ego me ipsum usque ad terrae gremium sub aquae elementum humiliem. Immo vero sicut nunc sub aquae elementum per manus servi mei ego Dominus usque ad terras humilior: ita necesse est et divina justitia expostulat, ut aquarum impetus, clamantis videlicet populi, super caput meum ascendat meque sic per manus servorum in mortem humiliato necesse est in terrae gremio triduo sepeliri, ut per triduanae mortis meae satisfactionem peccato hominis expiato et operto Trinitas placetur et homo in gratiam revertatur. In qua obedientia mea pro homine exhibita dignum est, ut ego contrarium inveniam. Etenim hominem atque humanam naturam, in qua me usque ad injurias mortis ignominiosae deposui, in unitate personae meae in dextera Patris collocabo. Aequum enim est et hoc, ut quomodo me hominis peccatum superbe commissum ad terras deposuit, ita mea humilitas hominem mihi unitum faciat in dextera sedis magnitudinis in excelsis consedere. Neque id solum; sed quomodo primi hominis peccatum non ipsum solum sed et posteritatem ipsius morti addixit: ita mea obedientia non solum me hominem sed et meos omnes restituet in gratiam et salutem, insuper et gloriae meae participes efficiet.

---

[1]) cod. fastidia. — [2]) gen. 3. 22. — [3]) Ps. 48. 13. 21.

Hoc totum est quod ait, sine modo sic enim decet nos adimplere omnem justitiam. Hae sunt misericordiae tuae Domine Jesu, quas in aeternum cantabo, hae [1] justificationes tuae, quas in aeternum non obliviscar, quia in ipsis vivificasti me. Sic namque et ego de tuo tibi holocaustum factus reddo tibi totum me pro his quae retribuisti mihi, pro tua morte mihi ad tempus impensa retribuo tibi caritatem aeternam, quae fortis est ut mors, quae me a memetipso occidit et totum tuum efficit sicut ignis materiam sibi injectam totam in se convertit. Etenim et tu Deus noster ignis es peccata consumens et naturam conservans, sicut ignis te jubente in rubro potuit incombusto ardere sed et aurum in camino ignis in se convertit, cujus tamen substantiam igne in nos operante secundum operationem qua potens es tibi subjicere omnia. Erit autem hoc cum tibi in homine subjecto, qui minor mundus et omnis creatura est, omnia fuerint subjecta cum et te patri subjecto erit Deus omnia quae pie desiderari possunt in omnibus corruptione consumpta.

Cap. XV.

Et haec hominibus mortem Christi indecentem aestimantibus responsa sint. Nunc ad nostri sermonis thema redeamus. Quaerentes namque Christi propria in verbis ipsius dicentis: Ego sum via et veritas et vita, dum, quomodo per mortem suam vita nobis factus est, tractare coepissemus, istum quaestionis nodum incidimus, quem indiscussum propter eos, qui in talibus offenduntur, pro nostra possibilitate nolumus praeterire. In quibus et prophetae Elisaei miracula illa in Christo recoluimus, ubi ad tactum ossium ejus mortuus repulchro ejus illatus revixit et ubi incumbens ipse in tanto super mortuum matrisfamilias filium vitam defuncto reddit quod baculo per puerum praemisso fieri non poterat. Quid enim fecit aut facere potuit in nobis mortuis per Moysen praemissus baculus legis peccatores et praevaricatores

[1]) cod. haec.

punientis? Utique non aliud, quam ut nos premeret potius [1]) in mortem et in vitae desperationem, quam a morte liberaret. Qualiter enim nos morte impietatis ad amorem Dei frigidi per duritiam et onus legis iram operantis ad vitam, quae dilectio Dei est, calefieremus? [2]) Nunc autem quod impossibile erat baculo legis simul et officio legislatoris per mansuetudinem Domini nostri Jesu Christi completum in nobis est. Quem enim tanta dilectio impensa ingratis et mortuis ad vitam, quae est charitas in Deum, non calefacit, quid eum calefacere possit penitus ignoro. Quid si et sic frigidi ac tepidi ad redamandum existimus, quid faceremus, si praeventi in benedictionibus tantae dulcedinis non essemus?

Cap. XVI.

Repetitio verborum: Ego sum via, veritas et vita, quod sit in eis christianae religionis ethica, physica, theorica.

Libet vero adhuc verba ipsa salutaria salvatoris repetere de se profitentis, quoniam via et veritas et vita ipse sit, si forte in eis adhuc nobis elucescat quod palato animae dulce sapere debeat. Nam cum tres sint generales disciplinae, quibus ad rerum divinarum et humanarum scientiam pervenitur, quas Graeci ethicam, physicam, theoricen appellarunt, nos vero moralem, naturalem, inspectivam dicere possumus, quas et Salomon tribus libris parabolis, ecclesiaste, canticis canticorum loquens in spiritu comprehendit, tres hae scientiae tribus his verbis significatae mihi videntur cum ait Dominus de se: Ego sum via, veritas et vita. Cum enim moralis scientia sit, in qua de institutione bene conversandi agitur, quid ad morum exempla conversatione Domini copiosius? Propter hoc itaque viam se voluit profiteri Dominus Jesus. Item cum ad naturalem scientiam pertineat rerum naturas investigare earumque causas ab effectibus distinguere super coe-

[1]) Cf. Honorii Augusd. prolog in Cant. Cant. Biblioth. max. ss. PP. Lugd. Tom. XX. fol. 1155. — [2]) cod. calefigeremus.

lestia et permansura bona ab his quae sub sole variantur et vanitati obnoxia sunt secernere, quid brevius et lucidius ad physicae nobis necessariae notitiam dici potuit, eo, quod se Dominus veritatem esse professus est? Hoc enim uno verbo inter se et mundi hujus vanitatem, inter suam doctrinam, quae veritate subnixa est, et ethnicorum superstitiosam loquacitatem et vanam scientiam hujus mundi manifesta luce discrevit, ne alias praeter ipsum scientiam saluti necessariam quaereremus. Hoc experti apostoli mundi hujus vanitate relicta ipsius discipulatui adhaerere omnibus praeelegerunt. Unde unus ipsorum ac primus inter eos Petrus pro omnibus loquens ait: Ecce reliquimus omnia et secuti sumus te.[1]) Reliquimus vanitatem et te tuamque doctrinam, utpote veram philosophiam et solidam secuti sumus veritatem. Quid autem putamus isti boni discipuli ab hoc bono et singulari magistro didicerunt, nisi ut contempta et relicta vana concupiscentia hujus mundi Deum timerent et mandata ejus observarent, quo sicut ecclesiastes quoque in sermonum suorum fine docuit est omnis homo? Alioquin etenim nisi timendo et diligendo Deum non est i. e. non subsistit sed cum vanitate hujus mundi fluit et pereffluit omnis homo? Contra quod Dominus eisdem discipulis suis: ego, inquit, elegi vos de mundo, ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat.[2]) Quis est iste permanens fructus, nisi ut docerent homines timere ac diligere Deum quod eos aeternitati restituat? Timor namque Domini sanctus permanet in saeculum saeculi,[3]) charitas quoque numquam excidet.[4]) Qui autem diligunt et sectantur permanentia et ipsi permanentibus permanebunt. Haec itaque et similia docens Jesus hujusque mundi vani contemptum suadens veritatem se ac veritatis praeceptorem seu magistrum debuit profiteri.

Tertium vero quod addidit etiam se profitens quo nos nisi, ad theoricen et inspectivam scientiam mittit, quae in hac vita perfecte apprehenditur, sed in aeternitate desideratur, ubi et ipsum fontem vitae Jesum de quo psalmista ad Patrem: Domine, ins quit, apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimu-

---

[1]) Math. 19. 27. — [2]) Joan. 15. 16. — [3]) Ps. 18. 10. — [4]) I. Cor. 13. 8.

lumen[1]) una cum Patre plenius et sicut est videbimus, videntes participabimus, participantes similes ei erimus siquidem et nos secundum ipsum i. e. absque corruptione vivemus. Qui enim videt filium ipso testificante videt et Patrem. Qui autem filium videt ac patrem, principalem videt vitam atque ab eis procedentem, quasi flumen pacis, Spiritum sanctum vitam ac principalis vitae rivum hauriet ac per eos et ipse in aeternum vivet. Haec est enim ait ipse filius loquens vita aeterna ad Patrem ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum.[2]) Videmus enim, ut apostolus quoque ait, nunc per speculum et in aenigmate [3]) tunc autem facie ad faciem et nunc cognosco ait ex parte tunc autem ex toto ubi etiam adhaerentes Deo unus spiritus efficiemur. Et hoc numquid non vera, plena et summa theoria[4]) est? Propter haec itaque tria i. e. ethicam, physicam et theoricen, quorum ipse fons est, debuit de se profiteri Dominus Jesus sicut et professus est, quoniam ipse est via, veritas et vita. Etenim quoniam hic duae vitae in conversatione fidelium aguntur activa scilicet et contemplativa per quas ad principalis vitae visionem

---

[1]) Ps. 35. 10. — [2]) Joan. 17. 3. — [3]) I. Cor. 13. 12. — [4]) Hinc occurrit quincuplex rationalis creaturae theoria. Prima enim speculatio ipsius est in generali illa et communi substantialique virtute, quam omnes homines simul et semel in prima ejus conditione participant sive boni sive mali; secunda in processionibus ipsius in hanc vitam mortalem per singulorum hominum ex corporibus generationem; tertia in reditu ipsius generaliter per se ipsam ad angelicum statum, quem deseruit in hunc mundum sensibilem cadens; quarta in his, qui eam participant et in hac mortali carne viventes se ipsos communemque suam naturam ac super omnia creatorem omnium quaerentes merito suae propriae ac bonae voluntatis ad communem suae naturae integritatem redire adepti sunt ac deinde dono divinae gratiae super omnia post se relinquentes omnia in ipsum Deum transferent; quinta speculatio est eorum qui universaliter insita naturae bona quae omnibus nemine excepto divina largitate praestantur et praestabuntur possidebunt, ad summa tamen dona divinae gratiae, quae solis justis reposita ac praeparata sunt, pervenire non poterunt, quoniam in hac vita Deo servire noluerunt, temporalium rerum amore detenti. Honorius Augustodunensis Clavis physicae ex codice membr. nro. 102 monasterii Lambacensis folio 73.

pertingitur et Christus non solum homo sed etiam Deus est, activis Dominus Jesus per humanitatem moralitatis via est pertransiens et ipse benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, contemplativis vero i. e. vanitatem hujus mundi veritatis amore spernentibus et aeterna caducis physica ratione praeferentibus veritas ipse et verbum plenum gratia et veritate est, omni sapientia hujus mundi lucidius, quomodo sol amplius lucet omnibus sideribus. Pervenientibus ad se ac per ipsum ad Patrem his demum plene vita erit, ipse una cum Patre. Sicut enim pater habet vitam in semetipso sic dedit et filio vitam habere in semetipso[1]) et nemo, ut ipse ait, venit ad patrem nisi per ipsum sicut nemo quoque videt Patrem nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.[2]) In qua etiam theoria plenius clarebit illud quod nunc ex parte cognoscitur, quam vere infirmum Dei fortius hominibus et stultum Dei quam vere omni humana sapientia sapientius sit, quamque vere et decenter oportuerit pati Christum et resurgere a mortuis et ita intrare in gloriam suam et praedicari in nomine ejus patientiam et remissionem peccatorum in omnes gentes. Nam haec sapientia ab antiquo etiam volucres coeli i. e. angelos, ut scriptum est, latuit, nunc autem ecclesiae Dei ac per eam angelis manifestata non parvam, ut aestimo, in coelestibus et in aeternitate sanctorum theoria erit cognoscentibus ex toto quod nunc ex parte cognoscunt. Quoniam itaque Dominus Jesus nobis via in moribus, veritas in physicis et in theoria vita aeternitatis est propterea ipse loquens ad Philippum: ego, inquit, sum via, veritas et vita. Quum enim dixerat Philippus Domine nescimus quo vadis, quomodo possumus viam scire, ne ista salutaris scientia nos lateret se ipsum nobis viam ad se ipsum et ad Patrem vitam per se ipsum veritatem nobis in via lucentem demonstravit. Ac ne alias quoque vias praeter ipsum ad se simul et ad Patrem vitam nobis subesse putaremus cautos nos esse volens adjecit. Nemo venit ad Patrem nisi per me. O verbum breve de Verbo breviato, quod fecit Dominus et ostendit nobis, ut non necesse

---

[1]) Joan. 5. 26. — [2]) Math. 11. 27.

habeamus plures circuire magistros in quorum scholis quinquennale teneamus silentium, eo quod in uno Domino Jesu non alias ethicam, physicam et theoricen salutarem habeamus. Fatiscant igitur ingenia vana ethnicorum philosophorum Judaeorum simul et haereticorum et facunda eorum conticescat loquacitas Christum vel ignorantium vel male de ipso sentientium, immo vero convertantur ad ipsum et sanet eos. Aut quoniam eximii talium jam olim viam universae carnis ingressi sunt, saltem scripta eorum, ubi ad profectum instruendorum assumi possunt, ecclesiasticae aedificationi proficiant sicut aurum et argentum ac lapides pretiosi de Aegypto per Israelitas sublati in structuram tabernaculi Domini profecerunt. Etenim et ipsi de moribus instituendis, de physicis quoque rationibus sed et de unius summi Dei ejusque filii quem νοῦν [1]) dicunt, theoria nonnulla utiliter aestimasse, vivaciter investigasse, sublimiter sapuisse et scholastice disseruisse inveniuntur.

Sed gratias agere habemus inaestimabiles Domino nostro Jesu Christo in cujus vita doctrina et consummationis fine singula haec, generales videlicet disciplinae tres, copiosius inveniuntur. Quas si impii Judaei ceterique inimici ejus ethnici sive haeretici sublato velamine in Christo et in ejus Evangelio sicut sunt veraciter agnoscerent, non ei, ut aestimo, aliud dicerent vel propria convicti conscientia aliud dicere possent, quam id quod parentes Tobiae super absentia ejus tristes dixerunt: In te, inquiunt, uno omnia habentes, te non debuimus dimittere a nobis.[2]) Haec enim Judaeorum Christi parentum sera quaerela vera in Dominum Jesum Christum prophetica est. Unde et nos in ipso omnia nobis donata scientes has quoque tres facultates veram scilicet ethicam veramque physicam sed et veram theoricen in ipso ejusque evangelio nobis donatas gaudeamus.

Haec namque nostri veri Job pro nobis dolentis Domini Jesu quasi tres filiae sunt, ut de septem filiis, septem videlicet spirituum donis, interim taceamus, hae, inquam, sunt tres nostri veri Job filiae nimirum gratae ad usum, foecundae ad fructum, sociales ad convivendum, quarum una vocatur dies; [3]) et haec

---

[1]) cod. noin. — [2]) Tob. 10. 5. — [3]) Job. 42. 14.

ethica vel moralis disciplina est, docens nos abjicere opera tenebrarum et induere arma lucis, sicut in die honeste ambulemus. Secunda physica i. e. naturalis disciplina est, quae recte secundae filiae i. e. Casiae [1]) nomen obtinet. Etenim vanitatem, quae sub sole est, veritatis ac coelestium et permanentium bonorum amore contemnere eisque spreta vanitate obtinendis vacare casiam [1]) nos i. e. boni odoris efficit, ut simus cum apostolo bonus odor Deo in omni loco. Tertiae quoque filiae nomen licet minus latinum, quod est Cornustibii theoricae i. e. inspectivae disciplinae congruit. Cum enim facie ad faciem Deum et sicut est videre coeperimus a laudis jubilatione cessare non valebimus sicut scriptum est: Beati qui habitant in domo tua Domine: in saecula saeculorum laudabunt te.[2]) Quod si scire delcetat qua germanitate septem filii i. e. septem dona Spiritus has nostri [3]) Job, pro nobis videlicet dolentis Jesu, filias respiciant facile patet, quoniam Spiritus timoris, pietatis et scientiae non inflantis sed dolorem adponentis ad mores componendos facit, Spiritus quoque consilii, intellectus et sapientiae ad physicam christiano nomini congruentem instituunt, ut bonum et dulce sit homini spiritibus illis praedito terrena caduca relinquere coelestibus inhaerere. Sed et fortitudinis spiritus illam dilectionem perficit, qua major esse non potest et quae fortis est ut mors, quae nos facit a nobis deficere ac theoriae inhaerentes in ipsum quem videmus Deum proficere, ut videndo ipsum simus et nos secundum ipsum. Sed et nunc sive in via morum proficere sive ad veritatis cognitionem physicae atque contemplationi vacamus, non nisi in fortitudine spei Deum perpetuo vivendi hoc agimus. Ita enim terna spirituum dona hinc inde posita tamquam in candelabro tabernaculi lucernae medio stipiti hoc est fortitudinis spiritui innituntur. Et hac, ut dictum est, germanitate nostri Job filiae tres i. e. via moralitatis, veritas physicae, vita theoriae septem fratribus i. e. septem donis spirituum sociantur.

---

[1]) sic. cod. — [2]) Ps. 83. 5. — [3]) cod. noster.

Cap. XVII.

Tres quoque fortes i. e. virtutes David in his tribus intelligi i. e. via, veritate et vita.

Tres quoque fortes [1]) primos veri David i. e. Domini nostri Jesu Christi in hac trina professione cognoscere est, in eo quod se viam, veritatem et vitam profitetur. De quibus fortibus in illo typico David scriptum est singulis fortibus nominatim designatis quoniam ad tres primos non pervenerint, cum tamen tres illos primos nominatim scriptura non expresserit sed in tribus virtutibus i. e. humilitate, sapientia et fortitudine David intelligi voluerit. De his namque fortibus i. e. tribus jam doctis virtutibus David scriptura sic ait: David sedens in cathedra sapientissimus ipse tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno.[2]) Nam quod ait „sedens in cathedra sapientissimus" ipsa est sapientia David. Quod ait „ipse tenerrimus ligni vermiculus" ipsa est humilitas David, „qui octingentos interfecit uno impetu" ipsa fortitudo David. Ipse namque Dominus Jesus noster David manufortis et visu desiderabilis per humilitatem nobis via morum est, per sapientiam veritas physicae christianae, per fortitudinem mortis et resurrectionis suae, qua octingentos allophylos i. e. universa nobis contraria, daemones videlicet inimicos nostros cum peccatis et morte ac miseriis, uno impetu interfecit, per hanc, inquam, fortitudinem vita nobis factus est. Per humilitatem nos ad mores instruens ait: discite a me quia mitis sum et hnmilis corde;[3]) ad veritatis cognitionem nos a vanitatis dilectione invitans ait: nisi quis renuntiaverit omnibus, quae possidet non potest meus esse discipulus,[4]) item adolescenti nobisque in illo si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus et habebis thesaurum in coelo et veni

---

[1]) II. reg. 23. 9. 16. — [2]) II. reg. 23. 8. — [3]) Math. 11. 29. — [4]) Luc. 14. 33.

sequere me. [1]) Per fortitudinis suae constantiam nos ad spem vitae provocat dicens: confidite, ego vici mundum; [2]) item nolite timere eos, qui occidunt corpus[3]) et post haec non habent amplius quod faciant.

Cap. XVIII.

Tres has virtutes in primo homine tentamentis diaboli conversas esse.

At hi fortes tres in Christo magnis diaboli conatibus tentati sunt, si forte a constantiae suae robore potuissent everti, sicut et in primo homine eaedem virtutes eversae sunt. In illo namque frugalitatis honestas [4]) tentata, quae moralitatis initium et conservatio est, per gulae illecebram succubuit, quando interdictae arboris pomum comedit. Veritatis in eo dilectio, in qua [5]) physicae summa consistit, prosperata[6]) est quando non solum bona sed mala vane scire concupivit. Vitae quoque in eo perpetuitas interiit, quando vitae auctori subesse fastidiens, similis esse Deo, qui super omnes est, et quasi a semetipso vivere voluit, unde mortem vidit deceptus in omnibus his verbis diaboli dicentis: comedite et eritis sicut dii scientes bonum et malum.[7]) At vero in Domino Jesu has everti virtutes impossibile fuit, quin potius, ut novit christiana fides, totiens ab ipso in eisdem tentationibus diabolus tentator superatus quotiens ipse primum vicerat hominem. Dominus namque via morum nobis in homine factus et frugalitatis, quae morum fundamentum est, custos permanens tentanti [8]) se de gulae illecebra diabolo respondit dicens: Non in solo pane vivit homo sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.[9]) Item veritas ipse et veritatis amator vanitatis appetentiam suadenti diabolo respondit: Non tentabis Dominum Deum tuum. [10])

---

[1]) Math. 19. 21. — [2]) Joan. 16. 33. — [3]) Luc. 12. 4. — [4]) cod. honestos. — [5]) cod. quam. — [6]) sic cod. — [7]) gen. 3. 5. — [8]) cod. tentati. [9]) Math. 4. 4. — [10]) Math. 4. 7.

Tentare namque Deum fuisset si se post ruinam vanae laudis appetitu illaesum ostendere voluisset. Tertio vitae coelestis in semetipso Dominus et naturam conservans et gratiam ad suggestionem diaboli adorato eo divitiis ampliari noluit sciens nimirum nosque suo exemplo instruens, quoniam non in abundantia uniuscujusque vita hominis super terram, quemadmodum aestimabat ille dives qui secum colloquens ait: Anima habes multa bona reposita in annos plurimos comede, bibe et epulare.[1]) Sperans namque in incerto divitiarum annos sibi plurimos juxta divitiarum quantitatem promittebat. Dominus vero non ita sed paupertatis suae custos omni jam superata tentatione victoriose diabolo suggerenti respondit dicens: Vade satanas. Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.[2]) Nimirum hoc ipso verbo illorum coecam arguens avaritiam eamque idolatriae comparans, qui spreto uno ac vero Domino diaboli in malis principibus pro ampliandis divitiis clientelae deserviunt.

Cap. XIX.

Tres has virtutes in Christo diabolus quoniam evertere non potuit persecutus est et ludibrio haberi fecit.

At vero sic repulsus diabolus recessit quidem ad tempus et quia desperabat jam de victoria ludibrio has ipsas in Christo habere virtutes per homines satellitas suos aggressus est. Itaque Dominum Jesum hominem solum peccati immunem, qui et pertransivit [3]) benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo, hominem, inquam, totius humanae moralitatis solum magistrum verum et doctorem tamquam malefactorem comprehendi et ligari fecit ac flagris attrectari impulit, quem etiam flagellatum minister diaboli foras educens Pilatus vere hominem solum innocentem ostentui ac despectui habens ajebat: Ecce homo.[4]) Similiter autem et veritatis amor ac testi-

[1]) Luc. 12. 19. — [2]) Math. 4. 10. — [3]) cod. pertransibit. cf. act. 10. 38. — [4]) Joan. 19. 5.

ficatio ab impiis Judaeis ludibrio habita in Christo est, dum faciem ejus gratiosam et luminosam velantes quasi falsum prophetam irriserunt dicentes: Prophetiza quis est, qui te percussit?[1]) Cui etiam in cruce pendenti quasi falso prophetae insultantes ajebant: Vah, qui destruit templum Dei et in tribus diebus reaedificat.[2]) Ad quam irrisionem propheticae vel sacerdotalis dignitatis etiam illud pertinuit quod eum Herodes veste alba indutum remisit ad Pilatum. Etenim vestis alba Ephod sacerdotii insigne est. Labia autem sacerdotis custodiunt scientiam et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.[3])

Itaque in omnibus his derisa est justi simplicitas, sacerdotis veri sanctitas, prophetae magni sapientia singularis sapientiae lampas contemta apud cogitationes divitum sed parata ad tempus statutum. Porro divinae naturae per quam vita nobis est Dominus Jesus regnique illius, cujus finis non est, et regis universitatis irrisio haec fuit, quod veste purpurea indutus, quod spinis coronatus, quod arundinem pro sceptro manu gestavit, quod caput ejus coronatum percussum est, quod denique iisdem ipsis insignibus illusoriis spoliatus ac morti crucis addictus nudus inter latrones suspensus est. Quid enim vitae ac principali vitae, quae Deus est, magis contrarium quam mors, aut quid regali fastigio magis adversum quam mortis contumelia et latronum supplicium? Propter hoc sane, ut notum est, morti contumeliosae adjudicatus est, quia filium Dei se fecerit et regem se, ut ajebant, Judaeorum dixerit. Hoc autem et[4]) inscriptio tituli continebat, qua causam mortis ejus ignominiosae significatam esse voluerunt: Jesus Nazarenus rex Judaeorum.

Itaque haec tria insignia in Christo, ut dictum est, ludibrio ab iniquis habita sunt, videlicet hominis innocentia, prophetae ac sacerdotis sanctitas et sapientia, divina simul et regalis dignitas et potentia. Quae tria impii tunc sibi extinxisse in Christo visi sunt, quando in manus Patris tradens Spiritum in cruce exspi-

---

[1]) Luc. 22. 64. — [2]) Math. 27. 40; Marc. 15. 29. — [3]) Malach. 2. 7.
[4]) cod. ut.

ravit. Sed aliter factum est. Nam sibimetipsis quidem veniam peccatorum Christum ligare, veritatem velando abscondere, vitam extinguere sibi ac neci dare potuerunt. Sed nobis per haec omnia venia peccatorum Christus, propheta quoque et sacerdos in aeternum et rex omnium saeculorum immortalis consecratus est. Et illudere quidem illi veritati flagellando et insignia sacerdotalia et regalia exhibendo potuerunt, sed veritas, quia veritas fuit et est et in aeternum erit, suscipere haec in se otiose non debuit, quin potius omnia in serium convertit et in veritate accepit. Itaque corpori suo, quod est ecclesia, vincula illa sanctarum manuum et flagella sacrum exarantes corpus in absolutionem peccatorum et satisfactionem criminum profecerunt obscuratione sacrorum ejus luminum et sputorum foeditate, quibus facies illa gratiosa illita est, nostrae ignorantiae coecitas excusata simul et illuminata est. Sacerdos quoque et rex per insignia illusoria consecratus pro nostra infirmitate simul et morte auferenda ipse prout voluit mortuus est. Etenim, ut scriptura testificata est, de ipso repletus est ignominia pro gloria. Nam pro sua simul et suorum futura gloria ipse tanti ac tanta ignominia repletus est.

Cap. XX.
Tria tribus comparata.

Simul et in una Christi persona tres essentiae cum gratiarum actione agnoscendae a nobis sunt, quibus triformis illa passio seu contumelia irrogata est, quatenus summa illa trium personarum trinitas unius personae trium essentiarum trinitate pro nobis satisfaciente placari hominibus congruentius potuisset. Scimus enim Dominum Jesum non solum Verbum Dei Deum sed et hominem ex anima rationali et humana carne subsistentem, ita ut non solum ex tribus sed et in tribus essentiis Verbo, anima et carne propriam physicam servantibus una persona Christus simul in tribus et in singulis trium sit. Vincula sane illa et flagella propriae carnis singulariter mundae et innocentis fuerunt, nam anima illa sancta simul et divinitas, quamvis carnis suae passionibus

participaverint, tamen nec vinculis arceri nec flagris attrectari potuerunt. At vero ipsius animae sanctae plus quam sacerdotalis et prophetalis ac Deo Verbo substantialiter sapientis propria injuria extitit quod tamquam falsus propheta ludibrio habitus est. Divinitati vero, secundum quam rex omnium saeculorum et vita se diligentium ac resurrectio mortuorum est, ludibria illa regalis potentiae simul et crucis et mortis ignominia, ut supra quoque docuimus, irrogata sunt. Et hoc est forte triduum illud de quo ait Dominus Judaeis: Solvite templum hoc et post triduum excitabo illud.[1]) Hoc autem ait evangelista dicebat de templo corporis sui.[2]) Nam corpus quidem, permittente et concedente divinitate impii quasi saccum vel sordidum nostra infirmitate vestimentum scindere ac solvere potuerunt, ut pretiosus in eo latens sanguinis thesaurus ad nostram redemptionem prodiret, sed post haec non erat amplius animae sanctae ac divinitati quid facerent, quamvis tamen et animam sanctam injuriis usque ad tristitiam et divinitatem creatricem usque ad creaturae indignationem contumeliis affecissent. Unde et sol radios suos a triformi hoc sacrilegio per trium horarum spatium subtraxit velumque templi scissum est et terrae motu petrae scindebantur tamque sol divinitatis injuriae, velum templi sanctuario animae, terra vel petrae carnis innocentiae compaterentur. Propterea ergo tres dies in sepulchro fecisse non injuste creditur, ut, gaudentibus de triformi sacrilegio impiis Judaeis, apostoli per triduum innocentis ac singulariter mundae carnis et sanctae illius animae simul et divinitatis inhonoratae injuriis compaterentur. Quatenus e diverso resurgente Domino ipsi gaudio, Judaei vero confusione perpetuo replerentur juxta promissum dicentis: Tristitia vestra vertetur in gaudium.[3]) Insuper vero triformi passione ac trium naturarum in Christo consummata obedientia simul et tridua Christi sepultura creatricis Trinitatis homini concilianda fuerat majestas, peccato hominis triformi expiato. Nam et in homine peccatum gulae propriae carnis reatus fuit, vanae appetitus scientiae vitium curiosae animae, tertium vero vitium superbia divinae

[1]) Math. 26. 61; Joan. 2. 19. — [2]) Joan. 2. 21. — [3]) Joan. 16. 20.

aequalitatis ex rapina praesumptae ut propter hoc triforme primi parentis peccatum expiandum unam summae Trinitatis trium naturarum personam videlicet Dominum Jesum necesse fuerit in peccatis laborare. Unde etiam consummata obedientia resurgens a mortuis coram discipulis tres species ciborum videlicet panem et piscem et mel comedit, nimirum ut tria hominum genera a triformi vitio liberatos cibum ejus esse intelligamus, quae sunt activi, contemplativi et theorici. Nam bene activi et morales quasi panis mundus de terra sumptus in corpus ejus transeunt; contemplativi vero sapientiae ac scientiae gurgites innatantes quasi pisces mundi et bene accurati etiam ipsi Christo suave alimentum et corpori ejus, quod est ecclesia, tribuunt incrementum. Super omnia vero theoriae melle saginati et ipsi saginam dominico corpori tribuunt et incrementem, coenante Domino cum illis et ipsi cum eo. Aut si tres ordines conjugatos, continentes atque rectores tribus his alimentorum speciebus mavis esse significatos eadem fere erit assignatio. Nam et conjugati fideles mundus Deo panis sunt; continentes piscibus non per coitum generantibus assimilantur; spirituales vero spiritualium rectores et magistri dii inter homines nuncupantur, eo quod eloquiorum Dei dulcedine assuefacti et unus cum Deo spiritus effecti sunt. Qualibus a Domino dicitur: Ego dixi dii estis et filii excelsi omnes.[1]) Psalmista quoque haec tria hominum genera de tribus generalibus vitiis ad Deum conversa ad Patrem Deum commemorans in gratiarum actione ait: Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres coeli et pisces maris, qui perambulant semitas maris.[2]) Loquitur autem, ut notum est, de Christo jam gloria resurrectinis et honore ascensionis coronato et super opera manuum Patris constituto. Quid sunt ergo oves et boves insuper quae pecora campi Christi pedibus subjecta, nisi homines pecuales et voluptuosi magis vero de voluptuosa conversatione ad Deum conversi, late quidem vitae hujus spatiosa pascua paragrantes, sed tamen sub virga pastorali mansuete transeuntes atque in conversatione bene

---

[1]) Ps. 81. 6. — [2]) Ps. 8. 8.

morali vitam activam socialiter ac sine quaerela degentes? Et qui sunt pisces maris Christi pedibus subjecti, nisi item homines vani et curiosa conversatione ad sapientiae studium conversi ac pro marinis undis, in quibus curiosa sectati sunt, sapientiae gurgites innatantes? Qui et pro una veritatis, quae secundum fidem Christi est, margarita omnia sua vendunt et emunt eam. Qui etiam sunt volucres coeli Christi pedibus subjecti nisi item homines vel de nobilitate generis vel scientiae aut abstinentiae praerogativa elati, magis vero de superba conversatione ad Christi humilitatem conversi jamque in sublimi conversatione non alta sapientes sed humilibus consentientes nullosque semetipsos inter maxima Dei dona quae possident arbitrantes, facti apud semetipsos tamquam vas perditum, dociles illius verbi atque ex corde cum psalmista dicente Deo, ut jumentum factus sum apud te et ego semper tecum.[1]) Glorificantes enim et portantes Deum in corpore suo [2]) prae illius ponderis magnifica gloria se ipsos despiciunt eique semper et ubique gratias agentes a quo sunt id quod sunt. Qui dum Deum de donis gratiae suae glorificantes ac laudantes diligunt dumque de ipsius donis proximis in charitate deserviunt pro quibus et eadem dona perceperunt hinc inde geminae charitatis fulti alis velut aves evangelicae in alta sublevantur, in hoc ipso angelorum consortes et socii effecti ascendentium et descendentium super filium hominis. Vident enim Christum super se ac super omnes angelorum choros elevatum in dextera sedis magnitudinis patri consedentem et conregnantem, quo per fidem ac spei suae desiderium ascendant; vident eundem in terris in humilioribus membris suis, quo per sollicitudinis curam vel miserationis pietatem descendant. Hi ergo volucres una cum angelis faciem Patris contemplantibus Christi pedibus subjecti sunt inspectiva gratia nunc interim furtim ac raptim fruentes qua perfici sibi quandoque cum quadam spei certitudine praestolantur. His pecoribus campi, his piscibus marinis, his volucribus coeli Dominus Jesus via, veritas et vita est. Via nimirum pecoribus moralem vitam degentibus et absque crimine in activa vita conversantibus; veritas piscibus

---

[1]) Ps. 72. 23. — [2]) I. Cor. 6. 20.

rationabilibus physicae et contemplationi, quae secundum Deum est, vacantibus; vita vero volucribus intellectualiter in divina theoria et inspectione versantibus. Magis autem vita erit omnibus tribus ordinibus his cum ad immortalitatem perducti comprehendent sicut apprehensi sunt, cognoscent sicut et cogniti sunt unusquisque autem in suo ordine. Alia enim est claritas solis, alia lunae, alia claritas stellarum. Et sicut stella a stella differt in[1]) claritate ita et in resurrectione mortuorum.[2]) Non solum autem vita sed et veritas et via singulis tribus ordinibus est Dominus Jesus. Nam qualiter ad vitam Jesum nisi per viam et veritatem Jesum pertingeremus?

Cap. XXI.

De tribus discipulis in montem assumptis et triformi ecclesiae hierarchia.

Et haec de trina illa professione dicta sint qua Dominus Jesus de se ipso loquens Philippo viam, veritatem et vitam se esse professus est, quae sicut dictum est triformis in Christo gratia tribus fortibus David tribusque filiabus Job assimilata et virtutem inimici dissolvit et tres in ecclesia Christi generales, veras et salutares disciplinas i. e. ethicam, physicam et theoricen peperit, quibus tres in ecclesia salvandorum ordines informantur per tres illos viros Noë, Daniel et Job praesignati i. e. rectores, continentes et conjugati. Propter hoc enim et Dominus Jesus tres solos in montem discipulos duxit gloriam suam contemplaturos videlicet Petrum, Jacobum et Johannem, ut in tribus illis tres salvandorum ordines intelligeremus extra quos etiam nemini salus promittenda est. In Petro namque praelati, in Johanne continentes, in Jacobo conjugati non incongrue intelliguntur. Nam Petrus in charitate simul humilitate consummatus vicem Christi magistratus agere in ecclesia Christi promeruit. Johannes et virgo secundum corpus et sapientiae secundum animum vehementissimus amator

---

[1]) cod. a. — [2]) I. Cor. 15. 41.

recte continentium magister est, qui amantes scientiam scripturarum carnis vitia non amabunt. Jacobus vero vel solo nomine, quo vitiorum supplantator innuitur, moralem disciplinam praedocet, quae in conjugatis hoc mundo utentibus praeclarior virtus est. Hi enim in hoc mundo conversantes cum vitiis praesentibus luctantur studentes uti hoc mundo tamquam non utantur. Et haec triformis ecclesiae hierarchia est per Jesum viam, veritatem et vitam instituta in fide, spe et charitate Christo deserviens, quatenus sub imagine Trinitatis jam dicta ad videndam summae Trinitatis claritatem proficiat, in omnibus his procul dubio ad coelestis hierarchiae formulam ordinata. Sic enim Domini Jesu benignitas et humanitas apparuit in[1]) terris omnibus hominibus erudiens nos ut abnegantes impietatem et saecularia desideria sobrie et juste et pie vivamus in quibus triformis hierarchiae ecclesiasticae magisterium est. Nam via Jesus sobrietatis nobis magister est, veritas vero Jesus justitiae nobis formulam imprimit, scientiae quoque ac sapientiae amorem infundit; vita quoque Jesus piae conversationis nobis causa simul auctor et fructus est: ita et de coelesti hierarchia aestimandum est, quod et ipsa ad imaginem summae Trinitatis triformiter instituta sit, a qua ista triformis ecclesiae hierarchia descendit sicut Johannes Theologus Spiritu sancto illustratus ait: Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de coelo a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.[2])

Cap. XXII.

Coelestem hierarchiam etiam esse triformem ad cujus exemplar ecclesiastica hierarchia in terris instituta est.

Sed quis enarrabit coelorum ut ordinem quoque coeli ponat in terra? Non ad hoc nostri similes valent nec his secretis nos cum magno Dionysio inserere audemus. Illud tamen nescire nobis non licet, quoniam tres sunt in coelo Pater, Verbum et Spiritus amborum, a quibus coelestis illa hierarchia descendit. Est autem

[1]) cod. deest „in.“ Tit. 2. 11. — [2]) apoc. 21. 2.

intelligere in Patre summam bonitatem et vitam principalem summamque cum summa humilitate majestatem omnia creantem et regentem, qui sicut omnium causale ita et filii sibi coaeterni et consubstantialis naturale principium est. Est intelligere in Verbo, qui et Filius, summam de summa sapientia sapientiam, lumen de lumine, fontem principaliter principalem de una principali omnia illustrantem, omnia ordinantem suam cuique rei formam substantialem cum Patre et ex Patre ad Patris et suum velle distribuentem, de quo psalmista confitetur dicens: Domine apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen.[1]) Item: Omnia in sapientia fecisti.[2]) Est intelligere in Spiritu sancto summam et consubstantialem Patris Filiique ad se invicem charitatem omnia continentem et conservantem omnem creaturam accidentalibus differentiis perornantem, singula suis usibus ad quos facta sunt accomodantem suique substantialiter ac sensibiliter participationem et usum rationali creaturae concedentem, quamvis participatio ejus et usus eidem rationali creaturae accidentalis sit sicut comedere vel bibere omni accidentale est, cum tamen ipse qui sumitur cibus et potus substantia sit. Perpaucorum sane est ejus participationem vel usum in praesenti dumtaxat vita sensibiliter vel ad modicum possidere. De quo apostolis Dominus: quem mundus, inquit, non potest accipere, vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit.[3]) Hi ergo tres Pater, Verbum et Spiritus amborum sicut omnium rerum ita et hierarchiae coelestis principium sunt, nec tria principia sed unum principium Trinitas Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

Cap. XXIII.

In fabrica visibilis et invisibilis creaturae quid proprie Patri, quid proprie Filio, quid etiam Spiritui sancto proprie assignandum sit.

Et quamvis hujus creatricis, formatricis, conservatricis Trinitatis opera indivisa sint, liceat tamen Patri assignare rerum gene-

[1]) Ps. 35. 10. — [2]) Ps. 103. 24. — [3]) Joan. 14. 17.

rale, materiale et causale esse; Filio specificum et speciale esse; Spiritui sancto rerum individuale, ordinale vel ad aliquid et quomodo et qualia esse. Igitur ex Patre omnium esse; per Filium quid esse; in Spiritu sancto bene esse omnium dixerimus, et hoc de rebus materialibus in quibus aliud esse intelligitur quo sunt, aliud id quod sunt, verbi gratia: aliud humanitas est qua homo est, aliud homo est. Verum in rebus simplicibus non ita, quae, ut ait Boëtius, esse suum quo sunt et id quod sunt unum habent. Igitur in creaturis et substantiis immaterialibus et simplicibus Patri assignaverimus id quod spiritus sunt; Filio quod rationalitate ac sensualitate discreti; Spiritui sancto id quoque quod accidentaliter ab invicem atque numero differunt in magna republica Dei quique congruis usibus deputati sunt. In angelis vero et humanis animabus, id quod rationales spiritus sunt Patri; quod ingeniosi et ingeniis naturaliter praediti Filio; quod bene ac decenter utentes ingenio Spiritui sancto assignatum sit. Item in angelis quod rationales spiritus sunt Patri; quod intellectu clari et illustres Filio; quod quique suis ordinibus dispositi, ministeriis deputati, quodque his pie intenti sunt Spiritui sancto assignaverimus. Et haec idcirco vel divinitus ordinata vel a nobis animadversa et animadvertenda sunt, quatenus invisibilia summae Trinitatis in his trinitatibus velut in sua imagine et quasi quodam speculo intellecta conspiciantur. Aut si hoc scrupulosum forte videbitur, ut licet salva cooperatione singularum personarum, in singulis aliquid speciale in operibus illi vel illi personae assignemus, quamquam ante nos a patribus orthodoxis idem factum sit, vel illud certe rationi valde persuasibile est, ut quia ter terni spirituum ordines sunt ipsam ter tripartitam in eis gratiarum et administrationum distributionem a summae Trinitatis trifaria operatione descendere dividente ac distribuente singulis prout vult. Simul et ipsi quoniam liberi arbitrii a Deo conditi sunt quique quod suo competit ordini et ministerio ab uno illo trino gratiarum fonte divisive quidem sed libenter et indeficienter hauriunt. Et quia de singulorum ordinum nominibus ac divisivis gratiis et officiis a patribus opinabiliter satis disputatum est vel illud nobis advertisse liceat quod in ter tripartita illa ordinum distinctione a magno et apo-

stolico patre Dionysio alii purgatores, alii illuminatores alii perfectores appellati sunt. A quo ergo hanc triformem gratiam hauserunt nisi ab uno ac trino gratiarum fonte Deo Patre et Filio et Spiritu sancto, qui est summa puritas, summa lux, summa majestas et bonitas nullius vitii vel ignorantiae aut mutabilitatis capax? Et quia Spiritus sanctus moralitatis magister est a suo fonte ac vena Filio et Patre ad angelorum et nostram purgationem usque descendens qui et quasi ignis conflans et mundans argentum et purgans filios Levi ipse igitur puritatis angelicae nostraeque purgationis congruae specialis auctor valet intelligi, in quo et Johannes nos purgandos et baptizandos a Domino promittit dicens: ipse baptizabit vos in Spiritu sancto et igni.[1]) Ad hoc ergo purgator ille spirituum coelestium ordo puritatis haurit, ut non solum in se ipso a vitiis purus sit, sed ut nostrae quoque purgationis congruus minister dici et esse possit, sicut ille Seraphim, qui labia prophetae calculo ignito tangendo purgavit, sed et angelus Raphael Tobiae oculos avium stercore foedatos ac coecatos purgans purgatorem se demonstrat, maxime cordium, quibus nocet foeditas cogitationum. Sic tamen eosdem spiritus purgatores dixerim, ut nostrae purgationis non auctores sed ministros et sacerdotum comministros aestimem, cooperantes videlicet eis et invisibiliter satagentes, ne quis de praedestinatis desit gratiae Dei qua purgandus est. Qui et sacerdotibus super gregem dominicum vigilantibus pervigili cura adesse credendi sunt, noctem ab eis saecularium curarum simul et vitiorum discutientes, quatenus alacres et expediti ad verbi visionem et administrationem percurrant. Ex horum purgatorum numero etiam illi fuisse aestimandi sunt, qui Machabaeis pro templi purificatione, quod alienigenae polluerant, decertantibus tutores et cooperatores apparuisse leguntur. Quos ego multo plures ac frequentius eis affuisse crediderim quam visibiliter ostensi sunt. Item verbum Deus, de quo scriptum est, quoniam lux est vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum [2]) illuminationis angelicae simul et nostrae una cum Patre et ex Patre congrue principium et auctor aestimandus

---

[1]) Math. 3. 11. — [2]) Joan. 1. 9.

est, de quo tantum luminis sapientiae vicinae illae virtutes hauserunt, ut non solum in se ipsis illustres et clari sint, sed ut nostri quoque illuminatores dici et esse idonei sint. Horum praecipuus ac nobis ex scripturis notissimus est archangelus Gabriel, qui et virginem gravidandam mysterium sacramenti singularis edocet et prophetam verbis suis incredulum arguit et mulctat silentio, qui et nutritium pueri Joseph crebro admonuisse creditur: primo ne virginis gravidae consortium desereret; secundo, ut puerum in Aegyptum fugiens Herodem duceret; tertio, ut eundem in terram Israel defuncto Herode reduceret. Ipse quoque Danielem prophetam sacramenta mysticae visionis ab angelo alio jussus intelligere fecit. Sed et in tempore gratiae martyri sermonanti angelus librum ante oculos ministri loco tenuisse visus est, de quo quasi legens sermonis admirabilem gratiam mutuasset. Sebastianus hic erat.

Ex horum illuminatorum numero et illi amici sponsi sunt, qui sponsae, sanctae videlicet animae, Verbum diligenti et a Verbo dilectae in consolationem promittunt dicentes: Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.[1]) Hae namque murenae ac similitudines auri, ut alia translatio habet, imagines quaedam praecursoriae sunt, quas dum angeli sanctis animabus in visione quasi auro et argento fabrefactas ostendunt ad ministerium verbi Dei promptiores, intelligentiores et facundiores ut assurgant efficiunt. Quae similitudines auri ac murenae argento vermiculatae sunt, nam divinorum quae agenda vel dicenda instant quandam in se similitudinem imaginariam repraesentant v. gr. Petrus vas linteum quatuor initiis de coelo ad se submissum vidit in quo erant diversi generis animalia quae lex immunda decernit dictumque est ei: macta et manduca.[2]) Et haec visio per ter ei monstrata est, haud dubium quin angelorum, qui illuminatores sunt, ministerio, qui veri amici sponsi animae illi sanctae has quasi murenulas fabrefaciebant. Quo viso simul edoctus est gentes quatuor plagis mundi comprehensas, quas Deus mundavit, non debere immundas reputare, quin potius sciret per suum eas ministerium in corpus Christi trajiciendas, quod etiam mox alacri obe-

[1]) Cant. 1. 10. — [2]) act. 10. 13.

dientia per eum coeptum est actitari. Et quamvis per angelos illuminatores has fieri illuminationes credamus vel amicos sponsi zelantes sponso non sibi, summo tamen illuminatori Verbo Dei Deo illuminationis totius auctoritas et principatus constat, qui solus docet hominem scientiam unus ac solus magister illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Qui habens clavem David, aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit. Aliud est enim auctorem et arbitrum, aliud ministrum illuminationis existere, aliud lucem veram esse qua illuminamur, aliud lucis verae participium et illuminandi officium non de suo sed ex Dei dono possidere.

Cap. XXIV.

Differentia inter veram lucem et illuminatores angelos vel homines.

Nunc de angelicis spiritibus perfectioribus dicendum esset si qui digne diceret perfectus quis inveniri posset. Purgatione namque simul et illuminatione rationalis creaturae consummata, necessaria humilitas et charitas est, ne purgatus et illuminatus corde extollatur ambulans in magnis et in mirabilibus super se, glorians in donis Dei quasi propriis, ne forte in superbiam elatus in judicium incidat diaboli, qui, ingratus et rebellis existens adversus eum a quo fuit, tamquam fulgur de coelo projectus cecidit. Hic ergo perfectorum officio opus est, ut animae purgatae et illuminatae divinae majestatis timorem et contemplationem ingerant, ne forte gloriam, quae solius Dei est, sibi rapientes non solum gloriam sed et gratiam amittant. Perfectores autem eas virtutes dixerim, quae a paternae majestatis contemplatione tantum humilitatis et caritatis hauserunt, ut non solum ipsi in summis virtutibus praecipuae humilitatis et charitatis sint, sed et aliis in eisdem virtutibus consummandis adjutores et cooperatores divinitus sint destinati. Utuntur autem et ipsi angelorum sibi subjectorum in hoc opus ministerio, adeo ut ne angelos Satanae, ubi eorum nequitia opus est, exclusos crediderim. Talis enim erat, qui ad tentandum pati-

entiam Job a Domino admissus est. Talium quoque unus apostolo paedagogus et humilitatis custos datus est, ne, ut ipse fatetur, magnitudo eum revelationum extolleret. Et tales quidem nequam spiritus sive a Domino sive ab angelis perfectioribus ad tentandum sanctos admissi quantum in ipsis est nocere intendunt sed per eos invitos sanctorum patientia exercetur et fabricatur corona. Itaque non ipsis perfectorum nomen convenit sed eis potius, qui ipsis velut quibusdam malleis ad fabricandam in sanctis patientiae et humilitatis coronam utuntur. Nam ipsi pro suae malignitatis intentione angeli potius satanae et nequam spiritus censendi sunt. Sanctis igitur angelis in charitate et humilitate ex paternae majestatis contemplatione consummatis hoc nomen repositum est ut perfectores nominentur; qualium unus vel praecipuus est Michael princeps populi Dei. Quem ex eo humilitatis et charitatis consummandae vel conservandae quasi cujusdam paradisi praepositum agnoscimus, quod ipso atque angelis ejus proeliantibus draco ille de coelo projectus est, qui primus in coelo altissimo assimilari praesumpsit, deinde in delubris quoque gentium responsa reddens divinum sibi honorem a deceptis hominibus exegit, quod item cooperante proeliis martyrum Michaele divinitatis usurpatae nomen draco idem superbus amisit et qui putabatur deus diabolus esse agnitus est. Itaque Michael sicut superbiae contra Deum tumentis probatur inimicus: ita humilitatis Deum glorificantis amicus et custos et ex officio perfector agnoscendus est, non quod ipse humilitatem vel charitatem ad Deum cordibus infundat, hoc enim solius Dei est, sed quod humilium se custodem et amicum familiarem exhibeat. Possunt tamen sancti angeli humiles et sanctas cogitationes animabus perficiendis suggerere, sicut daemones quoque malas cogitationes immittere, sed ut eaedem cogitationes bonae recipiantur vel malae repellantur solius Dei praestare est.

Cap. XXV.

Nomen et officium Michaelis.

Hoc autem et nomen ipsum Michaelis indicat quod interpretatur „Quis ut Deus“, videlicet humilitatis perficiendae ipsum esse

ministrum. Quasi enim ex nominis titulo agnoscimus, quod ad Dei similitudinem per superbiam nullus assurgat quin potius, ut quispiam contra Deum assurgere eique superbus assimilari tentaverit, ipso Michaelis nomine ac ministerio quasi fulmine repercutiendus erit, quatenus humiliatus dicat: Domine quis similis tibi[1]) vel quis in nubibus aequabitur Domino?[2]) aut quis similis erit Domino in filiis Dei?[2]) Et quia sacerdotium ecclesiae humilitatis officium ac ministerium est, qui enim orat Deum ipse se sibi insufficientem existimat, ipse quoque Michael sacerdotum Deo in humilitate spiritus preces offerentium comminister agnoscendus est, unde et in habitu sacerdotali thuribulum aureum coram altari tenuisse manu visus est. Ex quo enim fides promissi Salvatoris Christi velut altare in cordibus Patriarcharum suscepta et collocata est, ex eo Michael per thuribulum aureum, hoc est per Christum mediatorem, incensa orationum Deo offere non destitit et usque dum finiatur saeculum non desinet. Quod autem oratio humilitatis opus sit vel in Patriarcha Jacob manifestum est cujus humilitatis meritum Osee propheta commendans ait: In fortitudine sua directus cum angelo invaluit ad angelum.[3]) Atque ut sciremus eum non corporis sed animae fortitudine, quae mentis humilitas est, invaluisse ad angelum subjecit dicens: flevit et rogavit eum.[4]) Similiter autem et Moyses fortissimum spiritum Deum non alia fortitudine quam nimia humilitate potuit tenere, ita ut omnipotens teneri se sentiens ab homine tamquam impotens sui factus diceret: dimitte me ut irascatur furor meus et cet.[5]) Unde et in psalmo centesimo quinto scriptum est: Et dixit ut disperderet eos si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus.[6]) Quid enim est in confractione nisi in nimia mentis humilitate? An non nimia mentis humilitas fuit quod ait: dimitte eis hanc noxam aut si non, dele me de libro tuo quod scripsisti?[7]) In quibus verbis etsi affectus rationem exclusisse visus est, affectus tamen affectum non exclusit, quin se

---

[1]) Ps. 34. 10. — [2]) Ps. 88. 7. — [3]) Oseas 12. 3. — [4]) Os. 12. 3.
[5]) Os. 12. 4. — [6]) Ps. 105. 23. — [7]) Exod. 32. 10.

pariter et illos in libro divinae praescientiae indelebiliter scriptos esse toto corde desiderasset. Nec attendendum in his verbis est quem sensum faciant sed de quo sensu et affectu fiant. Quomodo si dicatur mulieri parvulum gestanti te quidem intromitto ad convivium sed parvulus ille, quoniam inquietus est, foris maneat, necesse est et illa quoniam tenere diligit infantulum respondeat dicens: si non hunc intromittis mecum me quoque pariter exclude; quamvis haec verba praeter rationem non sint sed de loquela cordis et affectus exemplum satis est. Fieri autem posset, ut haec mulieris verba non solum pro se sed et pro infantulo obtinerent, affectu ejus potius quam verbis exaudito. Dominus quoque in oratione non tam verborum ambitum quam sincerum requirit affectum, qualibuscumque verbis prolatum utpote cui cor potius loquitur quam lingua. At haec in medium prolata sunt, ut orantium officium humilitatis esse opus agnosceremus. Unde scriptum est: Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.[1] Item. Oratio humiliantis se nubes penetrat.[2] Unde sicut dictum est Michaelem sacerdotii esse praepositum et orantium sacerdotum comministrum cum ex nominis interpretatione simul et proeliorum contra superbum draconem fortitudine tum etiam ex thuribuli coram altari exhibitione palam est ac perinde unum ex perfectoribus, immo vero eorum qui perfectores dicuntur praepositum eum esse credendum est.

Cap. XXVI.

De angelo qui pastores nato Domino edocuit.

An forte Michael etiam ille angelus extitit, qui nato Domino pastoribus super gregem suum vigilantibus apparens ac de nati Salvatoris miraculo edocens consummata doctrina in laudem Dei concinente sibi multitudine angelorum erupit dicens: Gloria in altissimis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.[3] Unus namque ex perfectoribus hic erat qui optime distin-

---

[1]) Ps. 50. 19. — [2]) Eccli 35. 21. — [3]) Luc. 2. 14.

guens gloriam Deo, pacem hominibus bonae voluntatis intonabat. Nec de minoribus hic fuisse credendus est sed unus ex principibus maximis, qui et in maximo salutis nostrae negotio non solus sed cum multitudine coelestis exercitus apparens gaudium non uni tantum genti sed omni populo futurum nuntiavit. Perfectoris quoque officio angelus idem quocumque censeatur nomine functus est dum quasi humilitatis magister et opifex humili personae pastorum familiaris factus de nati eos Salvatoris parvuli infantia pannis ac praesepis vilitate perdocuit. Ac ne iidem pastores visa tanti miraculi claritate insolescerent gloriam Deo referendam, sibi pacem sufficere debere praemonuit. Jam enim tunc in exordio surgentis ecclesiae pastorum gregum perfectio necessaria in illis pastoribus parabatur. Nam si illis ne insolescant necessaria intimatur humilitas et gloriam soli Deo repositam, quos unius visionis angelicae novitas claritate stupenda circumfusos edocuit et qui semel ad visionem Verbi incarnati admissi pannis involutum infantem viderunt, quanto magis pastoribus ecclesiae humilitatis consummatio necessaria per angelos perfectores intimatur ne quos saeculi nocte pulsa divina coelitas sapientia illustres et claros fecerit non reddita Deo gloria ambulent in magnis et in mirabilibus super se, quin potius humilitati inhaerentes ad humilis Christi praesepe altare videlicet dominicum in domo panis, quae est ecclesia, festinent, ubi panem angelorum sacramentorum specie quasi pannis involutum non solum oculis beatis hauriant sed et manibus sacris contrectent et ore percipiant ad salutem.

Cap. XXVII.

Superiores angelos licenter inferiorum officia gerere.

Nec videri debet contrarium, quod iste perfector angelus etiam purgatoris atque illuminatoris officio usus sit, in eo quod abactis tenebris noctis pastores non solum foris lumine materiali sed et intus doctrina veritatis illustrat. Etenim superiores virtutes inferiorum officia interdum administrare nec injuriosum est nec

insolitum, quomodo si presbyter diaconi, poscente id causa, gerat officium, cum e diverso diacono sacerdotis praesumere officium non liceat. Sic enim et Seraphim prophetae purgans labia cum unus de supremis esset virtutibus inferioris ministerii peregit officium, sicut nunc iste perfector angelus primo pellendo tenebras ac timorem consolans, postquam doctrinam veritatis insinuans purgatoris simul et illuminatoris incidenter peregit officium. Sicut autem nomen Michaelis. quod interpretatur „quis ut Deus" superbiae conterendae et humilitati insinuandae congruens perfectoris insinuat officium: ita Gabriel, quod est „fortitudo Dei" illuminatoris et Raphael quod est interpretatum „medicina Dei" purgatoris officio congruit. Unde et Gabriel juxta nomen suum et officium virginem Verbo foecundandam ne stupore insoliti miraculi deficiat abacto timore blanditia verborum solatur et confortat simul et virtute altissimi ne corpori virginali intolerabilis efficiatur ei obumbrari promittit. Similiter autem et prophetam Danielem stupore visionis consternatum idem Gabriel primo erigit ac pulso timore confortat ita ut dicat ille: Loquere Domine quia confortasti me[1]) ac deinde confortato sacramenti mysteria revelet. Sed et Dominus ipse sciens fortitudine animi in mysteriis ediscendis opus esse mulieri Samaritanae aquae viventis ab eo potum desideranti dicere non dubitavit: voca virum tuum. Itaque quoniam in ediscendis secretis coelestibus fortitudo animi semper necessaria est angelus illuminator recte Gabrielis i. e. fortitudinis Dei nomen sortitus est. Raphael quoque non incongruum purgatoris officio nomen obtinet; interpretatur enim ut notum est medicina Dei. Purgatio namque morum sive humorum malorum non parva in corpore vel anima medicinae portio est. Neque vero sanitas stabilis animae vel corporis recuperari poterit nisi prius purgatione vel naturali vel medicorum arte provisa morborum causae succidantur. Sic enim nec Raguelis domui nec Tobis oculis ante sanitas provenit donec et daemonium jecoris incensione pulsum est et albugo visionem impediens ab oculo fellis est piscini appositione detracta. Medici quoque spirituales noverunt malitia

---

1) Dan. 10. 19.

vel immunditia diabolica detecta, qua natura humana saepe infoecunda redditur, eaque veluti cordis vel jecoris diabolici particula igne poenitentiae succensa daemonium pellere, quo pulso per divinam clementiam natura purgata sanitati simul et foecunditati reddatur, ut potius virilia faciat opera quam viris mortis occasio sit.

Et haec de trium archangelorum nominibus et officiis dicta sint, quatenus ex his documenta sumamus quid de tribus illis ter subdivisis ordinibus sentiendum sit, videlicet qualiter coelestis hierarchia a summa bonitate ac majestate seu potentia, a summa luce ac sapientia, a summa puritate ac sanctitate formata descendat, ut alii contemplatione vel operatione summae puritatis, quae Spiritus sanctus est, perfecte purgati etiam purgatores vocandi sint; alii vero contemplatione vel usu summae Sapientiae, quae Verbum Dei Deus est, summe illuminati etiam illuminatores nominentur; alii etiam summae majestatis et bonitatis contemplatione et operatione summe humiles facti et charitatis igne repleti non solum perfecti sed et perfectores vocari digni sunt.

Cap. XXVIII.

Coelestem in angelis hierarchiam a Patre Deo et Verbo ejus et Spiritu sancto, ecclesiasticam vero hierarchiam a Christi veritate, via ac vita formari.

Sed cum hi tres Pater, Verbum et Spiritus una majestas, una sapientia, una sanctitas vel bonitas sint, dum quidquid substantiale de uno dicitur recte de omnibus dicatur, quare theologia quaedam substantialia Patri, quaedam Filio, quaedam Spiritui sancto quasi propria voluerit assignare, puto in vita praesenti a nullo plene posse comprehendi quamvis certas subesse causas dubitari non possit. Sicut autem a summa illa majestate sapientia et sanctitate tripartita coelestis hierarchia formam sumit: ita ecclesiasticam et terrenam hierarchiam a Christo via et veritate ac vita formam sumere satis supra demonstratum est. Et ecclesiastica quidem hierarchia sicut a tribus Magis inchoatum est in ecclesiae rectoribus, in continentibus, orationi vacantibus, in con-

jugatis quoque carnem suam a luxuriae putore frenantibus aurum thus et myrrham Christo regi Deo et homini sacrificare non cessat sed et coelestis hierarchia summe humilis, sapiens et sancta humilium quoque hominum sapientum et sanctorum amica etiam ipsa pro suarum facultatum thesauris multum regi Deo et homini aurum, thus et myrrham sacrificare non desinit. Et tres sunt in coelo Pater, Verbum et Spiritus, qui testimonium tribus illis ordinibus perhibent quod summae majestati, sapientiae ac sanctitati per humilitatis, sapientiae ac sanctitatis studium fideliter adhaereant cum Deo spiritus sint. Sed et tres sunt qui testimonium dant in terra·Christus videlicet via, veritas et vita, qui sobrie, juste ac pie viventes censeri debeant in ecclesiastica hierarchia, apostolo quoque Johanne affirmante spiritus, aqua et sanguis in idem testimonium principaliter operantur, spiritus videlicet Domini Jesu in manus Patris comendatus aqua etiam et sanguis, quae una de latere ejus lanceato profluxerunt, ut nisi quis dicat in Spiritu sancto Dominum Jesum, nisi aqua eadem in remissionem peccatorum fuerit ablutus et sanguinem in pretium redemptionis nostrae fusum ore hauserit vel primas ecclesiae valvas specietenus ingredi non possit. Si vero primis his testibus fideliter et constanter quis fuerit adjutus hujus testimonio Christus via, veritas et vita deesse non poterit, nam testes fere iidem et non diversi sunt. Christus enim naturae nostrae consanguineus in carnis et sanguinis nostrae veritate, viam se nobis per exemplum stravit, suoque nos sanguine redemit de sub dominio diaboli simul et de vana conversatione paternae traditionis quod moralitatis est, aqua etiam de latere suo fusa non solum nos redemptos abluit, sed et se ipsum aquam sapientiae nobis in potum dedit, quod veritati congruit; Spiritum quoque suum humanum ad nostram vivificationem in cruce consummatus emisit et in manus Patris commendavit. Dum ergo emittens spiritum Dominus Jesus moritur vivificationi nostrae, dum sanguine rubet redemptioni et justificationi nostrae dum aquam emanat purificationi nostrae tamquam parvulis nobis prima initiationis et formationis rudimenta et alimenta porrigit, lac nobis potum dans non escam ut his informati atque grandiusculi facti ad Christum viam, veritatem et vitam quasi ad solidum cibum

transeamus, cujus testimonio triformi in praesenti ecclesia fulti etiam totius Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti in coelo testimonium consecuti coetibus tripartitis angelorum associari valeamus. Christus itaque omne bonum nostrum est dum spiritu, sanguine et aqua nos initiat et nutricat, dum via, veritas et vita nos adultos roborat, dum Patri sibique ipsi homo [1]) Dei et Spiritui sancto amborum nos consummandos tradit et commendat ut tradito regno Deo et Patri sit Deus omnia in omnibus.

Item Christus via in praesenti vita sua nos misericordissima patientia supportat, Christus veritas nos in via illuminat, pascit et in fine judicat — Pater enim omne judicium dedit Filio, — Christus vita una cum Patre et sancto Spiritu nos consummat et sua visione et inhabitatione remunerat. Haec de tripartita coelesti simul et ecclesiastica hierarchia dicta sint, cui in coelo Pater, Verbum et Spiritus testimonium dant, in terra quoque Spiritus, aqua et sanguis Christi insuper et Christus via, veritas et vita perhibent testimonium, quae jam partim visionis divinae beatitudine perfruitur, partim per fidem ambulans ad beatae visionis speciem contendit.

Cap. XXIX.

Primum antichristum extitisse diabolum in eo quod Filio Dei specialiter adversatus est.

Porro ab hac hierarchia magna portio coelestium spirituum, magna quoque portio hominum penitus extranea est. Etenim in coelo unus magnorum spirituum, Lucifer dictus, creatrici bonitati, quae Spiritus sanctus est, ingratus existens, majestati quoque irreverens et contumeliosus: ponam, inquit, sedem meam ad aquilonem [2]) sed et Filii, qui similitudo et imago Patris est, locum appetens: similis, ait, ero altissimo.[3]) Propterea itaque de coelo projectus est sicut veritas de ipso testatur, quoniam vidi, inquit, satanam sicut fulgur de coelo cadentem. [4]) Nec

[1]) homini. — [2]) Is. 14. 13. — [3]) Is. 14. 14. — [4]) Luc. 10. 18.

suffecit ei in suis evanuisse cogitationibus et mendacem existere adversus veritatem dicendo: ego feci memetipsum,[1]) quin et homini mendacium suum propinando pater mendacii factus est, sicut item veritas de eo pronuntiat dicens: quoniam mendax est et pater ejus.[2]) Hic ergo primus antichristus i. e. Christo Filio Dei contrarius extitit, in eo quod locum Filii Dei i. e. similis esse et aequalis altissimo non solum ipse appetiit sed et homini ex rapina idem appetere persuasit dicens: comedite et eritis sicut dii scientes bonum et malum.[3]) Quia enim penes Filium clavis scientiae est cui recte dicitur: Tu omnia nosti et quia ipse hominem docet scientiam siquidem et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum in eo quoque ipso Filio Dei specialiter contrarius extitit, quod homini privilegium ejus rapere id est clavem scientiae furari persuasit.

Quapropter post primum a Deo lapsum in quo tenebrarum et noctis nomine a Deo judice nuncupatus est et in serpente triformi maledictione subjicitur dicente Domino: Maledictus eris inter omnia animantia et bestias terrae. Super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus vitae tuae. Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo illius.[4])

Quia enim superbus se contra majestatem erexerat pectus quo tumuerat in terra premitur ut rationale ejus proprio motu atteratur. Qui enim fecit eum sic applicavit gladium ejus in se ipsum ut dum nocere alios molitur a se ipso magis ipse sciens noceatur nec tamen ob hoc voluntatem nocendi deserat, quin potius semetipsum et alios nocens noceat adhuc et numquam nocere desinat. Propter hoc enim et nomen noctis ei perpetualiter divino judicio inustum est dicente scriptura, quoniam vocavit Deus lucem i. e. lucidos angelos diem et tenebras i. e. tenebrosos vocavit noctem. Quia vero panem angelorum, qui est sapientia Dei, non solum edere fastidivit sed et ipse ipsa sapientia videri appetiit, propterea pulvis et terra i. e. homines terreni et animales in

---

[1]) Ezech. 29. 3. — [2]) Joan. 8. 44. — [3]) gen. 3. 5. — [4]) gen. 3. 14. 15.

cibum ejus deputati sunt quorum esu venter malitiae ejus magis gravetur quam adjuvetur. Quid enim illi prodest plures in malitia vel poenis habere consocios? immo vero quanto plures sibi in malum asciverit tanto sententia divini judicii gravatur super eum. Tertio quia mulierem molliorem videlicet sexum ipse decepit et illexit caput ejus calcaneo ac pedi ejus conterendum subjacebit. Quod ad litteram ita verum esse physici perhibent, ut si mulier nudo pede caput serpentis calcaverit mox emortuus toto corpore ne motum quidem ullum retineat, quod non ita esse capite quoque praeciso probatum est. Sed et vir jejunus si super eum sputum jecerit item emori continuo perhibetur. Sed haec in diabolo spiritualiter ita complentur, ut si sensualitas nostra principium suggestionis ejus pede quodam despectionis vel animadversionis conterit, totum corpus ejus emortuum vires progrediendi ac proficiendi perdat. Sed et viri jejuni sputum ita spiritualiter spiritualem serpentem enecat ut oratio jejunantium mundo corde contra diaboli tentamenta fusa omnes vires ejus quibus praevalere posse putabatur enervet.

Maxime vero singularis femina virgo Maria caput diaboli contrivit in eo quod omni concupiscentia carnali spreta per fidem verbis angeli Gabrielis exhibitam Verbum Dei Deum sancti Spiritus operatione concepit, quod de se incarnatum in ejus carnis substantia cum diabolo congressum virtutem ejus contrivit, cujus et oratio cum clamore valido Patri oblata quasi quoddam sputum jejuni viri et ab omni peccato immunis corpus diabolicum enecavit, sicut scriptum est: E r o m o r s t u a o m o r s, m o r s u s t u u s e r o i n f e r n e.[1]) Atque ita trinum a summa Trinitate judicium in superbiam, secunda a sapientia contra diabolum promulgatum est, ut prima sententia a majestate contra astutiam diabolicam, tertia a benignitate contra malitiam, a sanctitate contra immunditiam jaculata sit. Vivit tamen et adhuc diabolus morti propriae numquam finiendae, vivit humiliationi et contritioni suae vivit et sanctorum probationi et in omnes suggestioni malignae. Magis vero tunc malitiae vixit, quando nondum morte Christi enecatus omnem pene post se hominem traxit, quando

---

[1]) Oseas 13. 14.

ipse superbus vanus et immundus totum pene mundum concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae possedit.

Cap. XXX.

Tria judicia a sancta Trinitate in homines.

Imitati namque sunt eum homines, qui erant ex parte illius adeo, ut quemadmodum ipse diabolus a sancta Trinitate propter reatum triplicem triformi judicio ac sententia multatus est, sicut breviter digessimus, ita propter triplicem videlicet superbiae, vanitatis et immunditiae reatum triformis quoque in homines a Deo vindicta processerit. Harum prima erat diluvium maxime propter superbiae et crudelitatis peccatum mundo impiorum inductum; secunda divisio linguarum, qua vanitas turrim aedificare volentium punita est, cujus culmen usque ad coelum perducere cogitabant. Tertia vindicta in Sodomitas processit, qui cum finitimis civitatibus maxime propter flagitia carnis a Domino igne et sulphure deleti sunt. Et recte atque aequo pondere vindicta haec triformis a sancta Trinitate in peccatores librata est. Nam quia ante diluvium gigantes erant super terram homines sicut corpore portentuali ita et animo enormiter elati crudelitate humanorum viscerum commessores, potentes a saeculo viri[1]) famosi propterea diluvio inundante perierunt, quatenus per elationes fluctuum contra se insurgentes discerent quales ipsi contra Deum et proximos extitissent. Et hi quidem primi persecutores justorum ac potius persecutorum praeambuli fuerunt, nam ab eorum primo ac principe Cain justus Abel in typum passionis Christi occisus est. Qui quoniam contra majestatem divinam tumuerant, majestatis quoque proprium fuerit se de talibus vindicare. Similiter autem et hi qui turrim contra Dominum aedificare coeperant sicut haereticorum nomen suum celebrare cupientium audaciam simul et vanitatem spirabant: ita eorundem in tali aedificio typum quoque praeferebant. Quid enim est ejusmodi turrim filios Adam aedificare nisi primi praesumptoris sequaces mendaciorum cuniculis haeresium fabricam erigere cujus culmen aedificii tunc coelum attingit quando

[1]) gen. 6. 4.

summae veritati, quae Christus est, insuper et ejus Patri simul et amborum Spiritui injuriosa et contumeliosa existit? Unde veraciter de ejusmodi aedificatoribus ait Dominus: Coeperuntque hoc facere nec desistent a cogitationibus suis donec eas opere compleant.[1]) Illi enim primi aedificatores materiali turri coelo bellum inferre frustra moliti sunt, at eorum sequaces haeretici non solum aedificium injuriosum sed et coelimachiam contra Deum conceptam opere compleverunt. Quid enim injuriarum contra Filium Dei Arius non evomuit quem creaturam veri Dei potius quam verum veri Dei filium asserere praesumpsit etiam in eo quo Verbum erat in principio dicens quoniam erat tempus quando non erat? Quid Sabellius contra divinarum personarum Trinitatem non delatravit? Quid Macedonius contra Spiritus sancti divinitatem ore vipereo non sibilavit? Quid Photinus blasphemiarum contra hominis assumpti divinitatem veram et naturalem non ebullivit? cujus erroris pravitas licet generalibus conciliis explosa et anathematizata sit faex tamen ejus necdum penitus exinanita est. Unde pene cottidianum nobis contra nostri temporis. Photinianos bellum est illis hominem assumptum nec Deum verum nec Dei Filium nisi per adoptionem, quemadmodum unus ex nobis, asserentibus, nobis vero decontra hominis assumpti divinitatem veram et naturalem contestantibus.

Naturalem autem hominis in Deum assumpti divinitatem asserimus, eo quod non adoptione sicut unus ex nobis sed generatione divina Dei Spiritu sancto in virginem superveniente in Deum natus sit. Etenim, ut ait Hilarius, quamvis non natura nativitatis sed nativitas naturae sit numquam tamen nativitas extra naturam esse patitur. Item ipse super eadem divinissima Christi nativitate: Superior, ait, natura in inferiorem nata fidem praestat inferiorem naturam in naturam posse nasci potiorem.

---

[1]) gen. 11. 6.

Cap. XXXI.

Tractatus contra Photinianos et Nestorianos nostri temporis.

Atque ut pauca contra nostri temporis Photinianos et Nestorianos, veros nimirum antichristos, disseramus, quomodo veram hominis in Deum ex Deo nativitatem quispiam negare praesumat, cum veram et substantivam Verbi paterni in cor et uterum virginis mediante Spiritu sancto, qui amor est Patris, eructationem non neget sicut scriptum est: eructavit cor meum verbum bonum dico ego opera mea regi, lingua mea calamus scribae velociter scribentis.[1]) Lingua namque Patris Spiritus sanctus est, quo velut interprete vel calamo idem Verbum Patris in pellem virgineae carnis substantialiter et velociter ab eodem scriba Patre inscriptum est, ut non solum qui nasceretur sed et quod de ea nasceretur sanctum vocaretur Filius Dei.

Quid enim ibi non verum aut proprium ad divinae et humanae generationis usum fuit ubi et angelus paranymphus praemittitur et virginis assensus quaeritur, ubi post assensum Spiritus sanctus in virginem supervenit et virtus genitoris altissimi obumbrat? Ipse enim Spiritus sanctus verum et consubstantiale Verbi Dei infusorium est, de quo ait Ambrosius in Lucam ad naturalia concedens, quoniam Spiritus sanctus incorruptibile semen utero virginali infudit. Sed hic grunniunt haeretici divinas operationes secundum suas turpes imaginationes metientes. Dominus autem Spiritus est et qui cogitant de illo spiritualiter oportet cogitare, spiritualibus spiritualia comparando nec deduci ad imaginationes. Etenim cum Deus non solum Spiritus sed et spirituum spiritus sit, habens semen incorruptibile Verbum et Sapientiam suam, quo per Spiritum suum foetat animas caste dilectas ac diligentes quis imaginabiliter seminis hujus ad animas illapsum concipiat? Quod utique non sibi poros aut vias quaerit ad ingrediendum, quoniam ubique est, non clausuris vel obstaculis arcetur quoniam spiritus

[1]) Ps. 44. 3.

est, cui omne clausum patet, omne solidum cedit et velut inane et nihilum reputatur ei. Suo tamen quodam inaestimabilis dignationis modo foris stans ad ostium dilectae animae pulsat sponsus Deus petens sibi per fidem et dilectionem aperiri, quatenus ingressus ad eam epuletur in bonis illius et ipsa in suis. Novit adolescentulas animas quarum non est numerus suo amore dignanter praevenire; novit reginas animas vel quas in regimen promovere intendit, arctioris sibi amoris vinculo devincire ac donis amplioribus honestare. Novit unam columbam,[1] unam perfectam suam, unam uni ecclesiae matri unice dilectam singularis privilegio amoris diligere ac verbi sui sive scribendo sive loquendo matrem efficere. Novit foris post parietem corruptibilis corporis nostri stans per foramen spiritualis affectionis manum ad animam dilectam ac diligentem intromittere, ut venter animae intremiscat ad tactum illius,[2] novit supersubstantialis amoris sui usu et efficientia sensibili vixque humanae animae interdum tolerabili abyssum ejus ingredi idque in ea secretis amplexibus operari, ut anima talis unus cum eo spiritus effecta amplius sterilis non sit sed surgens eodem spiritu confortata faciat sicut de viro desideriorum scriptum est opera regis. Aut vero inaniter amoris cantica inter Deum et animam divinis voluminibus inserta sunt v. gr. osculetur me osculo oris sui[3]) et cetera in hunc modum idque quod ait psalmista: torrente voluptatis tuae potabis eos[4]) figurate de Deo et non in veritate sentiendum est? Immo vero Deus ita vere charitas et rationalis creaturae ita efficax amator est, ut carnalis amor ejus amori comparatus umbra et imago sit, ille vero sit veritas et substantia hujus.

Sed cur ista prosequimur, nisi ut singulare virginis privilegium efferamus, quam singulari usu divinitas sibi templum et sponsam dedicare dignata est, quam divinis amplexibus tota sibi Trinitas adeo subjecit, ut Verbum Dei Deus semini carnis virginalis unitum templum corporis sui de carne sibi virginea conderet ad omnem usum formandi hominis per novem mensium spatium proprii substantiam corporis virgine ministrante? Sed generationem

---

1) Cant. 6. 7. 8. — 2) Cant 5. 4. — 3) Cant. 1. 1. — 4) Ps. 35. 9.

istam qua Deus pater hominis et virgo mater Dei effecta est, quis enarrabit? Verum etsi nemo sit enarrare idoneus, nullus intellectus capere dignus, credere tamen sacramentum hoc oportet omnem hominem, quicumque vult salvus esse.

Neque enim ecclesia Dei concedit in errorem eorum, qui hominem illum assumptum dicere audent non magis a Deo genitum aut amplius pertinere ad filiationem Dei quam alium quemlibet electorum. Etenim sicut inquiunt et verum est Spiritus sanctus ... tor[1] hominis quidem illius de carne virginea factus est sed dici non convenit ut Pater Christi Spiritus sanctus sit, ne duos patres Christus, unum secundum divinitatem, alterum secundum humanitatem habere videatur. Sed et ipsa Sapientia Verbum Dei Deus, ut proprio haeretici referiantur gladio cum sibi in utero virginali templum aedificaverit sicut scriptum est: Sapientia aedificavit sibi domum[2]) non tamen eam homini assumpto patrem sentire decet, ne persona eadem sibimetipsi secundum aliud atque aliud Filius et Pater sit. Quod vero Pater Deus virginem ad generandum sibi ex ea hominem filium sponsam delegerit, hoc vel audire abhorrent dicere vel sentire detestantur quorundam patrum dicta in sui erroris favorem trahentes quibus inter sermonandum de Christi nativitate dicere placuit, quod Christus in coelo sine matre, in terra sine patre sit. Verum pater Augustinus id qualiter intelligendum sit determinate loquitur v. gr. in sermone de nativitate Johannis Baptistae sic ait: Ipse Dominus fecit sibi servum in utero sterili de sene patre et ancilla matre. Et idem ipse Dominus fecit sibi carnem in utero virginis sine homine patre, qui fecit primum hominem sine patre et matre. At ipsi haec et hujusmodi surda aure praetereunt et in suae insensibilitatis horrore perdurant. Sed ut video hic eorum horror magis ex sensu humaniformiorum haereticorum quam ex ratione descendit. Si enim vere, ut fatentur, Deum Patrem sentiunt spiritum, quae ratio est ut magis in illo quam in Filio ejus vel Spiritu amborum virginalis animae vel carnis spiritualem tactum abhorreant? Igitur ut proprio haeretici referiantur gladio Christus, quod utique hominis

[1]) codex post aliquam rasuram sotummondo has tres literas tor continet.
[2]) Prov. 9. 1.

assumpti nomen est, tum [1]) secundum eos quam secundum nos nec filii nec spiritus sancti filius dicendus sit aut omnino per generationem filius Dei non erit aut utique sicut vere est filius Dei Patris erit confitendus. Sed illi deteriorem partem assumunt, quod videlicet homo assumptus per generationem Filius Dei omnino non sit. In coelo enim sine matre, in terra sine patre est inquiunt. At nos firmius habemus testimonium Pauli apostoli, in quo Christus loquebatur, hoc asserentis in capite epistolae ad Romanos quod Christus secundum carnem quoque Dei Filius sit. Paulus, inquit, servus Christi Jesu, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.[2]) Quo hic fugient talpae et vespertiliones lampadis hujus fulgorem non ferentes? Testimonia enim ipsius Domini nostri Jesu Christi de se parcius interdum et involute loquentis utcumque in ambiguitatem ducere possunt, sibique de obscuritate dictorum aliquam velut ignorantiae umbram praetexere v. gr. ego et Pater unum sumus.[3]) Itemque Pater meus usque modo operatur et ego operor,[4]) quod tamen eum etiam Judaei inimici de se homine loqui intellexerunt unde et dicebant: de bono opere non lapidamus te sed de blasphemia et quia tu homo cum sis facis te ipsum Deum.[5]) At isti caupones Judaeorum quoque perfidiae et coecitati subpares haec et cetera divinitatis Jesu in Evangelio prolata testimonia ita naturae Verbi assignant, ut in eorum sensu et calumnia homo assumptus a Verbo, a divinitatis professione exemptus sit. At non ita in verbis Pauli praedictis tergiversari poterunt. Ipse enim omni ambiguitate semota limpidam veritatem oculis etiam lippientibus ingerit hoc evidenter edicens, quod qui filius ab aeterno fuit etiam ex semine David secundum carnem ei filius factus sit. Ut enim paululum quid cum Grammaticis secundum regulas grammaticae loquar, cum „factus“ adjectivum sit et substantivum vel aliquid loco substantivi cum

[1]) cod. tamen. — [2]) Rom. 1. 1—3. — [3]) Joan. 10. 30. — [4]) Joan. 5. 17. — [5]) Joan. 10. 33.

quo construatur requirit quo alius construas „factus“ nisi ad „filius“ in textu verborum apostolicorum non invenies. Nam ne subaudiendum putes homo ad „factus“ vel aliquid ejusmodi dictiuncula relativa ei non patitur nisi ad aliud relativum construi et determinato secundum carnem apposita non te sinit ad Verbi divinitatem recurrere. Item quod ait ex semine David ad virginis partum nos mittit, quae de stirpe David regali exorta de suo semine per spiritualia Spiritus sancti delectamenta Verbo Dei inviolabili videlicet paterno semini unito verum nobis Emmanuel Dominum Jesum Christum progenuit totum suum, totum et Dei filium. Totum, inquam, suum i. e. non solum in eo quod ex virgine sumptum est sed et in eo quod per ejus amorem a Deo acceptum et conceptum est. Totum etiam Dei i. e. non solum in eo quod ex paterna substantia progenitum sed et in eo quod per amorem Dei Patris ex virgine acceptum et conceptum est, non duplicata . . . separata Verbi assumentis et hominis assumpti conceptione alioquin duo concepti ac proinde, ut Nestorius deliravit, etiam duo essent filii Deus et homo, sed una conceptione Deus in hominem et homo in Deum conceptus est, una quoque nativitate in ipsa virgine Patris Dei sponsa natus est. Quod enim in ea natum est, ait angelus, de Spiritu sancto est.[1] Nondum erat natus ex ea et jam praedicatur natus in ea, ut intelligas eam nativitatem qua eum Pater genuit in virgine postea generandum de virgine, sicut usu quoque naturali prius nascitur filius ex patre in matre postmodum nasciturus de matre, neque tamen duplicatur filiatio sic nati filii sed est amborum videlicet patris et matris unus filius individuus totus patris totus et matris filius, quamvis nec de sola matre nec de solo patre totam essentiae suae habeat substantiam. Sic et Christus totus Dei Patris et totus virginis matris est filius, quamvis in substantia gemina conceptus et natus humanitatem ex matre, divinitatem vero habeat ex patre, cui aeternaliter existens filius non factus aut creatus, etiam secundum carnem factus est filius ex semine David sicut praedestinatus est in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mor-

[1]) Math. 1. 20.

tuorum Jesu Christi. Sed quid verba Pauli nostrorum verborum additamentis magis obscuramus quam exponimus et non potius simplicem veritatem sicut ab eo nude et constanter dicta est tenemus, quoniam Dominus Jesus factus est Deo filius secundum carnem et hoc ex semine David? Quid enim ad nos quaerere quomodo factum sit quod omnem intellectum angelorum et hominum excedit? Quid ad nos facti modum inquirere, quibus de veritate facti si Evangeliis, angelis et Prophetis et Apostolis credimus non licet dubitare? Dicit namque in Evangelio Dominus natales suos defendens: Pater meus quod dedit mihi majus omnibus est. Et nemo potest rapere de manu mea sicut nemo potest rapere de manu Patris mei.[1]) Patris quoque non semel super ipso intonat testimonium dicentis: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui.[2]) Sed et Centurio in passione visis signis clamat: quoniam filius Dei erat iste.[3]) Angelus quoque ad Mariam: quoniam filius Altissimi vocabitur.[4]) Ipse quoque loquitur in David Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.[5]) Apostolis quoque verbis et litteris consuetum ac familiare fuit testificari filium Dei esse Jesum. At isti de quibus loquimur omnia haec et quaeque his similia divinitatis ac natalium Jesu testimonia ita, ut dictum est, Verbi divinitati assignant, ut caro Verbi eorum judicio extra divinitatis ac naturalis filiationis Dei honorem sit. Sed, ut dictum est, hoc eorum haereticum judicium unius dicti splendore Paulus apostolus doctor gentium in fide et veritate diverberat atque condemnat adstruens Dominum Jesum ex semine David secundum carnem filium Deo factum. Ac ne tergiversari possit dicendo non eum secundum carnem filium naturalem sed potius adoptivum a Paulo nuncupatum subjecit dicens: Qui praedestinatus est filius Dei in virtute.[6]) Dum enim Christum Jesum filium Dei in virtute praedestinatum adstruit, praedestinatio te mittit non ad Verbum sed ad hominem et virtus filiationis Dei excludit adoptionem, indicit naturae filii Dei, quae per generationem est in ho-

---

[1]) Joan. 10. 29. — [2]) Math. 3. 17; Luc. 9. 35. — [3]) Math. 27. 54; Marc. 15. 39. — [4]) Luc. 1. 32. — [5]) Ps. 2. 7. — [6]) Rom. 1. 4.

mine praedestinato, veritatem. Etenim si homo in Verbo filius esset adoptatus jam non unus sed duo essent filii in Christo unus naturalis idemque optivus, hoc enim optivum est patribus de propriae naturae substantia habere filios, alter non naturalis sed optivo adoptatus. At haec pravitas doctrinae olim in nestoriana haeresi damnata est.

Cap. XXXII.

Contra eos qui dicunt Christum non per generationem sed per unionem Dei Filium secundum carnem.

Sunt vero alii qui medium se quoddam inter duo quae falsa judicant verum tenere arbitrantes dicunt: Dominum Jesum Christum i. e. hominem a Verbo assumptum nec per generationem nec per adoptionem dicendum Dei Filium sed per unionem. At filiationem, quae nec per generationem nec saltem per adoptionem sit, ego . . . . nequaquam possum. Quantacumque enim inter diversas species contingat unio v. gr. si homo a pisce vel lupo devoratus in ejus corpus transeat, non tamen homo piscis vel lupi devoratoris aut ejus patris filius dicendus erit, quamvis piscis aut lupi filio unitus et incorporatus sit. Item si homo equo insidens unum cum equo equitem componat non tamen vel equus hominis aut homo equi filius dici poterit. At si genuino calore ac naturali affectu et usu animalia diversi generis in unum coëant fieri nequit, ut foetus inde procreatus utriusque parentis filius non sit.[1]) Et haec dicimus, ut filiationem, quae non per generationem sed per unionem sit, aliam tam a naturalibus quam a divinis, penitus excludamus eo quod nulla sit. Filius enim cum sit relativum non ad quamlibet unionem sed ad eam, quae ex Patre vel matre sit, solum refertur generationem. Nos tamen in gene-

---

[1]) Locum hunc Gerhoho in peccatum vertit Folmarus. conf. Arnonis, fratris Gerhohi, Decani Reichersbergensis, Apologeticum contra Folmarum. Max. Biblioth. vet. PP. Lugduni MDCLXXVII p. 241. G. pag. 240. T. false inscribitur tractatus: „Sententiae Adami“ cum legendum sit: Arnonis.

ratione unionem naturarum non destruimus, immo vero duarum naturarum unionem in Christo adstruimus, sed cum unionis nomen ad multa aequivocum sit ea solum quae generationis propria est, unitas vel unio patrem et filium constituit. At generationis unitas vel unio nihil est aliud quam generatio. Cum igitur nihil medium relinquitur, quin is qui filius est aut per generationem aut saltem per adoptionem filius sit, adoptionis vero filiationem in Christo asserere jam olim ab ecclesia Dei reprobatum est, restat, ut homo assumptus in Deum aut nullo modo filius Dei aut certe, sicut adstruit apostolus, secundum carnem quoque filius Dei in virtute et in veritate naturae sit.

Cap. XXXIII.

Virtutem naturae praeter naturam non esse sicut in miraculo vini ex aqua facti claruit.

Nusquam enim virtus naturae praeter naturam est. Secundum humanam enim atque divinam philosophiam essentia, virtus et operatio per omnia indivisa sunt v. gr. vinum de aqua factum sicut virtutem [1]) vini naturalis ita et naturam sive essentiam habuit. Habuit autem vini virtutem et naturam sive essentiam non quidem ex vitis propagine sed ex Verbi omnipotentis jussione. Immo et melius vinum per miraculum factum quam quod ex vite sumebatur judicatum est. Tu autem, ait, servasti vinum bonum usque adhuc.[2]) Ergo et caro Verbi Dei quoniam vivificandi virtutem habeat, quod solius Dei est, sicut ait veritas: nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis,[3]) juste divino honore honoratur et non sicut scholae modernorum latria inquiunt Verbo, dulia carni exhibenda est. Rectius Ephesina Synodus [4]) hominem non Verbo coadorandum sed una adoratione et glorificatione cum Verbo censuit honorandum aliterque docentes

[1]) cod. virtute. — [2]) Joan. 2. 10. — [3]) Joan. 6. 54. — [4]) Cyrilli Alex. Anathematismum VIII. εἴ τις τολμᾷ·· κτλ· respicere videntur haec verba Gerhohi, vide Mansi Concil. Coll. Tom. IV. p. 1067—84. Harduin I. p. 1194. Confer etiam. Gerh. Comm. in Psalm. Pez. Thes. anecd. nov. tom. V. col. 770—771.

idest Paulum Samosatenum [1]), Nestorium, Photinum ac sibi consentientes anathematis mucrone percussit, quae et carnem Verbi vivificatricem dicere non dubitavit. Itaque homo a Verbo assumptus non nuncupative solum sed essentialiter Deus est, eo quod virtus divinitatis, quae est vivificatio animae in eo praeter essentiam non est. Sed ecce nostro in tempore rursum Photinus atque Nestorius emergit ab inferis in hominibus hominem Christum sua divinitate spoliantibus et carnem Christi latria indignam judicantibus eamque non adorandam sed Verbo coadorandam quasi alterum alteri blasphemantibus. Etenim spiritus est, inquiunt, qui vivificat caro non prodest quicquam [2]), quasi nos nudam carnem et non potius carnem Christi vel carnem Christum adorandum censeamus. Etenim caro si nomen solum naturae feceris et non carnem Christi vel Christum carnem intellexeris non solum eam non adorabo sed et maledictum pronuntio hominem confidentem in homine et ponentem carnem brachium suum et cujus cor recedit a Domino.[3])

At qui confidit in homine Christo non ejus cor recedit a Domino; etenim Christus Dominus est et super omnia Deus benedictus in saecula.[4]) At, inquiunt, numquid Christus et caro Christi vel caro Verbi caro secundum naturam non est? Salvatur enim in ipso utraque in suis rationibus natura, ut eadem caro et adoranda sit quia caro Christi vel caro Christus est, et eadem non adoranda quia caro secundum naturam est? Sed absit a me, ut umquam dicam vel sentiam carnem Christi vivificatricem et quae vere cibus animarum est, non esse adorandam. Sed non pro qualibet causa eam pronuntiabo adorandam. Unde si dixeris, caro Christi quia caro est adoranda non est et feceris hypotheticam causalem, quae habeat in antecedenti quia caro est et in consequenti quasi ab oppositis inferas adoranda non est, quomodo si dicas de Christo, Christus quia homo est Deus non est, falsissimum ego talem intellectum judico et puto omnis homo fidei et rationis compos mecum. Si autem cathegoricam feceris et determinationem ex parte praedicati posueris quomodo si dicas: Christi caro, non quia caro

---

[1]) cod. pplum samosanum. — [2]) Joan. 6. 63. — [3]) Jerem. 17. 5. — [4]) Rom. 9. 5.

est, sed quia Christi caro est, adoranda est. Nec mirum carnem Christi non pro qualibet causa adorandam, sed pro ea sola pro qua adoranda est. Etenim et Deus Pater non pro qualibet causa extranea adorandus est sed pro ea solum quia Deus est. Non enim idcirco adorandus est Deus, quia Deus est dictus; sunt enim, ait apostolus, dii multi et domini multi sive in coelo sive in terra[1]) utique nuncupativi et ideo non adorandi; nobis autem unus verus est Deus Christus et ideo adorandus.

Sed sileant nugae istae scholares a nobis. Sufficit mihi cum Paulo dicere et sentire, quoniam Christus secundum carnem Dei filius in virtute est et quia Deus Pater ei secundum carnem pater est. Et cum Deus Pater ei secundum carnem pater sit ipseque Deo secundum carnem filius, ergo et secundum carnem propriam adorandus quia Deus. Adorate, ait scriptura, scabellum pedum ejus quoniam sanctum est.[2]) Vere sanctum quemadmodum Gabriel archangelus virgini testificatus est dicens: Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.[3]) Non ait, qui nascetur per te sanctus, quod ad Verbi personam restringendum putares sed quod nascetur, ait, ex te sanctum vocabitur filius Dei, quod utique carnis de virgine sumptae proprium esse dubitari non potest. At haec caro cum sanctum sanctorum ipsaque nostra sanctificatio sit, factus est enim nobis a Deo Christus sapientia et justitia et sanctificatio et redemptio[4]), in eo utique quod factus est caro vel homo est ipsa caro, quae sanctum sanctorum est, scabellum pedum Dei dici et esse dedignata non est. Scabellum est dum passibilis nascitur, dum mortalitate paulominus ab angelis minoratur, dum ipsis vitae hujus passionibus atteritur, morte conculcatur, dum hae ipsae passiones et mors sibimetipsi homini Deo ad Deum Patrem causa et materia exaltationis constituitur. Sic enim, ait apostolus, humiliavit se ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, ecce scabelli humilitas, propter quod et Deus exaltavit

[1]) I. Cor. 8. 5. — [2]) Ps. 98. 5. — [3]) Luc. 1. 35. — [4]) I. Cor. 1. 30.

illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen.[1]) Ecce propter humilitatem scabelli ejusdem naturae, quae pertulit glorificatio. Homini enim et humanae in Christo naturae, quae injurias passionum vice scabelli percurrit, hoc nomen quod est super omne nomen donatum est non Verbo, Verbum enim hoc nomen ab aeterno habuit, nec aliquando amisit, ut hoc ei donari propter passionis humilitatem vel redonari potuisset. Nomen vero, quod est super omne nomen, quid est, nisi ut, sicut vere est, agnoscatur Deus verus et Dei veri secundum generationem filius?

Cap. XXXIV.

Error Ambrosii Audberti.

At hoc nomen, ait Ambrosius quidam cognomento Audbertus, ut sit Deus et Dei filius quod secundum naturam habere super omne nomen est homini dari non potuit, nisi forte quis dicat per adoptionem esse datum. Sed adoptivo, ait, Deo non flectitur omne genu. Et ista quidem Ambrosii cujusdam monachi in epistolas Pauli prave commentantis deliramenta sunt multosque post se errare fecerunt aestimantes verba haec nostri magni Mediolanensis esse Ambrosii. Sed licet monachus quispiam vel etiam angelus de coelo evangelizet praeter quod ab apostolo Paulo evangelizante accepimus, Christum videlicet ex semine David secundum carnem factum et praedestinatum non adoptive sed in virtute Dei filium, anathema mihi erit et omni homini christiano esse debet.

Noster vero Mediolanensis Ambrosius episcopus quam longe aliter de Christi secundum carnem natalibus sentiat, quamque plene apostoli Pauli verbis et scriptis consentiat in expositione Lucae de Christi generatione scribens manifestat his verbis: „Lucas, inquit, ad Deum Christi generationem putavit esse referendam quod verus Christi generator Deus sit vel secundum veram generationem pater vel secundum lavacri regenerationem mystici auctor muneris. Et ideo non a primo generationem ejus coepit scribere sed postea-

[1]) Phil. 2. 8.

quam baptismum ejus explicuit, auctorem omnium Deum per baptismum cupiens demonstrare Christum quoque a Deo ordine manasse successionis asseruit universa contexens, ut et secundum naturam et secundum gratiam secundum carnem Dei filium demonstraret. Quid autem evidentius divinae generationis indicium quam quod de generatione dicturus ipsum Patrem praemisit loquentem: Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui." [1]) Quid expressius doctor iste catholicus dicere potuit ad asserendos Christi natales secundum carnem quoque esse divinos, quam ut Christum secundum naturam et secundum gratiam idque totum secundum carnem filium Dei edoceret?

Item super eadem re Augustinus in Enchiridio. „Quid, enim inquit, [2]) humana in homine Christo natura meruit, ut in unitatem personae unici filii Dei singulariter esset assumpta? Quae bona voluntas, cujus boni propositi studium, quae bona praecesserunt opera quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo? Numquid antea fuit homo et hoc ei singulare beneficium praestitum est, ut [3]) singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo homo esse coepit, non aliud coepit esse [4]) quam Dei filius et hoc unicus et propterea [5]) Dei Verbum, quod ab [6]) illo suscepta caro facta [7]) est utique Deus, ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una persona, Verbum et caro."

Item. „Proinde sicut confitemur Dominus noster Jesus Christus, qui est [8]) de Deo Deus, homo autem natus est ex [9]) Spiritu sancto et Virgine Maria utraque substantia, divina scilicet et humana, filius est unicus Patris Dei omnipotentis, de quo procedit Spiritus sanctus." [10])

Idem in libro de praedestinatione sanctorum [11]): „Ille homo

---

[1]) S. Ambr. Com. in Luc. lib. III. Parisiis 603 Tom. III. pag. 45. — [2]) August. Enchirid. ad Laurent. cap. 36. (11) edit. Tyrnav. 1767. pag. 281. — [3]) editio „cum." — [4]) edit. esse homo quam. — [5]) edit. propter Deum Verbum. — [6]) edit. deest ab. — [7]) edit. factum. — [8]) edit. deest est. — [9]) edit. de. — [10]) August. Enchirid. cap. 38. (12). p. 283. — [11]) de praed. sanct. cap. 15 (30). conf. de peccat. mer. et. remiss. lib. 2. c. 17. de dono persev. cap. 24.

ut a Verbo Patri coaeterno in unitatem personae assumptus, filius Dei unigenitus esset, unde [1]) mereretur? Quod bonum ejus praecessit, [2]) ut ad hanc ineffabilem gratiam perveniret? Faciente [3]) ac suscipiente Deo Verbo ipse homo ex quo esse coepit, filius Dei unicus esse coepit."

Haec et his similia patres esse testificantes non dubium esse sinunt se sentire pariter et confiteri Dominum Jesum ea quoque generatione, qua per virgineum partum homo natus est, esse Dei Patris omnipotentis unigenitum filium, utpote de Spiritu sancto, qui amor est Dei Patris, progenitum et non sicut ajunt in coelo sine matre, in terra sine patre. Non enim coelestem patrem Deum sed terrenum parentem hominem in Christi humana generatione patres taliter sermonantes excluserunt, quod satis determinate alias idem pater Augustinus, ut supra docuimus, edixit.

Sed neque Spiritus sancti filium esse dicendum Dominum Jesum idem pater Augustinus testatur, eo quod de Spiritu sancto i. e. Spiritus sancti operatione natus sit sed potius Dei Patris esse ac dici debere filium asseverat in libro Enchiridion. „Certe, [4]) inquit, qui nascuntur ex aqua et Spiritu sancto non aquae filios eos [5]) dixerit quispiam sed plane dicuntur filii Dei Patris et matris ecclesiae, sic ergo de Spiritu sancto natus est filius Dei Patris, non Spiritus sancti." Haec Augustinus. Ac ne Christus divina solum natura vel substantia et humana dicendus filius putetur, recole, quod, ut praedictum est, idem pater Augustinus utraque substantia divina scilicet et humana filium esse unicum Dei Patris confitetur, ita ut carnem quoque a Verbo susceptam factam Deum ac Dei Verbum indubitanter asseveret. Item ipse in libro quaestionum novi testamenti: [6]) „Christus filius Dei ex aeterno est secundum spiritum sanctitatis, juxta carnem vero ex semine David natus est filius Deo [7]) ut in utroque non factus Deo [7]) filius habeatur sed natus." Et post aliqua. „Salvator ergo [8]) natus est

---

[1]) editio: unde hoc meruit. — [2]) editio: qualecumque praecessit, quid egit ante, quid credidit, quid petivit ut ad h. ineff. excellentiam. — [3]) edit. Nonne faciente. — [4]) Enchiridion cap. 39. (12; ed Tyrnav. p. 284. — [5]) edit. eos rite. — [6]) quaest. 54. tom. III. p. 1047. ed. Venet. 1729. — [7]) edit. Dei. — [8]) edit. et natus.

et secundum carnem filius Dei. Non[1]) enim poterat, quod de[2]) sancto sanctum natum est non de Deo nasci." Ecce magnos duos patres Augustinum et Ambrosium id constanter dicentes, quod Christus secundum carnem verus Dei filius sit. Conticescant igitur et obstruatur os loquentium iniqua, dicentium Christi generationem secundum carnem non magis ad Deum Patrem quam unius ex nobis pertinere, cum Evangelistae, apostoli sanctique patres Christi natales secundum carnem ex Deo Patre divinos esse contestentur.

Cap. XXXV.

Contra troporum abusiones.[3])

Tollant hinc ambiguitatis ansas, solvant infidelitatis nodos et secundum doctrinam apostolicam et evangelicam confiteantur nobiscum Christum non secundum naturam Verbi solum sed et secundum carnem verum Deum et in virtute Dei filium ac perinde hominem illum non tropicae locutionis modo, quemadmodum, ajunt, accidentalitatis vel comitantiae tropo sed proprie nobiscum credant et confiteantur Deum. Etenim etsi tropos illos in naturalibus cum illis recipimus, ut accidentalitatem dicamus, quando praedicatum non redditur ad causam, quomodo si dicas hoc rationale est album, non enim ex eo quod rationale est album est, quomodo ex eo quod homo est quis animal est, cum dicitur: homo est animal, sed et tropum comitantiae item in naturalibus admittimus cum dicitur: albedo clara, non quod ipsa claritatis fundamentum sit sed quod eam claritas in subjecto corpore comitetur sicut et pictum parthenopeum dicere solent tropo comitantiae eo quod picta habeat arma se comitantia vel ratione consortii pro eo quod picto scuto scutatus et ipse ob scuti consortium tropice dicatur pictus, cum in solo scuto sit pictura, sicut[4]) illi volunt in sola divinitate manentem omnipotentiam assumpto non assignari posse homini nisi ratione consortii quasi divina omnipotentia non

---

[1]) edit. Nec. — [2]) edit. quod de Spiritu Sancto natum est non etc. — [3]) Chronicon Reichersberg. ad annum 1164. refert: Alexander Papa . . in vigilia Nativitatis Domini . . . condemnavit et omnino interdixit omnes tropos et indisciplinatas quaestiones in Theologia. (Editio Gewoldi p. 217.) — [4]) sic?

sit homini data qui dicit: data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.[1]) Non hos, inquam, tropos in naturalibus repellimus sed in theologiam profanam vocum novitatem introducere vitamus, quae et non proprie hunc hominem, qui dicitur Jesus, Deum dici profiteatur. Ex quo enim hominem illum de Spiritu sancto conceptum intellexeris vel designaveris quicquid divinum dixeris v. gr. Deus est omnipotens praedicatum profecto ad causam reddis. Non enim potest esse ille homo quin Deus et omnipotens sit. Porro accidentalitatis vel comitantiae tropo vel ratione consortii hominem illum dicere Deum, cum pro novitate vocum tum ex eo permaxime vitamus et execramur, quod homini illi divinitas non quomodo uni ex nobis accidentalis est de qualibus dicitur: ego dixi dii estis, sed quoniam ei Deum esse ex nativitatis origine naturale sit. Nativitas enim extra suae originis naturam esse non patitur. Igitur quoniam ille homo, qui dicitur Jesus, totus Dei totusque filius hominis est totus Deus totus et homo est, totus Verbum et spiritus totus et caro est. Quod enim natum est de carne caro est et quod natum est de spiritu spiritus est.[2]) Cur autem timeamus dicere Deum patrem hominis cum regula fidei cogat virginem sanctam θεοτόκον i. e. Dei matrem nuncupare? An potentior erat amor virginis divinus ad concipiendum et generandum ex Deo Deum in hominem et infirmior amor Dei ad uniendum Verbo ex se genito per generationem deiformem ex virgine virginis carnem? Immo vero tota hujus sacramenti efficacia coelitus invecta est Deo ineffabile secretum quod exsuperat omnem sensum quodque non licet homini loqui singulari potentia in virgine operante, apud quem solum non erat impossibile hoc verbum ideoque et quod natum est ex ea sanctum vocatum est filius Dei. Et cum sit filius Dei, quomodo non Deus pater pater ejus, cum ut supra monstratum est nec Verbum nec Spiritum sanctum patrem ejus dici conveniat? Immo vero quae convenientius in Trinitate persona, cum tota Trinitas incarnationem Verbi sit operata, virginalis partus pater dicetur, quam illa cujus [3]) osculum in amoris cantico sponsa sive patriar-

---

[1]) Math. 28. 18. — [2]) Joan. 3. 6. — [3]) cod. ejus.

charum ecclesia sive singulariter diligens et dilecta Mariae anima flagitans ait: Osculetur me osculo oris sui?[1]) Quae autem osculans illa persona rectius intelligitur quam Pater Verbi, ne si aliam diceres Patris nomen in Trinitate duplicares? Quid etiam os osculantis aliud quam ipsum Dei Verbum et Sapientia est, quae docet hominem scientiam?[2]) Quid vero oris ejus est osculum, quo se tantopere osculari desiderabat antiqua Patrum ecclesia seu unice dilecta et diligens virgo Maria et post eam quaeque perfecta deposcit anima, quid, inquam, nisi ipsa incarnata sapientia Dominus Jesus unus in duabus et ex duabus existens naturis, sicut osculum a duabus conficitur personis? Et osculum quidem pacis et concordiae animorum dilectionisque signum sive pignus amoris est et Dominus noster Jesus pax nostra est, qui fecit utraque unum solvens inimicitias inter Deum et hominem. Qui recte dicitur et est pacis nostrae osculum, quoniam in ipso misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatae sunt.[3]) Hoc ergo paternae charitatis osculum tunc antiqua patrum suscepit ecclesia quando Dei sapientia de ejus carne est incarnata. Quid vero insuper est osculi osculum quod sibi poscit sponsa dicens: Osculetur me osculo oris sui? Non enim immediate sibi petere audet paternae dilectionis osculum, ita ut dicat osculetur me sponsus Deus meus; nam hoc privilegium solius filii esse novit qui est in sinu patris, pater enim diligit immediate filium et omnia demonstrat illi et nemo novit filium nisi pater, neque Patrem quis novit nisi filius,[4]) qui et os patris est dum sapientia et verbum ejus est. Insuper vero et osculum paternae dilectionis est dum geminae substantiae gigas Deus et homo mediator Dei et hominum est, sed nec praesumit dicere sponsa corporis adhuc mortalis fragilitate circumdata osculetur me ore suo, nam et haec praerogativa beatorum coelestium spirituum et inter eos summorum, qui ipsam Dei sapientiam immediate vident, videntes amant et amando ardent, sed osculetur, ait, me osculo oris sui, consoletur me et amorem suum atque praesentiam per incarnationem unigeniti sui exhibeat mihi, ut consola-

---

[1]) Cant. 1. 1. — [2]) Ps. 93. 10. — [3]) Ps. 84. 11. — [4]) Math. 11. 27.

tionis et dilectionis ejus osculo percepto plene capiam vitae, salutis et securitatis experimentum. Sed, ut dictum est, in incarnatione Verbi jam olim ecclesia desideratum sponsi percepit osculum. Quid ergo est osculum quod insuper sibi poscit ecclesia jam dudum in incarnatione Verbi Dei tam dulciter ac familiariter osculata! Quid, inquam, est hoc osculum osculi nisi infusio Spiritus sancti? Sed et hoc osculum osculi percepit ecclesia dilecti sponsa unius unica, quando ipsum paternum et gratiosum osculum gustato amaro mortis poculo, gustato in cruce vino myrrhato sive aceto cum felle mixto Dominus videlicet Jesus resurgens a mortuis et stans in medio discipulorum primo eis pace oblata insufflans dixit eis: Accipite Spiritum sanctum.[1]) Et hoc quidem paterni oris osculi osculo vita mortuis reddita, peccatorum remissio collata timidisque servis pax condonata est, quos tamen de servis jam ante amicos effecerat. Amplius autem eandem amicam et sponsam suam idem pater Deus oris sui osculo gratioso osculatus est, quando idem Dominus Jesus paternae charitatis os et osculum ad dexteram patris considens et quasi os de coelis in terram porrigens gratiam eidem sponsae suae secundam contulit et quasi profundius eam osculans factusque cum ea in carne et spiritu uno spiritum ei suum pace omnem sensum superante infudit quo percepto quasi osculi osculo foeta virtutum et foecunda gratiarum effecta est, ita ut non jam solum vitae ac salutis et dilectionis propriae secura existeret, sed et alii[2]) i. e. discipuli Domini ministri vitae et salutis internuntii idonei haberentur et essent. Sicque jam completa est oratio primitivae simul et Patriarcharum ecclesiae dicentis: Osculetur me osculo oris sui; implebitur autem et adhuc usque in finem saeculi ecclesiae oratio idem osculi osculum desiderantis, implebitur et singulis perfectis fidelibus eadem orationis verba cum desiderio repetentibus et suspiriose dicentibus: Osculetur me osculo oris sui. — Sed cur ista perstrinximus nisi ut fidei nostrae et dilectionis, quae una in unum Dominum Jesum esse debet, confirmemus atque in hac veteris scripturae veluti solida et argentea base stabiliamus fundamentum?

---

[1]) Joan. 20. 22. — [2]) cod. aliis.

Cujus enim utraque substantia Dominus Jesus rectius in Trinitate, quae tota incarnationem operata est, dicitur filius quam ejus personae, Patris videlicet Dei, cujus oris osculum a sponsa desideratum eique redditum est in fine temporum. Illius ergo personae utraque substantia ego Dominum Jesum agnosco filium, cujus et novi osculum ecclesiae desideranti exhibitum.

Cap. XXXVI.

De nova ecclesia quae Filium sponsum vocat.

Haec pro antiquae Patriarcharum ecclesiae portione dicta sint, quae Patrem Deum novit invocare sponsum. Ceterum nova ecclesia in Christo renata etiam Christum, cujus sanguine redempta est, singularis gratiae privilegio sponsum suum recognoscit, cujus et osculum i. e. infusionem Spiritus sancti crebrae dilectionis usu ab ipso sibi dari desideranter petit eodem dilectionis affectu, quo et antiqua Patriarcharum ecclesia patris desiderabat osculum dicens et nunc in communi ecclesiae coetu, dicens quoque singularum perfectissimarum animarum fideli et aestuanti desiderio: osculetur me osculo oris sui. Et sponsum quidem tam nomine quam re Dominum Jesum recognoscimus in eo quod ait Johannes de ipso, qui habet sponsam sponsus est;[1]) osculum quoque dilectionis ejus usum in Spiritus sancti munere novimus. Etenim quae osculum nominat minus dicens amplius desiderando significat, eam videlicet sancti Spiritus infusionem per quam quasi usu naturali ab anima fideli ac diligenti cognoscitur verus ecclesiae et cujusque fidelis animae sponsus Dominus Jesus, eo quod ab ipso non minus quam a Patre Spiritus sanctus in eam procedat, cujus infusione quasi naturali sponsi sui Dei cognitione in bono opere foecundatur, ne ultra sterilis maneat. Quid autem dicemus hujus sponsi os, a quo nunc sibi osculum poscit ecclesia, nisi sanctam canonicam scripturam, cujus oris quasi duo labia duo sunt testamenta. Haec autem canonica scriptura os Christi sponsi ecclesiae

---

[1]) Joan. 3. 29.

non incongrue dicitur, eo videlicet loquendi usu quem Grammatici metonymiam dicunt, quo efficiens pro effecto poni solet vel e converso. Etenim non solum Evangelium ore Christi gratioso conditum est, ipso videlicet in parabolis loquente ac docénte novisque praeceptis vetera consummante, futuras quoque passiones suas et gloriam subsequentem praedicente sed et miracula Verbi sui imperio operante insuper et vetus testamentum per ipsum in prophetis loquentem conditum est, quemadmodum Isaias in persona ejus loquitur dicens: quia ipse ego qui loquebar ecce adsum.[1]) Aliter quoque utrumque testamentum os Christi recte dicitur, eo quod quidquid loquuntur in Christum tendit eique famulatur, unde scriptum est de duobus Cherubim, quoniam invicem se respiciebant versis vultibus in propitiatorium. Itaque duo haec testamenta duo sponsi labia sunt de quibus in amoris cantico dicitur: Labia ejus, videlicet sponsi, stillantia myrrham primam.[2]) Labia namque haec myrrham primam distillant dum et incarnati Verbi passionem denuntiant et nos similitudini mortis ejus docent complantari deberi. Labia itaque haec unum os Christi sponsi ecclesiae perficiunt, per quod voluntas ejus hominibus innotescit. Ab hoc ore totiens oscula Christi sponsi percipimus quotiens eorundem testamentorum meditatione seu lectione vel decantatione Spiritus sancti inspirationem haurimus juxta consilium apostoli dicentis: Implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino.[3]) Sed et propheta Elisaeus adduci sibi psalten praecepit qua psallente spiritum prophetiae hausit. Dum enim eadem testimonia testimoniorumque concordiam in fide et dilectione ejus videlicet sponsi nostri Christi, cui testimonium perhibent, recolimus, ab ipso in nos spiritus procedet de medio istorum labiorum hauriendus. Qui hanc gratiam expertus est novit vera esse quae loquor. Sed haec, ut dixi, praesentis ecclesiae privilegia sunt, quae Christum sponsum appellare didicit, ceterum antiqua Patriarcharum ecclesia patrem Deum novit appellare sponsum, cujus et oris accepit osculum Ver-

[1]) Is. 52. 6. — [2]) Cant. 5. 13. Vulg. lilia distillantia. — [3]) Eph. 5. 18. 19.

bum videlicet incarnatum. Sed et osculi osculum eidem antiquae ecclesiae datum est, dum apostolis, Patriarcharum in fide et in carne filiis, Spiritus sanctus per Verbi incarnati dilectionem infusus est. Itaque Dominus paterni oris osculum ens illius personae, Dei videlicet Patris omnipotentis, verus agnoscendus est filius, quem antiqua Patriarcharum ecclesia novit invocare sponsum, cujus et diu desideratum percepit osculum, ipsum videlicet Dominum Jesum unum in duabus et ex duabus naturis subsistentem quemadmodum osculum duarum est. Sed et osculi ab ipso Patre percepit osculum sanctum participans Spiritum per Filium a Patre missum.

Cap. XXXVII.

De mala intelligentia personae Christi a qua homo excluditur et solum Verbum intelligitur.

. . . . etiam nimium stultos et tardos corde ad credendum, procaces vero ad judicandum qui de Christo loquentibus nobis hominemque illum divinitate Verbi, quod ipse est, prae participibus suis unctum et qui non ad mensuram spiritum acceperit Deum dicentibus sic determinare solent: Si supposita, inquiunt, persona hominem Deum dixeris concedimus; si natura supposita negamus. Dumque horum intellectus verbo requiritur a nobis, invenimus eos per naturae vocabulum animam illam Christi rationalem et humanam carnem quodque ex his duobus unitum est velle accipi; personae autem vocabulum ad solius Verbi significationem restringi. Sed quis catholice sapiens aequanimiter feret animam illam rationalem et carnem Verbi divinitate singulariter unctam idque quod ex his duobus in verum hominem unitum et compositum est suaque unctum est divinitate determinatiunculis ejusmodi vanae philosophiae spoliari? Sane quod nihil ex his duobus compositum sit velle asserere stultum est atque impium. Alioquin non verus homo Christus est si non ex anima rationali et humana carne subsistit compositus. Aut quare non sine determinatione concedant hominem illum sua qua unctus ex nativitatis natura est divinitate esse Deum sicut animali, quod in me est et quod non aliud est quam ego,

sua concedunt rationalitate esse rationale nulla apposita determinatione? Vesti, ait Ambrosius in Lucam, tu carnem Christi divinitate sua. At isti Chamitae carnem Christi sua divinitate devestiunt et quasi nudam nuntiantes irrisioni et contemptui exponunt. Tu vero quae Deus inseparabiliter conjunxit noli humanis quasi ratiunculis velle separare. Ex quo enim caro Christi semel Christi caro esse coepit id quod facta et nata est non esse non valet. Ad hoc usu sacri eloquii didicimus Christum in tribus simul essentiis, Verbo videlicet anima et corpore, Christum et in singulis accipere. Quis enim neget carnem Christi singulariter divinitate unctam et vivificatricem unaque cum Verbo adoratione venerandam esse Christum? Quis etiam animam illam singulare divinitatis habitaculum et quae non divisiva gratia spiritum sed absque mensura accepit quaeque ipso Verbo Dei substantialiter se inhabitante sapiens sit, quis, inquam, eam neget esse Christum? Verbum quoque ipsum quod animam illam sanctam et carnem personaliter sibi univit, quis propter unitatem personae Christum neget esse? Hinc enim secundum scripturas dicimus Christum crucifixum mortuum et sepultum, cum tamen crucis tensio et fixio, mors quoque et sepultura propriae carnis non etiam animae aut Verbi passiones extiterunt. N o l i t e, ait Dominus, t i m e r e e o s, q u i o c c i d u n t c o r p u s, a n i m a m a u t e m n o n p o s s u n t o c c i d e r e.[1]) Item propter unitatem personae Christum secundum scripturas dicimus ad infernos descendisse cum anima sola descenderit, nam caro in sepulchro jacuit, divinitas autem Verbi non illuc descendit sed ibi fuit. Sic autem et loqui solemus aliquo tangente corpus nostrum vel calcante pedem propter unitatem personae ut dicamus tetigisti vel calcasti me. Sic etiam si anima sapientiae doctrina per aliquem imbuatur totus homo se perhibet instructum. Et homo sapiens dicitur propter sapientem animam et albus totus propter corpus album. Persona enim cum sit una utrumque participat, quod tamen corporis vel animae solius proprie forma est. Nec mirum cum et totus homo corpus vel caro et totus interdum propter potiorem sui substantiam vel partem anima dici soleat. Consuetum namque

---

[1]) Math. 10. 28.

nobis est hominem corpus dicere, scriptura quoque ait, omnis caro foenum,[1]) carnis appellatione volens hominem intelligi. Item alia scriptura ait: Quoniam descendit Jacob in Aegyptum in animabus septuaginta[2]) per animas septuaginta ejusdem numeri volens homines intelligi. Sicut enim totus homo corpus vel corporeus propter formam corporis ita totus anima vel animal aut animalis propter spiritualis essentiae formam quam totus participat non injuste vocatur. Similiter ergo et Christus recte in singulis, recte et simul in tribus suae personae essentiis intelligitur, ut caro Christi non solum Christi sed et Christus sit, et anima Christi, de qua ait: tristis est anima mea usque ad mortem[3]) non solum Christi sed et Christus sit et sapientia Dei, quae et Verbum, non solum Christi sed et Christus sit. Non tamen tres Christi sed unus est Christus. Quodlibet enim trium horum dixeris, quae Christi sunt, non illud separatim sed nec partem Christi sed totum Christum significasti. Non enim sicut dictum est ita ex tribus essentiis confitemur Christum, ut in singulis quoque trium propter unitatem personae Christus confitendus non sit sed ex tribus et in tribus essentiis Christus confitendus est. Duae namque naturae in suis rationibus salvantur in Christo et integrae permanent, quarum neutra in alteram permutata est, divina scilicet et humana, quarum neutra de altera valet enuntiari, ita ut divinitas esse humanitas aut humanitas esse divinitas congrue ac vere enuntiari[4]) possit, quamvis Deus esse homo et homo esse Deus catholice et vere omni semota determinatione pronuntietur. Quid est ergo quod ajunt, si supposita natura hominem Deum dixeris negamus,[5]) si supposita persona concedimus? Quis enim tam fatuus, ut loquente aliquo de Christo et dicente, quo[6]) ille homo est Deus hunc intellectum concipiat quasi dictum sit humilitas[7]) est Deus. Humanitas quippe proprie nomen naturae est. Aut etsi homo in significatione utriusque i. e. naturae et personae accipitur, in his tamen verbis cum dicitur homo ille Deus ecclesiastica eruditio ambiguitatem non admittit, eo quod hic sensus ab ejus doctrina et usu loquendi longe abest, ut humana natura i. e. humanitas, qua homo est et quae homo non est, Deus

[1]) Is. 40. 6. — [2]) Deut. 10. 22. — [3]) Marc. 14. 34. — [4]) deest: non. — [5]) cod. nega. — [6]) quoniam? — [7]) forsan: humanitas.

esse dicatur. Quid ergo sibi vult talis determinatio, quae suppositionem naturae excludat cum homo Deus esse dicitur quandoquidem nullus ecclesiastice instructus humanitatem Deum esse dicat? At vero si per naturae humanae nomen Christi animam rationalem cum carne sua unitam volunt intelligi, sicut ex eorum verbis accepimus improprie id quidem, quoniam res naturae i. e. individuum vel subsistens, quod et personam dicimus, non est natura sed ex natura est; siquidem formatum forma sui esse proprie dici non potest. Sed sive proprie animam illam Christi rationalem cum carne sua, quod perfectus homo est ex anima rationali et humana carne subsistens, vocent personam sive improprie naturam nominent illi animae suaeque carni divinitatem suam negare, qua homo ille ex divina per virginem nativitate Deus est, sicut et vere perfectus homo est, ego omnino impium censeo atque sacrilegum.

Quod si quaerat a me quis de anima vel spiritu, quam Christus in cruce emisit, in manus Patris commendans, vel de carne, quae in monumento jacuit exanimis separatim, an duo illa vel unum ex his separatim Deum dicam an negem, neutrum horum respondebo, eo quod indisciplinata quaestio ejusmodi sit, quoniam theologiae usus non est de unoquolibet eorum separatim quodlibet horum diffinire. Magis vero negativa illa longe sit a me qua carnem Christi vel animam sua divinitate spoliem. Nam in theologia didici Christum in omnibus Christum et in singulis accipere. Et utique Christus Deus est, animae vero naturaliter i. e. ex nativitatis natura divina sapientia sapienti vel carni item ex nativitatis natura siquidem [1]) de Spiritu sancto conceptae et in Deum unctae et natae et cui non ad mensuram spiritus datus est Deum negare non me theologia docuit nec ratio sinit. Sane me praesumere de Christo vel de his quae sunt Christi loqui, quod ex theologia non didici stultum, mihi videretur et impium, maxime cum et magni patres culpent, Christum in Verbum, animam et carnem tripartientes. At vero perfectum illum hominem ex anima rationali et humana carne ex virginali carne et Spiritu sancto conceptum ne-

[1]) cod. si quid.

gare Deum hoc plane judaizare est. Quis nempe filium hominis Jesum virum illum probatum non impie atque sacrilege negabit esse Deum? Quis, inquam, nisi vel Judaeus vel judaizans haereticus humanae naturae simul et personae in Christo sanctuarium sua praesumit divinitate spoliare?

Cap. XXXVIII.

Hominem cum Verbo personam non duplicare quamvis Christus divina persona et humana persona sit.

Vir namque et filius hominis naturae humanae simul et personae in Christo nomina sunt, quamvis illi adstruant personae nomine solum in Christo Verbum non etiam hominem significari, caventes, ut aestimo, ne si hominem personam dicerent personam in Christo duplicarent, eo quod nemine contradicente Verbum in Christo persona sit sicque jam non trinitas sed quaternitas in christianorum cultura esset. At nos licet catholice dicimus Verbum Dei quod nimirum persona est non assumpsisse personam hominis sed naturam, eo quod ante assumptionem persona quam assumeret non fuit, cum tamen natura et forma de qua et secundum quam hominem assumeret esset simul, et ne secundum Nestorium personam in Christo duplicemus, nihilominus et hoc catholice dicimus, quod homo nunc assumptus in Deum una cum Verbo persona est. Quid enim aliud est hominem a Verbo assumptum esse in personam nisi taliter atque ad hoc assumptum esse hominem ut sit una cum Verbo in Trinitate persona? Verbum namque, ut Johannes Damascenus quoque testatur, suam personalitatem homini contulit, non quidem ut eam Verbum amitteret sed ut homo in proprietatem personalitatis Verbi transiret. Videamus autem si homo personalitatem propriam Verbi potuit suscipere et virtute naturae ac veritate formae divinae carere. Quod ego nulla ratione possum recipere, licet non desint etiam ex nostris, qui hominem in personam non etiam in naturam vel naturae divinae consortium assumptum esse fateantur. Quod si dicere volunt hominem non ita assumptum esse in naturam divinam, ut ipsi divinitatis natura

sit, catholice sapiunt, et nobiscum sentiunt. Si autem homini, quem personam divinam concedunt esse, formam divinitatis et naturae consortium negant monstruosam mihi rem videntur asserere aliquam rem naturae alicujus personam vel individuum esse et naturae illius, cujus persona [1]) vel individuum sit, forma carere cum omnes formae generales et specificae suis individuis substantiales esse noscantur v. gr. monstrent mihi personam hominis vel angeli extra angelicae dignitatis vel humanitatis naturam et fatebor hominem illum filium hominis Dominum Jesum ita posse esse divinitatis personam et eandem rem naturae humanae exsortem asserere; quanto magis divinis rebus injuria irrogatur, si homo Christus Jesus ita in personae filii unitatem assumptus dicatur, ut extra divini generis naturam sit? Et hoc quidem contra eos qui hominem Jesum in personam et non in naturam divinam assumptum esse dicunt.

Cap. XXXIX.

Contra eos, qui hominem divinam personam esse negant.

Nam alii deterius errant, qui hominem Jesum, si hominem nomen naturae i. e. animae illius a Deo inhabitatae ac suae carnis facimus, nec in personam divini generis assumptum esse dicant, ut una in Trinitate persona esse dici recte possit, eo quod personalitas in Christo secundum eos Verbi et non hominis sit timentes forte, ut praediximus, si et hominem personam dicerent personam in Christo duplicarent. Nec vero in naturam divini generis eum assumptum fatentur, ut non simpliciter ac proprie nec absque tropo locutionis, quem accidentalitatem dicunt, aut nisi per adoptionem Deus ac Dei filius recte atque catholice dici vel credi possit, sicque secundum eos, si ut dictum est, homo in Christo proprie nomen naturae et non proprie nomen personae sit, homo ille propriae locutionis modo nec humana nec divina persona est. At cum filius hominis dicatur et sit et Jesus filius

---

[1]) cod. personam.

David et Jesus vir approbatus a Deo[1]) scriptumque de eo sit ille homo qui dicitur Jesus[2]) et multa in hunc modum, quae omnia in Christo personam hominis repraesentant ac demonstrant eundem personam humanam et unum ex hominibus negare monstruosum mihi videtur et absurdum atque evangelicis et apostolicis dictis omnino contrarium.

Cap. XL.

Exempla de non duplicata in Christo persona.

Videndum autem an, ut quidam verentur, duplicationem personae inducat in Christo, si humana simul et divina ipse, cum sit unus, persona dicatur? Et quidem omnino duplicatio personae esset si juxta haereticorum verba et sensum in Christo aliud i. e. Verbum filius Dei et non hominis atque aliud i. e. anima rationalis cum carne sua filius hominis et non Dei esset. Jam enim recte duo dicerentur filii alter Dei et non hominis atque alter hominis et non Dei. Nunc vero, cum secundum scripturas constet, evangelicas pariter et apostolicas, Jesum Christum factum filium Deo secundum carnem et concilium censeat contra Nestorium beatam virginem non solum hominis sed et Dei genitricem i. e. ϑεοτόκον dici debere, cum ergo totus Christus i. e. Verbum cum carnis suae humanitate filius Dei totusque idem homo cum Verbi, quod ipse est, divinitate filius virginis sit, unus profecto et non duo erunt filii ac perinde persona una ex duabus et in duabus existens naturis. Nec duplicat personam quod Dominus Jesus unus apud patrem atque unum cum Patre est itemque unus ex nobis et unum nobiscum, quoniam unus et non diversus vel alter est apud Patrem persona et apud nos. Etenim, ut ait Boëthius, in rerum numero repetitio unitatum non facit pluralitatem, quomodo si dicatur de uno ovo unum album et unum rotundum non duo ova intelligi possunt vel, ut magis domestico utamur exemplo, cum in singulis nobis sit homo exterior et homo interior homo et homo hominem in nobis non duplicat: sic et Christus cum

[1]) act. 2. 22. — [2]) Joan. 9. 11.

persona divina et persona humana sit, quod dicitur persona et persona personam non duplicat, eo quod unus atque idem ipse, ut ait Hilarius, res virtusque naturae sit. Interest tamen non nihil, nam cum in nobis hominem exteriorem atque hominem interiorem dicimus aliud atque aliud significare volumus cum vero Christum personam divinam et personam humanam dicimus, sicut non alium et alium ita non aliud atque aliud significamus. Neque enim ita dividimus, ut Verbum divina et non humana et homo assumptus humana et non divina persona sit, sed Christus unus atque idem ipse divina simul et humana persona est. Quod si et Verbum quis humanam atque hominem assumptum divinam personam dixerit non errabit, eo quod Verbum assumens non solum divina persona est, quae ab aeterno fuit, sed insuper humana persona esse coepit, homo vero simul homo et Deus, simul humana et divina persona coepit existere. Sicut autem ego existens homo dum bonus esse incipio hominem non duplico; ita et Christus ens persona divina, dum persona humana esse coepit, personam non duplicavit.

Accipe aliud. Si in unam personam regnum et sacerdotium conveniant eadem persona dici potest unus rex et unus sacerdos, unus et unus duplicationem non facit; similiter et Dominus Jesus, cum sit unus apud patrem et unum cum patre, verus rex patrique consubstantialis filius et unus apud nos atque unum nobiscum verus pontifex, verus homo atque hominis filius, nulla tamen personae introducetur duplicatio, cum unus ipse et non alter utrumque i. e. homo et Deus utrobique i. e. apud patrem et apud nos persona sit. Libet autem hoc ipsum ex mediatoris aequilibratione perpendere. Mediator enim inter nos et patrem nemine dubitante Dominus est Jesus. Mediatoris autem est aequaliter se habere ad utrumque. Siquidem et lapis angularis quod item est ipse Dominus Jesus non convenienter utrumque parietem jungeret, nisi aequaliter utrique conveniret. Quanta vero inter nos et Patrem Deum erat distantia? Taceo autem quod Deus justus vel justitia, homo peccator; Deus lux vera et homo tenebrae, quae ad invicem nullo umquam mediatore conveniunt. Quae enim participatio luci ad tenebras, justitiae cum iniquitate? Unde et Do-

minus Jesus nec debuit nec voluit peccata nostra vel carnem peccatricem assumere, quia nec debuit nec voluit inter peccatum et justitiam mediator existere, si enim ipse nobis concecidisset quomodo nos erigeret? sed naturam nostram, quae reconcilianda erat, integre et pure assumpsit, corruptibilem quidem ex voluntate assumentis sed ex debito nulli corruptioni obnoxiam, non quod vel inter corruptionem nostram et Deum deberet vel posset mediatio ulla fieri sed miseriam nostram juste nobis illatam a justo et misericordi Deo suscipi ad tempus oportuit, ut sic loquente pro nobis angelo unum de similibus dupla nostra mors de illius simpla destrueretur, quemadmodum duo serpentes magorum per unum serpentem ex virga Moysi devorati sunt.

Cap. XLI.

De aequilibratione mediatoris.

Quod autem devoratur et absorbetur quemadmodum ait apostolus a b s o r p t a e s t m o r s i n v i c t o r i a[1] nullo reconciliatur mediatore sed in nihilum redigitur. Igitur sola natura nostra et personae omnes singulae ex natura quae per peccatum offensam incurrerant reconciliatione per mediatorem indigebant. Quae etiam per mediatorem Dei et hominum Dominum Jesum reconciliata sunt. Qui si se non aequali proximitate haberet ad Patrem et ad nos mediator aequus, si dici fas est, non esset. Est autem nemine dubitante Dominus Jesus unum cum Patre ex divinitatis natura, est etiam unus apud Patrem quia una in Trinitate persona. Igitur ut aequus mediator sit necesse est, ut sicut unum etiam nobiscum est ex naturae nostrae consortio, ita quoque sit unus ex nobis i. e. una persona ex hominibus. Quod ipsa quoque aequitas reconciliationis nostrae postulabat. Etenim quia parens noster Adam similitudinem unius ex numero summae Trinitatis superbus appetierat, quemadmodum ait Dominus gravissima ironia: e c c e A d a m q u a s i u n u s e x n o b i s f a c t u s e s t,[2]) cum potius jumentis in-

[1]) I. Cor. 15. 54. — [2]) gen. 3. 22.

sipientibus similis factus fuisset oportuit, ut unus ex divini generis numero fieret unus ex nobis, unus ex numero filiorum Adam quatenus haec humilitas illi superbiae praeponderaret sicque homo quasi quodam statere immenso pondere de profundo abyssi erueretur. Quod et factum est per Dominum Jesum. Qui sicut unum cum Patre et unus apud Patrem est nisi unum quoque nobiscum et unus ex numero nostro esset non se consuete filium hominis aut nos fratres suos appellare dignaretur. Alioquin nec mediator aequus esset, qui, cum in Patris natura et unus apud Patrem esset, in nostra solum natura non etiam nostri generis persona esset. Sicque cum magnitudinis suae quodammodo nos mole premeret plus habens ex nostris [1]) quam ex nostris homo de paradiso exul ac timidus non satis fiducialiter ei causam suam committeret. At nunc, quoniam uaturae nostrae consanguineus est, una quidem persona apud Patrem et una eademque persona apud nos atque ex Patre et ex nobis, ibi rex hic sacerdos, aeque manens ex duabus et in duabus naturis, Patris videlicet ac nostra, aequa lance inter nos ac Patrem mediator est, valens utrumque arguere et ponere manum suam in ambobus, hinc peccatores de praevaricatione arguens, hinc Patri preces pro [2]) peccatoribus offerens, hic poenis indebitis quae non rapuit solvens, illic Patrem de completa satisfactione ac tempore miserendi commonens; hic desperatos ad spem veniae erigens, illic Patrem ad porrigendum desperatis manum inclinans.

Ipse quoque Dominus Jesus quam vere una persona sit apud Patrem et apud nos declarat, dum adhuc in terris nobiscum degens ait: Nemo ascendit in coelum nisi qui de coelo descendit filius hominis, qui est in coelo.[3]) Et vide quam aeque se habeat mediator iste Deus homo et homo Deus ad patrem et ad nos. Dum in forma Dei esset semetipsum exinanivit ad nostra factus homo descendit et habĭtu inventus ut homo est, qui rursum in forma nostri manens coelos repetiit hominemque assumpta mortalitate invexit, ascendens illuc in nostri generis natura ubi prius erat in divinitatis substantia. Hoc autem et ipse testificatur dicens: Si videritis filium hominis ascenden-

---

[1]) sic codex. — [2]) cod. prae. — [3]) Joan. 3. 13.

tem ubi erat prius.[1]) Item ipse [2]) humanae in se naturae apud Patrem glorificationem postulans ait: Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te.[3]) Quam utique, ut dictum est, gloriam non verbo sed carni suae i. e. assumpto homini postulabat, nam Verbum a sua claritate numquam destiterat. Dum ergo manens in suis ad nostra descendit dumque nostra in se conservans ad Patrem ducit, immo vero dum in nostris adscendit ad Patrem, qui in suis descendit ad nos, dumque ambulans et loquens in terris apud Patrem in coelis est, sicut nunc apud Patrem manens omnibus diebus usque ad consummationem saeculi etiam cum suis in terra est dicens quoque ad Patrem ego in eis et tu in me[4]) itemque Judaeis, ego principium qui et loquor vobis,[5]) quid in omnibus his nisi aequa lance se mediatorem exhibet inter Patrem et nos? Unamque se et eandem personam declarat tam in nostra quam in Patris natura nihilque se minus habere ex nostris quam ex Patris?

Cap. XLII.

De exaltatione nostrae naturae in Christo in gloriam Patris.

Et haec de mediatoris aequilibratione diximus contra illorum errorem, qui personae vocabulum ad Verbi solum divinitatem in Christo non etiam ad naturae humanae subsistentiam significandam pertinere arbitrantur, ut dum personae nomen Dei assumpti et non assumpto homini assignant, homo naturae nostrae consanguineus divinitatis forma et personalitatis subsistentia penitus exsors permaneat. Quem etiam nunc post glorificationem secundum naturae nostrae formam in gloria Patris esse diffitentur, eo quod idem homo noster in Christo vel Christus juxta eorum professionem etiam in natura divinitatis non sit. At nos, qui juxta apostoli Pauli doctrinam Christum secundum carnem factum Deo filium

---

[1]) Joan. 6. 63. — [2]) cod. ipse de humanae in se a. P. glorificationem p. — [3]) Joan. 17. 5. — [4]) Joan. 17. 23. — [5]) Joan. 8. 25.

confitemur ex semine David, cum ex nativitate divina, qua de Spiritu sancto per virginem in natura quoque divinitatis sit, sacrilegum et impium judicamus eidem post nativitatis divinae ac naturae divinae ex nativitate confessionem nunc glorificato et ad dexteram Patris exaltato divinitatis paternae gloriam abrogare. Etenim Dominus Jesus cum in divinitatis natura a paterna numquam destiterit, ut eidem formae gloriam apud Patrem repetere aut resumere possit, sed in nostra forma non solum a semetipso sed etiam paulo minus ab angelis minoratus sit, nisi violenti et sacrilegi scripturarum interpretes existimus, omnem repetitionem et resumptionem gloriae apud Patrem non divinae in Christo sed humanae formae assignabimus. Quae vero ratio esset, ut idem Dominus Jesus in altera natura passioni et contumeliae pro nobis succumberet, in altera gloriam per passionem conquisitam resumeret? Sed aequitas judicii postulat ei naturae in Christo acquiri honorem divinitatis et gloriam, quae per passionis contumeliam contrita est et injuriata est. Hoc autem, cum ratio judicii postulet, etiam magni patres sentire atque asserere non dubitaverunt. Hinc Leo papa in sermone de ascensione Domini: „Revera, inquit, magna et ineffabilis causa erat laetandi cum in conspectu sanctae multitudinis supra omnem creaturarum coelestium dignitatem humani generis natura conscenderet supergressura angelicos ordines et ultra archangelorum altitudines elevanda nec ullis sublimitatibus modum suae provectionis habitura nisi aeterni Patris recepta concessu ejus gloriae sociaretur in throno, cujus naturae copulabatur in Filio.“ [1]) Et quid mirum, si juxta Leonis assertionem homo in gloriae Dei plenitudinem receptus est, qui ex genere ac nativitatis natura verus et perfectus Deus est? Hoc enim etiam ipsum de se profitentem intellexerunt Judaei, quod intelligere nolunt quidam nostri temporis scholastici discoli. Nam cum dixisset Dominus Jesus de ovibus suis, quod nemo rapiet eas de manu ejus sicut nemo potest rapere de manu Patris ejus et ego et Pater unum sumus, [2]) sustollentibus lapides Judaeis,

---

[1]) Serm. 1 de asc. Dom. Etiam in Breviar. Rom. in festo ascens. Dom. lect. V. — [2]) Joan. 10. 30.

ut lapidarent eum ipsoque dicente: multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod horum me lapidatis illi respondentes dixerunt: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum. Ad quod ipse respondit. Nonne scriptum est in lege vestra: ego dixi dii estis? Et si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi scriptura, quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi, filius Dei sum? Si non, facio opera Patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, etsi mihi non vultis credere, operibus credite, quia ego in Patre et Pater in me est. [1]) Quid evidentius ad causam, quid lucidius ad intellectum dici potuit? De homine enim quaestio agitabatur et in blasphemiam reputabatur, quod se cum homo esset Deum faceret. Et de homine consequenter etiam ipse respondit. Cassa enim responsio fuisset, si de hominis Deum se facientis praesumptione pulsatus de Verbi divinitate ipse respondisset. Simul et homines in lege Deos dictos in testimonium vel argumentum adducit ad quos sermo Dei factus est, quod non debeat in blasphemiam reputari, quod ipse homo per Patrem in Deum sanctificatus est et cui secundum Johannis Baptistae testimonium spiritus non ad mensuram datus est, quique de coelo veniens super omnes est, recte in illo natura nostra sine mensura spiritus ditata etiam in exaltatione sua nullum suae sublimationis modum tenuit nisi aeterni Patris recepta consessu ejus gloriae sociaretur in throno cujus naturae copulabatur in Filio.

Cap. XLIII.

Firmatur haec doctrina quibusdam sententiis ex scriptis s. Hilarii depromptis.

Videamus et Hilarius Pictaviensis episcopus et Christi confessor eximius ac singularis scientiae lampas de Christi clarifica-

[1]) Joan. 10. 32—38.

tione quid sentiat et cui naturae exaltationem attribuat. Libro nono de sancta Trinitate [1]) inter multa, quae de Christo toto Deo ac toto homine contra haereticos disseruit ait in haec verba evangelii: „Nunc „honorificatus est filius hominis et Deus honorificatus est in eo. Si „Deus honorificatus est in eo et Deus honorificabit eum in sese et Deus „protinus honorificabit eum. Quid, inquit, limosi corporis gravis anima „et sordente peccatis conscientia foetidae coenosaeque mentis usque „ad judicium divinae de se professionis inflatur [2]) ut arbitros nos na„turae coelestis deputantes impiis ad Deum calumniae nostrae dispu„tationibus fallamur? [3]) Quanta potuit enim Dominus verborum sim„plicitate evangelicam fidem locutus est et in tantum ad intelligen„tiam nostram sermones aptavit in quantum naturae nostrae ferret „infirmitas, non tamen ut quicquam minus dignum naturae suae „majestate loqueretur. Et primam quidem dicti sui significati„onem non ambiguam existimo cum ait: nunc honorificatus est „filius hominis. Gloria enim omnis non verbo sed carni acquire„batur id est non nativitati Dei sed nati hominis dispensationi. „Hoc vero quod sequitur, quid significat [4]) interrogo: et Deus ho„norificatus est in eo. Honorificatum enim in eo Deum audio et „quid istud sit secundum intelligentiam tuam, haeretice, ignoro. „Deus in eo honorificatus est, in Filio utique hominis. Et quaero „an filius hominis idem sit et filius Dei. Et cum non aliud [5]) sit „filius hominis neque aliud [6]) sit filius Dei, Verbum enim caro „factum est, et cum qui filius Dei est ipse et hominis filius sit, „requiro, quis in hoc filio hominis, qui et filius Dei est, glorifi„catus est, [6]) Deus. Et quia in filio hominis, qui et filius Dei „est, glorificatus est Deus; videamus, quid sit hoc, quod tertio „subditur, si Deus glorificatus est in eo et Deus glorificabit eum „in sese. Quid istud rogo sacramenti mysterium est: Deus in „Filio hominis glorificato glorificatum Deum glorificat in sese? „In filio hominis Dei gloria est et gloria Dei [7]) gloria filii hominis?

---

[1]) ed. Basil 1550 pag. 179. — [2]) Confer. lib. contr. duas haeres. cap. 4. Pez thes. anecd. nov. Tom. I. p. II. col. 302. — [3]) Super Verbum „fallamur" in codice scriptum est „vel feramur." — Edit. graves animae inflamur, ut, disp. rebellamus. — [4]) ed. significet. — [5]) ed. alius. — [6]) ed. sit. — [7]) ed. Dei in gloria.

„Deus glorificat in sese. Homo utique non per se glorificatur „neque rursum, qui in homine glorificatur, Deus, licet gloriam „accipiat non tamen aliud ipse quam Deus est. At vero cum „glorificato filio hominis glorificans Deum [1]) glorificat in sese in„venio naturam glorificatam[2]) in gloriam naturae naturam glorifi„cantis assumi. Non enim se Deus glorificat sed glorificat[3]) Deum „in homine, Deum glorificans in sese. Quod autem glorificat in „sese, licet non se glorificet tamen in suae naturae gloriam na„turam glorificati [4]) assumit. Et cum glorificans Deum Deus, quia „glorificatus in homine sit glorificat in sese eum quem glorificavit „(Deum) [5]) in se inesse demonstrat cum eum glorificat in sese. „Affer nunc quisquis es haeretice flexuosae doctrinae tuae volu„biles [6]) quaestiones, quae cum se nodis suis illigent in nullo „tamen [7]) haerendi molestiam continebunt. Filius enim hominis „glorificatur et glorificatur in eo Deus et [8]) glorificatum eum in „homine glorificavit in sese. Non enim id ipsum est glorificari „filium hominis, quod [9]) glorificari in filio hominis Deum.[10]) Lo„quere hoc secundum impietatis tuae sensum verbis tuis quid velis „esse glorificari in filio hominis Deum. Utique aut Christum ne„cesse est esse, qui glorificatur in carne aut patrem, qui glorifi„catur in Christo. Si Christus est, Deus certe Christus est, qui „glorificatur in carne. Si Pater est, sacramentum unitatis est, cum „Pater glorificatur in Filio. Aut Christum confitendo Deum etiam „invitus loqueris; aut Patrem Deum intelligendo naturam Dei „Patris non negabis in Christo.

„Atque hoc [11]) de glorificato filio hominis et glorificato in „eodem Deo dicta sint. De eo vero quod glorificato [12]) in filio „hominis Deum Deus glorificat in sese, in quo tandem tibi relic„tam facultatem exercendae impietatis existimas, ne secundum „naturae veritatem verus Deus Christus sit, Christum enim Deus

---

[1]) ed. Deum glor. — [2]) ed. naturae gloriam. — [3]) ed glorificatum in homine Deum glorificat in sese. — [4]) ed. glorificantis. — [5]) ed. gl. in sese. — [6]) ed. inevolubiles. — [7]) ed. tamen agmine. — [8]) ed. et Deus. — [9]) ed. quod et. — [10]) ed. Deum vel glorificari in sese, glorificatum in homine Deum — [11]) ed. haec. — [12]) ed. glorificatum.

„natum hominem glorificat in sese.[1]) Reddidit enim in se Christo „gloriam, quam apud se habuit, et cum in formam [2]) Dei „assumptio formae servilis assumitur in se glorificatur, glorificatus „in homine Deus, qui ante [3]) dispensationem in sese erat et per „formam sui et per naturam nativitatis unitus. Nativitas enim „non novae neque alienae naturae Deum fecerat sed naturalis „filius patri naturali generatione substiterat. Et cum post nativi-„tatem hominis glorificatur [4]) in homine in naturae suae rursum „gloriam in se clarescit, [5]) cum Deus clarificat, cum in naturae „paternae gloriam ab ea per dispensationem evacuatus assumitur. „Concludit autem audacissimum impietatis [6]) furorem apostolica „fides ne qua licentia liberae intelligentiae evageris cum ait: Et „omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus in „gloria est Dei Patris. [7]) Quem enim in sese Pater clarifi-„cavit [8]) in ejus gloria confitendus est, et qui in Patris gloria „confitendus est, quem in se Pater glorificavit in his sine dubio „intelligendus est esse, quibus Pater est, cum et in se cum glori-„ficaverit et in gloria ejus sit confitendus. Non enim hic nunc „tantummodo in gloria Dei est sed in gloria Dei Patris est. Ne-„que glorificavit gloria exteriore sed glorificavit gloria in sese, in „eam eum, quae sua est, gloriam resumendo et in ea gloria, [9]) „quam apud eum habuit, eum et apud se glorificat et in sese."

Item in eodem libro paulo antea [10]): „Summa, inquit, di-„spensationis haec erat, ut totus nunc filius, homo scilicet et Deus, „per indulgentiam paternae voluntatis unitati paternae naturae in-„esset et qui manebat in virtute naturae, maneret quoque in genere „naturae. Id enim homini acquirebatur, ut Deus esset, sed manere „in Dei unitate assumptus [11]) nullomodo poterat, nisi per unitatem „Dei in unitatem Dei naturalis evaderet, ut per hoc quod in na-„tura [12]) erat Deus Verbum, Verbum quoque caro factum rursum

---

[1]) ed. sese; numquid extra se est quod clarificat in sese? Reddit . . — [2]) ed. forma. — [3]) ed. natifitatis disp. — [4]) ed. glorificatus. — [5]) ed. gloriam clarescit, in se eum D. cl. — [6]) ed. tuae. — [7]) Phil. 2. 11. — [8]) ed. glorificavit. — [9]) in eam gloriam. — [10]) ed. Basil 1550 pag. 178. — [11]) ed. ass. homo. — [12]) ed. nat. Dei.

„in natura Dei inesset atque ita homo Jesus Christus maneret in „gloria Dei Patris, si in Verbi gloriam caro esset unita rediretque „tunc in naturae paternae etiam secundum hominem unitatem „Verbum caro factum cum gloriam Verbi caro servata [1]) tenuisset. „Reddenda igitur apud se ipsum patri erat unitas sua, ut nativitas „naturae suae in se rursum glorificanda resideret, quia dispensati [2]) „novitas offensionem unitatis intulerat et unitas, ut perfecta antea „fuerat nulla esse nunc poterat, nisi glorificata apud se fuisset „carnis assumptio. Et idcirco tanto antea praeparato ad fidei hujus „intelligentiam sensu cum dixisset: haec est autem vita „aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem „misisti Jesum Christum, [3]) subjecit secundum dispensationis „suae obedientiam: Ego te glorificavi super terram, opus „consummavi quod dedisti mihi ut facerem. [4]) Postquam „ut merito [5]) obedientiae et sacramentum totius dispensationis in„telligeremus adjecit: et nunc glorifica me tu Pater apud „temetipsum gloria quam habebam antequam mundus „esset apud te. [6]) Qui manere Christum in natura Dei denegat „et inseparabilem esse atque indifferentem a solo Deo vero non „credit respondeat quae hujus petitionis sit ratio, Et nunc glo„rifica me tu pater apud temetipsum. Quid enim causae „est, ut eum pater clarificet apud semetipsum, aut quae verbi „hujus significatio est, quive significationis effectus est? Pater „namque non eget gloriae nec se exinanierat de forma gloriae „suae. Quomodo ergo apud semetipsum glorificaturus est filium et „ea gloria, quam habuit apud eum ante mundi constitutionem? „Sed apud eum habere qui sensus est? Non enim ait, gloriam „quam habebam antequam saeculum esset cum essem apud te, „sed gloriam quam habebam apud te. Esse enim apud te consi„stentem significat, habere autem apud te naturae sacramentum „docet. Glorifica vero apud te non idem est quod glorifica me. „Non enim semetipsum glorificari tantum, ita ut sibi aliquid sit „proprium gloriae rogat sed apud semetipsum Patrem glorificari

---

[1]) ed. caro assumpta ten. — [2]) ed. dispensationis. — [3]) Joan. 17. 3. — [4]) Joan. 17. 4. — [5]) ed. meritum. — Joan. 17 5.

„se ab eo precatur. Ut enim in unitate sua maneret, ut manserat, „glorificaturus eum apud se Pater erat, quia gloriae suae unitatem „per obedientiam dispensationis excesserat, scilicet ut in ea natura „per glorificationem rursus esset, in quo [1]) sacramento erat divinae „nativitatis unitus essetque Patri apud semetipsum glorificatus, „ut quod apud eum ante habuerat [2]) maneret neque abalienaret „ab eo formae Dei naturam, formae servilis assumptio sed apud „semetipsum glorificaret formam servi, ut maneret in [3]) forma „Dei, quia qui in Dei forma manserat idem erat in servi forma „et cum servi forma glorificanda esset in Dei forma, apud eum „ipsum glorificanda erat, in cujus forma servilis erat habitus ho- „norandus."

Cap. XLIV.

Continuantur verba s. Hilarii Gerhohi doctrinam roborantia.

Item in eodem post aliqua. [4]) „Sed forte hinc inaequalis vi- „detur Patri filius quia ei post evacuationem formae Dei donatur „hoc nomen quod est super omne nomen. Calumnia haec sacra- „mentum assumptae humilitatis ignorat. Si enim nativitas hominis „naturam novam intulit et humilitas formam demutavit sub as- „sumptione servili nunc donatio nominis formae reddit [5]) aequali- „tatem. Si enim hoc donatum quod Dei est [6]) ignobilitatem divinae „illi non invehit naturae. Denique hoc nunc quod donatur ei „nomen, et si habeat doni sacramentum non tamen habet in dono „nominis nomen alienum. Donatur enim Jesu, ut ei coelestia, „terrestria, inferna genu flectant et omnis lingua confiteatur, quo- „niam Dominus Jesus in gloria est Dei Patris. Confessionis ergo „hujus honor donatur, ut in gloria Dei Patris sit confitendus. „Audis [7]) itaque et Pater major me est, scito eum de quo ob „meritum obedientiae dictum est, et donavit ei nomen quod „est super omne nomen. [8]) Audis [9]) rursus. Ego et Pater

---

[1]) ed. qua. — [2]) ed. habebat. — [3]) deest in editione nostra. — [4]) edit. Basil 1550 pag. 187. — [5]) ed. reddidit. — [6]) ed. est, naturae hujus donum ign. — [7]) edit. Cum. audis itaque Pater. — [8]) Phil. 2. 9. — [9]) ed. audi

„unum sumus,[1]) et qui me videt videt et Patrem.[2]) Et „ego in Patre et Pater in me.[3]) Honorem donatae confessionis „intellige, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris. Quando „igitur illud est Pater major me est? Nempe tum cum donatur „ei nomen, quod est super omne nomen. At contra quando est: „ego et Pater unum sumus? Nempe cum omnis lingua con„fitetur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris. „Si igitur donantis auctoritate pater major est numquid per doni „confessionem minor filius est? Major utique donans est, sed „minor jam non est, cui unum esse donatur. Si non hoc donatur „Jesu, ut confitendus sit in gloria Dei Patris, minor Patre est, „si autem in ea gloria donatur ei esse, qua Pater est, habes et „in donantis auctoritate, quia major est et in donati confessione „quia unum sunt.

Item in eodem libro nono post aliqua.[4]) „Dicens itaque Do„minus Jesus, qui me videt videt et Patrem et verba, „quae ego loquor, non a me loquor sed Pater, qui in „me manet, ipse facit opera sua et credite mihi quoniam „ego in Patre et Pater in me est,[5]) ut et sacramentum „nativitatis et mysterium assumpti corporis manifestaret per conti„nentiam dictorum adjungens ait: Quia Pater in me est. Et „confestim, ut absoluta dicti ratio subesset, et agricolae et vitis „et palmitum subjecit exemplum, assumptionem per id corporeae „humilitatis ostendens et hinc causam eundi ad Patrem et dilec„tionis laetitiam cum ad Patrem iret docens esse oportere, quia „major pater se esset a quo scilicet esset gloriam resumpturus, „apud quem et in quo esset glorificandus non novello honore sed „pristino, neque alieno sed quem apud eum habuit. Si itaque „non in ipso glorificandus est i. e. ut sit in gloria Dei Patris „contumeliam adscribe naturae. Si vero quod ab eo glorificatur „auctoritas est, Patrem majorem in glorificandi auctoritate cognosce. „Quid dispensationem ad impietatem trahis?[6]) Quid sacramentum „nostrae salutis invadis ad mortem? Glorificaturus Filium Pater

[1]) Joan. 10. 30. — [2]) Joan. 14. 9. — [3]) Joan. 10. 38.; 14. 10. — [4]) Ibid p. 188. — [5]) Joan. 14. 9—11. — [6]) ed. rapis.

„major est, glorificatus in Patre Filius minor non est. Aut quo-„modo minor est, qui in gloria Dei Patris est? Aut numquid „Pater major non est? Major utique Pater est dum Pater est, „sed Filius dum Filius est, minor non est. Nativitas Filii Patrem „constituit majorem, minorem vero Filium esse nativitatis natura „non patitur. Major Pater est dum gloriam assumpto homini „rogatur ut reddat, Filius minor non est dum gloriam resumit „apud Patrem. Atque ita et sacramentum nativitatis et dispen-„satio corporationis impletur? Nam et Pater dum Pater est et „glorificat hunc filium hominis major est. Et Pater et Filius „unum sunt, dum ex Patre natus Filius per assumptionem terreni „corporis glorificatur in Patre."

Cap. XLV.
Commendatio dictorum Hilarii.

Quid sublimius ab homine de humanae naturae in Christo sublimatione sentiri vel dici potuit? Quid magis evangelicae et catholicae veritati consonum, eo quod hic Pater catholicus ore gratioso et lingua angelica contra haereticam pravitatem in fidei nostrae defensionem disseruit? Qui cum tanta tamque splendida ex abundanti de hominis divinitate, de carnis in divinam gloriam provectione elocutus sit; etenim contra Arianos ei specialis causa scribendi extitit Verbi quoque divinitati detrahentes, quantas nunc si adhuc viveret[1]) in carne putamus coruscationes spiritus in eo loquens fulguraret ad dissipandum eos, qui nunc judaico sensu subacti, quoniam Verbi divinitati non audent, humanae in Christo naturae teneritudini impias manus inserunt, nimirum ad subveniendum viro suo diabolo contra fortiorem Christum. Sed quid sancit lex divina de muliere ejusmodi infronita verenda viri fortioris manu impudica stringente? Abscides, ait, manum ejus nec flecteris super ea ulla misericordia.[2]) Sic enim et manus synagogae, potestas videlicet in Christianos saeviendi, abscissa est

---

[1]) cod. adviveret. — [2]) Deut. 25. 12.

fune captivitatis eadem pessima muliere in omnes gentes distracta, quae quasi infirmiora et verenda Christi tenens virile in eo divinitatis robur infirmare praesumpsit dicens: de bono opere non lapidamus te sed de blasphemia et quia tu homo cum sis facis te ipsum Deum?[1]) Item. Nos, inquiunt, legem habemus et secundum legem nostram debet mori, quoniam Filium Dei se fecit.[2]) Hos imitantes hi moderni nostro tempore haeretici non concedunt supposita humana natura i. e. homine subsistente nostrae naturae Deum posse propria locutione praedicari, sed neque Dei Filium per generationem aut Deum Patrem Verbi ejus Patrem existere unde et in gloriam Dei Patris vel in gloriam Verbi hominem illum introire posse diffitentur. At noster Hilarius, sicut in praemissis patet, talium condemnat errorem per evangelicam contestans veritatem et nativitatem Dei per virginem ex Spiritu sancto divinam et in hominis infirmitatibus demonstrans potentiam et in resurgente a mortuis atque ad coelos ascendente sublimitatem non quamlibet mediocrem vel mensuratam sed gloriam asseverans paternam, eo quod apud semetipsum Patrem clarificatus sit ea gloria quam habuit apud Patrem i. e. in aequalitate Patris antequam mundus esset.

Cap. XLVI.

De verbis Augustini non contrariis Hilario.

Et quidem Pater Augustinus exponens haec verba Domini: Et nunc clarifica me tu pater apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te[3]) hoc est sicut tunc ita et nunc; sicut tunc praedestinatione, ita nunc perfectione et cetera in hunc modum, qui sensus postulationis cuilibet electorum minimo etiam competere potest. Et sanus quidem et hic sensus est, nec sensui Hilarii contrarius, non enim paternae in Christo homine gloriae contradicit, sed praedestinatam hominis

[1]) Joan. 10. 33. — [2]) Joan. 19. 7. — [3]) Joan. 17. 5. August. in Joan. tract. 105 nro. 6 Venet. 1729 p. 762.

illius gloriam quantalibet edicit, quamvis in subsequentibus inducens verba apostoli in principio primae epistolae ad Romanos dicentis de Christo: qui praedestinatus est filius Dei in virtute,[1]) satis innuat non mediocrem aliquam vel mensuratam sed eam, quae Filii Dei in virtute propria et singularis sit in Christo homine praedestinatam se sentire ac dicere gloriam, sicut alias quoque in apostoli verba commentans non verbo sed homini nomen, quod est super omne nomen, propter humilitatem mortis et crucis datum rationabiliter asseverat. At vero quodlibet patres hi vel illi adstruant, quodlibet amplius vel minus de hominis Christi gloria praedicent aut sentiant, quidquid haeresis contra putido ore blasphemet, evangelicum et apostolicum fundamentum stabit firmum nec amittet homo Christus Jesus, quod Dei per generationem filius quodque apud semetipsum Patrem glorificatus est, quin immo et omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Igitur quicumque haereticus et lupus extra hujus confessionis unitatem est, elinguis et mutus est, quamvis putet se aliis vocem, quam ipse perdidit, abstulisse.

Cap. XLVII.

Oppositio de temporalitatis nodo in Christo.

Sed objicitur nobis temporalitatis nodus in homine, quamvis in gloriam Patris assumpto, ut ex eo quod temporalis et initialis est extra gloriam Verbi ac Patris esse necesse sit. Aut si in gloria Patris omnimoda secundum vos, inquiunt, erit, initialem quoque esse oportebit. At vero nos omnem gloriam Dei in Christo salva humanae naturae ratione praedicamus, cujus rationis et haec quaedam propria portio, ut initialis sit, alioquin si initio careret, jam non assumpta in Deum sed absumpta natura esset. Igitur oportet unum eundemque Christum Jesum ex altero Patri aequalem ex altero vero minorem salva gloria sua confiteri. Et non quidem

---

[1]) Rom. 1. 4.

sicut haeresis contendit, ut Verbum solum in gloria Patris sit, hoc vero extra paternae gloriae unitatem, sed idem homo et naturae propriae ratione, quae ipsi cum matre ac nobiscum una est communis, Patre ac se ipso minor est idemque ipse nativitatis privilegio et personae proprietatem atque assumptionis et glorificationis sacramento non Patre minor sed aequalis est. Unde et Athanasio praecentore usque hodie canit ecclesia: Aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem. Secundum humanitatem, inquit, minor i. e. secundum humanae naturae rationem, quae ipsi una nobiscum communis est, quamvis eadem in persona divinae generationis privilegio omnem non solum hominum sed angelorum sublimitatem excellat, utpote quae in generis Dei ac nostri vera subsistentia tertia in Trinitate persona est. Fuerit quidem eadem generis Dei nostri persona Christus aliquando, tempore videlicet suae mortalitatis, minor siquidem et paulo ab angelis minoratus est, ipsius nimirum mortalitatis ratione propter quod scriptum est: Minuisti eum paulominus ab angelis,[1]) unde et ait discipulis suis: si diligeretis me gauderetis utique. quia ad Patrem vado, quia Pater major me est.[2]) At vero post passionem suam sicut ait Leo Magnus ruptis mortis vinculis, quae vim suam in eum, qui peccati erat nescius in caedendo perdiderat, infirmitas in virtutem, mortalitas in aeternitatem, contumelia transivit in gloriam, jam non Patre minor sed aequalis est. Etenim etsi Pater donantis auctoritate major est, filius doni confessione minor non est, ipso nimirum confitente, quoniam data est ei omnis potestas in coelo et in terra; itemque apostolo protestante quia datum est ei nomen, quod est super omne nomen [3]), ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum omnique lingua confitente quoniam Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

---

[1]) Ps. 8. 6. — [2]) Joan. 14. 28. — [3]) Phil. 2. 10.

Cap. XLVIII.

Qualiter verba s. Hilarii sibi non compugnant.

Nec vero compugnant sibi dicta Hilarii de Christo, ut dum Pater donantis auctoritate major est, filius doni confessione minor non sit, sed aequalis majori sit, non inquam se dicta haec impugnant, quamvis in facie pugna quaedam verborum appareat. Tale quid enim etiam de genitura Verbi, ut in praemissis patet, idem Hilarius dicere non dubitat. Pater, inquit, dum Pater major est, si Filius, dum filius est, minor non est. Nativitas filii Patrem constituit majorem, minorem vero filium esse nativitatis natura non patitur. Ecce dictorum, quae videbatur, compugnantia qualiter sublata est, dum et Pater generantis auctoritate major est et filius paternae naturae consortio non Patre minor sed aequalis est. Esset autem compugnantia, si ejusdem relationis consideratione Pater major et Filius non minor sed aequalis majori diceretur. Et hoc, ut dictum est, de genitura quoque Verbi sentiendum. Similiter autem et de Christo homine Deo catholice dicitur, quod idem homo Christus Jesus et secundum humanitatem Patre ac se ipso Deo minor est idemque ipse secundum ejusdem humanitatis personalem cum Verbo unitatem et ad dexteram Patris exaltationem, non jam minor Patre aut se ipso Deo, sed aequalis est. Et sic utrumque stabit videlicet et quod secundum Athanasium canit ecclesia: aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem et quod secundum evangelicam et apostolicam assertionem Hilarii idem homo Christus Jesus non jam Patre minor, sed apud semetipsum Patrem glorificatus in gloria Patris est. Nec praejudicat aequalitati personae humanae naturae ad divinam collatae inaequalitas. Etenim etsi humanitas divinitati collata plane minor est, is tamen homo, qui Dei filius in virtute ac Deus verus est, Deo vero minor non est. Aut si tu quicumque haeretice negaveris Deum verum in carne venisse nec corporaliter habitasse id est nec in viso ipso Deum visum nec in loquente locutum nec in audito auditum nec in operante operatum

plane Judaeus mihi et antichristus ac Photinianus sive Nestorianus haereticus eris. Nec tamen corporalibus oculis videri posse Deum arbitramur, sed is videt in Christo Deum, qui Patre revelante fide cognovit Jesum verum esse Deum ac Dei filium, qui opera, quae fecit, divinitatis opera in homine Deo divina operante esse non dubitat, qui passiones, quas pertulit, ex potestate et voluntate eum pertulisse nostrasque per haec plagas curasse didicit, qui morte ipsius pretiosa tamquam vere morte non solum hominis sed et Dei mortem nostram destructam, tartara diruta, potestates aëreas captivatas et animarum sanctarum traducta ad vitam spolia non nescit quique resurrectione ipsius vitam nobis reparatam esse certus factus est, qui sedentem ad dexteram i. e. in aequalitate patris aeternae praesulem confitetur vitae, is, inquam, oculis et manibus fidei videt et tangit Jesum verum hominem et Deum in aeternitate et immortalitate divina Patri conregnantem.

Cap. XLIX.

Sacramentum personalis unitatis inter Verbum et carnem Christi esse aeternum.

Non igitur praejudicat aeternitati personae naturae nostrae tempore certo in Verbo initiata substantia. Etenim etsi natura carnis nostrae in Christo temporalis est, persona generis nostri Christus non temporalis sed aeternus est. Alioquin recentem Deum Christum colere prohibemur. Quamvis enim quod aeternum est aeternum et initiale initiale permansit, aeternus tamen temporalis et temporalis aeternus factus est. Simul et sciendum, quod etsi natura carnis nostrae in Christo temporalis est, sacramentum tamen personalis unionis inter Verbum Verbique carnem non recens sed antiquum et aeternum est. Hinc Hieronymus in sermone de assumptione b. Mariae [1]: „Constat, inquit, tempus „non praejudicasse sacramentum unitati homini et Dei, ita ut jam „esset in illo per unitatem personae ab initio saeculi, qui necdum [2])

[1]) edit. Francofort. 1684. tom. IV. pag. 50. — [2]) ed. nondum.

„erat natus de Maria virgine. Quod multis sanctarum scripturarum „declaratur indiciis. Unde Dominus ad Judaeos; Antequam „fieret Abraham ego sum, [1]) nam Abraham antequam „fieret humanitatis est brevitas. Quibus itaque verbis ostendit se, „qui loquebatur, in eo semper fuisse mysterio unitatis, quam ut „commendaret ante Abraham ait; ego sum. Ego sum autem „aeternitas naturae declaratur. In qua nimirum aeternitate jam se „fuisse, qui loquebatur, per sacramentum suae incarnationis in-„sinuat. Quod apostolus Judas elucidare volens apertius Jesus, „inquit, populum ex Aegypto salvans, secundo eos qui „non crediderunt perdidit.[2]) Et alibi Paulus: Neque „tentemus Christum sicut quidam tentaverunt,[3]) non „quod jam esset Jesus aut Christus natus ex Maria virgine sed „quia in illo unico filio Dei jam unitas personae commendatur, „quae occulta erat in mysterio. Quod et alibi evidenter: qui „elegit nos, inquit, ante mundi constitutionem in ipso,[4]) „quia profecto quidquid Deus fecit ab initio Christus fecit totum „per unitatem sacramenti et ideo Jesus jam erat in Filio, qui „educebat populum et Christus in eo, qui tentabatur in eo, quo-„niam semper per sacramenti unitatem in Deo fuisse non dubi-„tatur. Alioquin nisi ita credideris aut Christus Deus non erit „omnino aut contra prophetam Deus recens esse videbitur. Sed „ne talibus quatiamur calumniis scrutandae scripturae in quibus „unitas in Christo commendatur personae, quae non praejudicat „tempus ne unus semper dicatur. Hinc quoque b. Petrus loquens „de patribus ait: Per gratiam Domini nostri Jesu Christi „credimus salvari quemadmodum et illi.[5]) Namque illos „Dominus solus dicebat et non erat cum eo Deus alienus. Unde „nec nobiscum Deus recens, quia unus idemque est, qui et eorum „ductor fuit et noster per passionem carnis redemptor. Unus si-„quidem sua in carne, unus in sacramento atque unus in spiritu „nec admittit omnino, ut alius filius hominis, alius filius Dei in-„telligatur, qui nec tempore praescribitur nec passione separatur,

---

[1]) Joan, 8. 58. — [2]) Jud. 5. — [3]) I. Cor. 10. 9. — [4]) Eph. 1. 4. — [5]) act. 15. 11.

„sed totus Deus in Christum et Christus in Deum transivit, ut „quidquid Dei filius est Christus dicatur et quidquid in carne „Christus pertulit id Deus pertulisse recte credatur.“

Haec de sacramenti personalis inter Verbum et carnem suam unitate, quod non temporalis, sed aeterna sit magis placuit ex dictis Hieronymi nostris inserere, quam ut nostris eadem assereremus. Sed et de naturae nostrae veritate in Christo sentiendum est, quod etsi initialis facta non est, quod utique esset naturae abolitio non provectio, in eam tamen immortalitatem resurrectione et ascensione provecta est, quae solius Dei est propria et de qua dicit apostolus: Soli immortali et invisibili Deo.[1]) Unde Hilarius — libro nono de sancta Trinitate[2]) — exponens illud apostoli: „Quod enim mortuus est peccato „mortuus est semel, quod autem vivit vivit Deo sed „et vos deputate vos mortuos esse peccato, viventes „autem Dei[3]) mortem, inquit, peccato i. e. corpori nostro ad„scribit, vitam autem Deo, cui est naturale quod vivit. Et per id „nos corpori nostro mori oportere, ut Deo vivamus in Christo „Jesu, qui peccati nostri corpus assumens totus jam Deo vivit, „naturae nostrae societate in communionem divinae immortalitatis „unita.“ In his verbis Hilarii discimus, hoc esse Christum in nostrae naturae societate vivere Deo, quomodo si diceretur, vivere dealiter, vivere immortaliter, ea videlicet immortalitate, quae solius Dei propria est. Alioquin hac immortalitate carens Deus verus Christus non esset, utpote qui extra unius et solius veri Dei proprietatem esset. Hac sane immortalitate neque tunc caruit cum mortalis nobiscum in terris ambulavit. Nam etsi voluntate propria pati ac mori potuit generationis tamen divinae jure ac potestate simul et personae cum Verbo unitate divinam immortalitatem et impassibilitatem possedit. Vera autem impassibilitas et immortalitas atque in summo bono incommutabilitas, quid aliud quam vera aeternitas est? Hoc autem b. Augustinus affirmat capitulo 54 de Trinitate. „Vera, inquit, immortalitas, vera incorruptibilitas, „vera incommutabilitas ipsa est aeternitas.“ Audiarus vero de his

[1]) I. Tim. 1. 17. — [2]) ed. Basil. pag. 165. — [3]) Rom. 6. 10. 11.

Hilarium, cujus in Mathaeum [1]) scribentis verba haec sunt. „Est „ergo filius Dei ex Deo Deus unus in utroque. Θεόθητα enim, „quam deitatem latine nuncupant, aeterni ejus parentis ex quo „nascendo est profectus accepit. Accepit autem hoc quod erat et „natum est Verbum hoc quod semper fuit in Patre. Atque ita „Filius et aeternitas [2]) et natus est, quia non aliud in eo natum „est, quam quod aeternum est. Hunc igitur [3]) corpus et hominem „factum esse perfecta confessio. Quia sicut aeternitas naturae no„strae corpus accepit, ita cognoscendum est, naturam corporis „nostri aeternitatis assumere posse virtutem." Item Leo in sermone de ascensione Domini: „Post passionem, inquit, ruptis mortis „vinculis, quae vim suam in eum, qui peccati erat nescius, incedendo „perdiderat, infirmitas in virtutem, mortalitas in aeternitatem, „contumelia transivit in gloriam."

Cap. L.

Supra humanum intellectum esse hominem assumptum in aeternitatem divinam esse.

His aliisque patrum fulti testimoniis divinam in homine Christo confitemur aeternitatem. Quis enim divinam aeternitatem illi neget homini, dum et personalis sacramenti cum Verbo unitate ininitialis est et generationis divinae etiam secundum carnem privilegio veram possidet immortalitatem, qua quidem aliquando actu, numquam vero caruit potestate? Unde ait: Potestatem habeo ponendi animam meam et potestatem habeo iterum sumendi eam.[4]) Hoc enim solus ipse vere dicere potuit, qui solus inter mortuos a mortalitate liber fuit.

Sed quis hoc intellectus capit, in divina immortalitate naturam nostram in Christo esse et tamen in suae ratione proprietate subsistere? Quis vero negare audeat, qui Christum verum esse Deum non dubitat? Quis autem Christum Dei virtutem et

[1]) in Math. cap. XVI. ed. Basil. 1550 p. 388. — [2]) ed. aeternus. — [3]) ed. assumpsisse. — [4]) Joan. 10. 18.

Dei sapientiam totum sicut est intellectus comprehendat? Qui si humano vel angelico intellectu circumscribi posset profecto Deus immensus et incircumscriptus non esset. Nunc vero volans volat super pennas ventorum nullusque intellectus capit, quae Dei sunt, nisi spiritus Dei. Nemo etiam novit filium nisi Pater et nemo novit Patrem nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.[1]) Quis nempe intellectus capiat, quomodo, ut ait b. Gregorius, corporatur verbum, quomodo summus et vivificator spiritus intra uterum virginis animatur, qualiter, qui est et qui erat, fit, cum tamen fides de his dubitare non sinatur. Cum ergo de his dubitare fas non sit, quamvis ratio capere non valeat, quomodo sit id saltem intellectus noster divino munere capit, quoniam aequi redditio postulat, ut quomodo aeternus sub tempore factus est similis nobis passibilis: ita quoque temporalis homo noster in Christo, qui et Christus per resurrectionem aeternus effectus sit similis Patri impassibilis, incircumscriptus et immensus.

Cap. LI.

Corpus Domini simul in multis locis esse.

Hinc enim est quod corpus ejus verum in mille simul tractatur altaribus, si fides christiana inanis non est, quod vel opinari sacrilegum est. Quis vero et hoc intellectus capiat, unum esse verum Christi corpus visibile ac palpabile licet in alia effigie, sicut in via quoque duobus ambulantibus in alia effigie apparuit et in fractione panis agnitus est, nimirum viaticum ipse nobis futurus et in fractione veri hujus panis suis agnoscendus, qui siquam[2]) hoc intellectus capiat verum et solidum atque unum esse Christi corpus idemque ipsum loco circumscribi non posse, eo quod in multis simul locis sit et in multis simul altaribus a fidelibus sumatur? Aut quis neget uno eodemque momento Dominum Jesum in proprio corpore in mille millibus locis simul posse ap-

---

[1]) Math. 11. 27. — [2]) sic codex.

parere in quacumque sibi competente voluerit effigie? Et unde hoc, nisi quia idem corpus spirituale omnem angustiam locorum et temporum supergressum est, ut sint ei mille anni sicut dies unus et quantalibet spatia locorum in nihilum reputentur ei? Nec enim corporaliter uno quamlibet pulchro vel optabili loco Christus includi aestimandus est, qui prout vult ubique est.

Hoc autem et beatus Ambrosius[1]) dicere non dubitavit, cujus in Lucam verba sunt: „Consummaturus praecepta Dominus „etiam per viam passionis[2]) fidem ac misericordiam sine fine con-„cludit. Fidem in eo, ut Christum et Dominum[3]) Deum nostrum et „ad dexteram Dei sedere credamus, non quo[4]) corporaliter sedeat, „qui ubique est. Denique ipse in Patre, [5]) quia in substantia Dei, „quia una, una virtus, una majestas. Ipse ergo in Patre et in „ipso Pater quia Deus in Verbo est et Verbum in Deo est. In „Patre ipse ad dexteram sedens Patris, quia Patris consors,[6]) nulli „secundus. Ipse missus a Patre, quia[7]) descendit de coelo Patris[8]) im-„pleturus arbitrium. Tolle hinc perfidiae quaestiones et plena religio „est. Nec praefertur, quia ad dexteram sedet et[9]) nec injuriam pa-„titur, quia mittitur. Gradus non quaeritur dignitatis, ubi pleni-„tudo est divinitatis.“ — Haec Ambrosius de corporalis sessionis improbatione in Domino Jesu.

Augustinus[10]) vero in tractatu super Joannem magis ad sensum vulgi videtur accedere, quamvis et ipse de re tam obstrusa non, ut quibusdam videtur, sententiam de corporali sessione Domini Jesu praecipitet, sed pro sua consuetudine satis temperate loquatur: „Nos, inquit, sic audiamus evangelium quasi prae-„sentem Dominum. Nec dicamus, o illos[11]) felices, qui eum videre „meruerunt,[12]) quia multum[13]) in eis, qui viderunt et occiderunt, multi „autem in qui nobis non viderunt et crediderunt. Quod enim preti-„osum sonabat de ore Domini et propter nos scriptum est et nobis

---

[1]) S. Ambros. Com. in Luc. lib. X. in cap. 20. tom. III. pag. 200. Ed. Paris. 1603. — [2]) ed. passioni. — [3]) ed. et Deum. — [4]) ed. quod. — [5]) edit. est. — [6]) Ipse in Patre, quia Verbum ipse ad dexteram Patris, quia Patri consors. — [7]) ed. qui. — [8]) paternum. — [9]) deest in Ed. — [10]) S. Aug. Tract. XXX in Joan. c. VII. Tom. III. part. II. pag. 516. (Ed. Venet. 1729). — [11]) ed. o illi. — [12]) ed. potuerunt. — [13]) ed. multi.

„servatum et propter nos recitatum et recitabitur et[1]) propter po„steros nostros et donec saeculum finiatur. Sursum est Dominus „sed etiam hic est veritas Dominus. Corpus enim Domini in quo „resurrexit uno loco esse potest, veritas ejus ubique diffusa est. „Dominum ergo, inquit, audiamus et quod ipse donaverit de verbis „ejus et nos dicamus." — Haec dicente patre Augustino verba ejus quidam sic rapiunt atque in usum sui erroris trahunt, quasi ab eo dictum sit et constanter affirmatum corpus Domini, in quo resurrexit sursum in aliquo coeli loco esse aëre vel aethere ambientem inclusum, ut in ejusdem sui corporis veritate ecclesiae suae in terris degenti ac sacerdotibus ejus sacrificantibus aliisque se invocantibus praesentialiter simul in diversis locis adesse non possit. Sed aliud est, quod ait pater Augustinus, corpus videlicet dominicum uno loco esse posse vel esse, quod nos quoque non contradicimus. Hoc enim et de Domino ante incarnationem Verbi, a quo dictum est: vere Dominus est in loco isto,[2]) atque aliud, quod isti humana opinione atque animali sensu de Christo suspicantur cum videlicet celso tribunali stipatum coelesti materialiter exercitu in aliqua coeli plaga corporaliter residere, unde suam Romam vel Hierosolymam obliquo vel recto sidere, sed beatus Ambrosius eum non corporaliter sedere adstruit, eo quod ubique sit, quemadmodum in verbis[3]) ejus, quae paulo ante inseruimus, palam est. Quod si beatus Augustinus ad Dardanum[4]) scribens tale quid dixisse invenitur, Christi videlicet corpus uno tantum loco esse in coelo, lac potius parvulis, quam solidum cibum perfectis dedisse.[5])

Hieronymus quoque, et ipse non contemnendae auctoritatis pater, sensum illum corporalis vel localis inclusionis sanctorum in Vigilantio irridet, quanto minus in Domino Jesu ab ullo sapientum admittendus est, quem eundem agnum non uno aliquo loco inclusum idem Hieronymus sed ubique esse testatur. Alloquens namque eundem Vigilantium, quem et Dormitantii nomine irridet, ait inter cetera.[6]) „Lege evangelium: Deus Abraham,

---

[1]) ed. etiam. — [2]) gen. 28. 16. — [3]) cod. verbum. — [4]) Epist. ad Dard. CLXXVII c. 10. tom. II. p. 681. — [5]) deest: videtur. — [6]) S. Hieron. opp. Ed. Francofort. 1684. tom. p. 84.

„Deus Isaac, Deus Jacob non est Deus mortuorum „sed vivorum.[1]) Si ergo vivunt, honesto juxta te carcere non „claudantur.[2]) Ais enim, vel in sinu Abrahae vel in locum[3]) refri-„gerii vel subter aram Dei animas apostolorum et martyrum con-„sedisse nec posse suis tumulis, et ubi voluerint, adesse praesentes. „Senatoriae videlicet dignitatis sunt, ut non inter homicidas teter-„rimo carcere, sed in libera honestaque custodia in fortunatorum „insulis et in campis elisiis recludantur.[4]) Tu Deo leges ponis, tu „apostolis vincula injicis,[5]) ut usque ad diem judicii teneantur cu-„stodia nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est: Se-„quuntur agnum quocumque vadit,[6]) Si agnus ubique, ergo „et hi, qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt. Et cum „diabolus et daemones toto orbe vagentur[7]) et celeritate nimia ubi-„que praesentes sunt,[8]) martyres post effusionem sanguinis sui „operientur ara [9]) inclusi et inde exire non poterunt?“

Item Ambrosius[10]) in Lucam de verbis angeli dicentis de Domino Jesu: Hic erit magnus. „Bene, inquit, magnus. Late enim „funditur Dei virtus, late coelestis substantiae magnitudo porrigitur. „Nihil praescriptum, nihil circumscriptum nihil dimensum Trinitas „habet. Non loco clauditur, non opinione comprehenditur, non aestima-„tione concluditur, non aetate variatur. Dedit quidem Dominus Jesus „hominibus magnitudinem. In omnem [11]) terram exivit sonus eorum „et in finis orbis terrae verba eorum: non in fines tamen mundi, non „in fines coeli, non ultra coelos. At vero in Domino Jesu omnia con-„dita sunt in coelis et in terra, visibilia et invisibilia et ipse est „ante omnes et omnia in ipso constant. Coelum aspice, Jesus illic „est; terram intuere, Jesus adest. Ascende verbo in coelum, des-„cende verbo in infernum Jesus adest. Etenim si ascenderis in „coelum, Jesus illic adest, si descenderis in infernum adest. Hodie „cum loquor mecum est, intra hoc [12]) punctum intra hoc momen-„tum, et si in Armenia nunc loquatur Christianus,[13]) Jesus adest.

[1]) Math. 22. 32. — [2]) ed. clauduntur. — [3]) ed. loco. — [4]) ed. recluduntur. — [5]) ed pones, injicies. — [6]) apoc. 14. 4. — [7]) ed. toto vagentur in orbe. — [8]) ed. sint. — [9]) edit. area. — [10]) S. Ambr. Com. in Luc. lib. I. tom. III. p. 20. Ed. Paris. 1603. — [11]) ed. enim. — [12]) cod. hunc. — [13]) ed. christianis.

„Nemo enim dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto. Abyssos „opinione si penetres, illic quoque Jesum videbis operari.[1]) Scriptum „est enim: Ne dixeris in corde tuo: quis ascendit in coe„lum i. e. Christum deducere aut quis descendet in „abyssum hoc est Christum ex mortuis[2]) reducere. Ubi „ergo non est, qui coelestia, terrestria, inferna complevit? Bene „ergo magnus, cujus virtus mundum replevit, qui ubique est et erit „semper quia regni ejus non erit finis.“ Haec patres magni dum de magnitudine Jesu infinita et interminabili atque inaestimabili diffiniunt, nos ejus magnitudini leges ponere vetant ejusque corpus glorificatum nostrorum terrenorum videlicet usu corporum localibus angustiis quasi carcerali custodiae includere humanae aestimationis opinione prohibent. Etenim si luci inaccessabili, quam habitat Pater, quae non aliud a Patre est, Deique sapientiae ubique propter suam munditiam attingenti nihil absconditum, nihil remotum, nihil clausum, nihil inaccessum, quomodo homini Jesu in eandem lucem plene per gratiam simul et nativitatis divinae divinam etiam secundum hominum naturam, insuper et ob meritum obedientiae assumpto quicquam inaccessum vel clausum arbitrabimur, quominus possit in omni loco dominationis suae in proprio corpore, prout saluti eorum, pro quibus idem assumptum est corpus, apparere?

Si unus quispiam Christi servus, Benedictum loquor, adhuc in carne degens eatenus ad lucem illam veram admissus est, ut ei totus mundus appareret quasi in brevi sphaera collectus, in qua etiam luce vel sphaera Germani, Capuani episcopi, animam eadem hora de carne migrantis vidit coelos conscendere, de qua visione beatus Gregorius ad Petrum ait, quoniam animae videnti Deum angusta sit omnis creatura, quo significavit magis animam theorici illius in visione dilatatem, quam mundum fuisse breviatum, quanto magis homini Christo non mensurate, sed plene atque perfecte potentias ejusdem lucis ingresso eidemque luci coessentialiter et conformaliter unito animaeque illius ejusdem lucis spiritualibus spatiis in immensum dilatatae omnis

---

[1]) ed. deest. operari. — [2]) Rom. 10. 6.

creatura brevis et coram se posita est, quatenus et ipse mundum pugillo contineat, potestate regat, virtute tueatur, pietate reformet, gratiae perpetuitate conservet?

Cap. LII.

De alto, lato, longo et profundo divinitatis.

Neque vero in Patre Deo vel molem giganteae vel supra giganteae magnitudinis aut corporalium spatiorum infinitam diffusionem praedicamus sed ejus longitudo infinitas aeternitatis, latum amplitudo charitatis, qua omnia diligit, quae fecit, altitudo potestatis Domini . . . um est, qua omnibus praeeminet, profundum sapientiae impenetrabile secretum est. Cujus ubique esse est virtute potentiae praesentiaque majestatis nusquam deesse, omnemque ei creaturam praesentialiter subesse et adesse. Cui utique creatura nisi ubique praesenti praesens adesse non posset. Etenim praesens ad praesentem, sicut similis ad similem refertur.

Cap. LIII.

De praesentia Christi ubique.

Praesens autem creaturae suae ubique magis omni rational seque diligenti adest Deus non quidem locali positione vel situ, quae in Deum non cadit, sed virtute majestatis ubique praesentialiter operantis et quaecumque voluerit in omnibus et de omnibus facientis, sicut anima quoque suo adest et inest corpori, non quidem locali positione dimensa vel inclusa, alioquin extra corpus videndo vel amando operari non posset, sed virtute operationis manens et agens in corpore, quae ipsius propria sunt, nec major in toto corpore quam in exigua parte corporis est. Ita ergo et in Christo et in ejus corpore incorporalem magnitudinem, non localem diffusionem quasi ventis aërique subtilius effectum late vel ubiquei diffusum sit, sed spiritualem magnitudinem et omnem divinae vir-

tutis efficaciam praedicamus, ita ut ei tempora et loca aeternitatis amplitudine ac lucis divinae inaestimabili unione supergresso nec longe posita remota sint, nec solida clausa nec tenebrosa obscura. Unde et ubicunque fuerit cadaver, sancti videlicet cujuslibet de hac vita excessus, aquila haec mirae velocitatis statim adest suosque ad se colligit, in quotquot locis simul sancti et fideles obierint. Sed et manibus sacerdotum simul in mille locis sacrificantium se agnus iste indivisus et unus praesentat et communicantium ora et corda multorum simul milium indivisus ingreditur, eo quod spatia locorum sacrificantes et communicantes dividentia in nihilum apud ipsum deputentur, immo vero ipse in diversis dividatur. Nec vero comestus absumitur, eo quod aeternus et incorruptibilis est, Jesus Christus enim heri et hodie ipse et in saecula [1]) sed magis se comedentes aeternos efficit quemadmodum ait: et qui manducat me ipse vivit propter me. [2])

Cap. LIV.
De magnitudine Christi.

Ita nimirum granum sinapis minutum Dominus Jesus in horto ecclesiae missum jam crevit et factum est arbor, ita ut volucres quoque coeli veniant et requiescant in ramis ejus. Ramos hujus arboris perfectos ejus sanctos et electos dixerim ei tamquam viti palmites cohaerentes et ex ipso vite vitam trahentes, in quibus bene et secundum Christum se agentibus sancti angeli utpote in hujus spatiosae arboris ramis requiescunt. Hic est ille lapis de monte, de stirpe videlicet patriarcharum, sine manibus complectentium abscissus, qui aliquando parvulus, utpote paulo minus ab angelis tempore mortalitatis minoratus, resurrectionis et ascensionis glorificatione crevit, ita ut gloria ejus totus mundus plenus sit, quemadmodum scriptum est: Exaltare super coelos Deus et super omnem terram gloria tua.[3])

---

[1]) Hebr. 13. 8. — [2]) Joan. 6. 58. — [3]) Ps. 56. 6. 12.

Cap. LV.

Omnia fere, quae de Christo loquitur Evangelium, quaestionibus obnoxia esse.

Et non quidem mirum de Domino Jesu nunc venire in dubium, utrumnam secundum corpus loca et tempora supergressus sit nec ne. Etenim omnia fere, quae circa eum vel per eum gesta sunt, quaestionibus agitata sunt et in contradictionem posita, quemadmodum scriptum est: Ecce positus est in ruinam et in resurrectionem et in signum cui contradicetur.[1]) v. gr. Virgo parit, et sunt qui contradicant: Si virgo peperit, inquiunt, phantasma fuit, aut si verum corpus peperit, virgo non mansit. Item super fluctus maris ambulat Jesus et videntes quoque ipsi turbantur et contradicunt in eo veritati hominis discipuli dicentes: quia phantasma est.[2]) Item cetera multa divina agit et loquitur, propter quae a Manichaeis phantasticum et non verum corpus gessisse in terris arbitratus est. Alii vero de contra maximeque Judaei de infirmitatibus et operationibus humanis verum probant hominem, divinitati ejus contradicunt: de bono, inquiunt, opere non lapidamus te sed de blasphemia et quia tu, homo cum, sis facis te ipsum Deum.[3]) Nec mirum etenim ipsi quoque discipuli unanimes cohaerentes ei visa in eo mortis moestitudine et injuria usque ad mortem fere animarum suarum turbati ac de divinitatis ejus omnipotentia dubitantes dixerunt: Nos autem sperabamus quoniam ipse erat redempturus Israel.[4]) Item resurgens a mortuis clausis ad discipulos januis et veritas corporis in eo ipsis quoque discipulis venit in dubium turbatis et existimantibus se spiritum vidère. At ille dubitationem istam submovens: Palpate, inquit, et videte quia spiritus carnem et ossa non habet.[5]) Ita ergo et nunc dum in multis simul locis longeque ab alterutrum distantibus in uno et vero suo corpore esse asseritur a fidelibus Dominus

---

[1]) Luc. 2. 34. — [2]) Math. 14. 26. — [3]) Joan. 10. 33. — [4]) Luc. 24. 21. — [5]) Luo 24. 39.

Jesus veritati corporis ejus a pusillae fidei hominibus derogari arbitrabatur quasi illud a propria natura destitisse et in assumentem divinitatis naturam dicatur transisse. Sed audiant apostolum dicentem, quoniam alia coelestium et alia terrestrium corporum gloria[1]) est. Item seminatur corpus animale, surget corpus spirituale, seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur in ignobilitate surget in gloria.[2]) Dum ergo, ut interim de dominici corporis gloria singulari taceamus, alia coelestium atque alia terrestrium corporum gloria sit, ut spiritualibus spiritualia comparentur, de spiritualium et coelestium corporum locis non carnalia vel terrena sed coelestia et spiritualia aestimanda sunt.

Cap. LVI.

Descriptio corporum localium seu terrenorum.

De quorum corporum locis, quoniam ipsa terrena sunt terrena quoque licet aestimare. Sic etenim ante nos de locis terrenorum corporum vel corporibus locorum mundanae philosophiae sensu aestimatum est. Localia, inquiunt, seu terrena corpora sunt, quae sua interpositione distantiam corporum faciunt. Item locus, inquiunt, corporis est incorporea capacitas extremitates corporis ambiens. Et prior quidem corporum descriptio est, sequens vero locorum corporum. Et bene dicitur corpus esse, quod sua interpositione distantiam corporum facit, quomodo sagitta missa atque aërem dissecans sua interpositione aërem sibi locum efficit, sicut aliud quoque quodlibet corpus, ut suum locum teneat, corpora se contingentia ab invicem separat, quae quidem distantia pro quantitate corporis interpositi vel major vel minor est, nisi de quantitativo agatur corpore quod ipsum, sicut incorporeum est, ita quoque extremitas ejus incorporea non dubitatur. Ceterum vera corpora sensibus quinque subjecta sicut ipsa solida et vera sunt corpora, ita quoque extremitates se ambientes corporeas habent. Etenim omne corpus aliis extremitates suas ambientibus finitur. Sive enim aër,

---

[1]) I. Cor. 15. 40. — [2]) I. Cor. 15. 43.

sive aqua, sive terra in sinu suo lapidem ambiat, numquid illa corpora non sunt? Aut vero si in coelo aether tenuissimus solem ambiat numquid et idem aether corpus non est? Aut quid inter aërem vel aetherem corpora ambientem interest medium, quod vel de aëris vel de corporis inclusi corpore non sit? Siquidem et ipsa superficies corporis terreni jam de corpore est. Terrenum autem corpus etiam solem dico, quoniam et ipse sensibus subjectus est corporis. Itaque nihil invenio incorporeum quod corpora ambiens locus eorum recte dici videatur. Si vero dicatur locus incorporea esse capacitas corporis et intelligatur spatium in longo, lato et alto dimensum mensuras corporis intra se positi plene continens nec excedens, quod cum corpore se non excedente nec a se excesso plenum est, ipsum tamen corpus non est, siquidem sub praedicamento est quantitatis. Haec loci propria descriptio mihi videtur.

Cap. LVII.

Spiritualia corpora sua interpositione distantiam corporum non facere.

Sed omnes ejusmodi descriptiones rerum localium vel locorum de terra sunt et de terrenis locis et corporibus loquuntur nec ullatenus vel spirituale corpus vel spiritualis corporis locum comprehendunt vel attingunt. Quid enim? Numquid spirituale corpus angeli vel hominis sua interpositione distantiam corporum facit cum ne id ignis quidem inanimata ac terrena substantia faciat, qui utique soliditatem lapidis et ferri integram et indiscissam penetrat? Unde et graeco nomine πῦρ a penetrando dicitur eo quod omnia penetrat. Sed et angeli ignea habere corpora perhibentur cum rationali spiritu, unde illud psalmigraphi: Qui facit angelos suos spiritus et ministros suos ignem urentem.[1]) Unde et ipsi solida et integra penetrare pro suae naturae subtilitate potentes sunt. Quis vero dubitet nostrorum crassitu-

---

[1]) Ps. 103. 4.

dinem corporum posse redigi, cum physica doceat terram in aquam, aquam in aërem atque ipsum ignis puritatem posse attenuari? Quod ita fieri usu cottidiano palam est. Etenim si lignum quod utique terrenae naturae est in ignem miseris primo crassa et humida illa materies in fumum, qui aquaticae simul et aëreae naturae est, convertitur, fumusque ipse purior effectus tandem in ignem et flammam mutatur, qua lambiente totum lignum ignis fit, ita ut terrenae materiae vix ibi modicus cinis residuus sit. At vero ignis crassitudinem nostri terreni corporis in resurrectione consumens et in se transferens non materialis sed divinus est, etenim Deus noster ignis consumens est ita[1]) fortis et validus, ut sibi adhaerentes unum spiritum secum efficiat atque in angelorum similitudinem translatos etiam Deos perficiat. Ego dixi dii estis et filii excelsi omnes[2]) ita gratia plenus et suavitate ut naturam refovens eique obumbrans ejus veritatem conservet.

Cap. LVIII.

De potentia spirituum et spiritualium corporum.

Sed quamvis dixerim atque ante nos dictum sit angelorum vel hominum spiritualia corpora esse ignea, non tamen aestimari licet angelos vel homines in resurrectione factos similes angelis cum quoquam intrare volunt ignis vel sudoris modo per poros solidis illabi vaporaliter corporibus, quin potius solida nostra eis nulla sunt, sicut spatia quoque aëris vel terrarum aut marium eis in nihilum reputantur. Unde et mox invocati invocantibus praesto sunt. Quod ita esse etiam in malis angelis manifestum pluribus inditiis est. Quanto magis sancti angeli et homines nullum jam corporeae molis impedimentum habentes ipsaque luce, quae Deus est, immediate fruentes ejusdem participatione lucis ubique praesentis etiam ipsi ubi volunt mox praesentes aderunt. Etenim quod in malis angelis solius naturae subtilioris vivacitas perficit, in bonis utpote in terra sua duplicia possidentibus cum naturae

---

[1]) Deut. 4. 24. — [2]) Ps. 81. 6.

spiritualis vigore etiam divinitatis inhabitantis gratia operatur. Unde apostolus coram coelestis exercitus praesentia se agere non dubitans: Spectaculum, inquit, facti sumus huic mundo et angelis et hominibus.[1]) Dignus plane qui spectaretur ab angelis utpote coelestem militiam agens in terris.

Cap. LIX.

De prophetae Elisaei spirituali potentia.

Libet hic unius civis supernae patriae meminisse, qui adhuc in carne positus coelestis theoriae adeo particeps factus est, ut spatia locorum et parietum obstacula supergressus absentia veluti praesentia interioris hominis sensibus cerneret atque audiret. Elisaeus hic erat. Qui loquens ad Giezi: Nonne, inquit, cor meum in praesenti erat, quando reversus est ad te homo de curru suo? Nunc igitur accepisti argentum et vestes.[2]) Qui etiam ea, quae rex Syriae in conclavi suo cum servis suis locutus est, regi Israel utpote praesentialiter audita nuntiavit. In illo et in illo, inquiens, loco Syri in insidiis sunt. Quod si prophetae adhuc in carne posito animaeque prophetalis sensibus parietum obstacula simul et locorum longinqua intervalla nulla fuerunt et tamquam nihilum et inane reputata sunt, idque ex praesentia divini spiritus omnia continentis et scientiam vocis habentis, quanto magis ex ejusdem spiritus inhabitatione iidem sancti Dei homines carne exuta vel mortali facta in Verbo Dei, per quod facta sunt omnia, per quod disponuntur et reguntur omnia, vident omnia, quae beatitudini ipsorum videre et nosse conducit. Unusquisque tamen pro theoria sibi distributa. Qui et praesentiam suam per ejusdem Verbi ubique praesentis gratiam et virtutem ubi volunt exhibere possunt, cum aliud velle ipsi non possint, nisi quod honori Dei suaeque beatitudini simul et credentium adhuc in carne degentium saluti conducit. Quid quod

---

[1]) I. Cor. 4. 9. — [2]) IV. reg. 5. 26.

iidem sancti Dei prophetae longe post futura tamquam praesentia contuiti sunt. Unde unus ipsorum ecce, inquit, virgo concipiet.[1])

Cap. LX.
De aeternitate sanctorum, qualis sit.

Etenim nec parietum obstaculis, nec locorum intervallis inhiberi, nec temporibus praejudicari, jam quaedam in sanctis Dei aeternitatis inchoatio est. Quae si perficiatur in eis, quid aliud nisi aeterni erunt, videntes Deum sicuti est atque in Verbo Dei omnium rationes cognoscentes sicuti sunt. Eant nunc et Dominum Jesum in uno aliquo coeli honesto sed angusto loco aethere obsitum includant, unde localiter cum ei libuerit ad regni sui negotia item aethere obsitus disponenda procedat alios relinquens atque ad alios sanctorum coetus accedens, virginibus tamen ejus comitatum non deserentibus, ut sic impleatur quod scriptum est: hi sequuntur agnum quocumque ierit,[2]) singulis tamen aetheris vicini extremitate obsitis seu corporum se contingentium agmine stipatis, ita, inquam, eant et Dominum Jesum sanctosque ejus honestis quibusdam carceribus includant, cum ne unum quidem prophetam suis conclavis parietibus possint includere, etiam adhuc in carne degentem. At, inquiunt, Propheta quidem ille cum spiritu ac spiritualibus animae sensibus videret absentia, corpore tamen, ut notum est, sui erat domicilii insuper et proprii corporis terminis inclusus, ut simile quid nobis liceat de sanctorum in coelo mansionibus aestimare, quatenus et ipsi localiter ab invicem distinctae sint et singulorum corpora suis locis in amplissima aetheris regione corporalibus corporaliter inclusa. Etenim cum aether corpus et in loco sit, nec ipse sibimet locus sit, non enim est ipse spatium in quo est, aliis tamen rebus videlicet sanctorum spiritualibus corporibus locus esse credendus est, sicut terra quoque animantibus mortalibus locus est, cum et ipsa in loco sit, qui aliud ab ipsa est, non enim ipsa spatium seu vastitas illa est,

---

[1]) Is. 7. 14. — [2]) apoc. 14. 4.

in qua sita est. Haec dicentibus eis quis prudens facile vel contradicat vel consentiat, eo quod nulla divinorum eloquiorum auctoritas manifesta vel asserenti vel contradicenti faveat? Verum rationis contuitu veritatem diligentius indaganti non facile ut aestimo comparet, quid locus ille aethereus situ superior sanctis beatitudinis praestare possit, quibus sola Dei visio beatitudinem praestat, sicut ipsius veritatis ore depromptum est. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.[1]) Item Regnum, inquit, Dei intra vos est.[2]) Quid ergo sursum loco ad videndum Deum pergis homo quod intra te mundicordi solum promissum est? Alioquin si locus situ superior beatificaret jam aves coeli beatiores et meliores nobis essent.

Cap. LXI.

Investigatio quis vel qualis sit spiritualium corporum spiritualis locus.

Sed quia de locis corporum vel corporibus locorum ad divina exempla sumuntur, libet nos quoque ad invisibilia contuenda rebus visibilibus pro speculo uti, si forte per ea, quae facta sunt, invisibilia Christi et Dei loca intellecta intellecta conspici valeant, sicque inveniamus locum Domino habitaculum Deo Jacob. Et quia summa sunt, quae quaeruntur, ab infimis inchoandum est, hoc nostrae investigationis firmo quasi praefixo paxillo, quod propria rerum pondera singulis loca inveniunt v. gr. igni sua levitas sursum et terrae sua gravitas deorsum. Infimum vero in sphaericis vel globosis rebus, qualis est mundus, deputatur, id quod est medium, supremum vero quod extremum et a medio remotissimum est. Quia igitur et terra globosa est, infimum quoque ipsius medium ejus esse oportet, quo dum omnia et singula mundanae machinae graviora tamquam in suum locum devexa sunt imperio Verbi creantis, moles ista quam calcamus solida, frigida

---

[1]) Math. 5. 8. — [2]) Luc. 17. 21.

et gravis effecta est. Igitur terrae medium, quod lapis caliginis in libro Job dicitur, terrae locus proprius est. Unde in laudem creatoris psalmista praecentore succinimus: Qui fundasti terram super stabilitatem suam[1]), eo quod non aliud quam propriae gravitatis pondus habeat fundamentum. Quod vero dicitur de Domino, qui appendit terram super nihil[2]), ad id pertinere videtur, quod in medio aëris librata quasi super nihil[2]) pendere videtur. Attamen aër non nihil sed tenue quoddam corpus est, cujus medium terram circumfundens etiam ipsum terrae proprius locus est, etenim omne corpus, quod in loco est etiam ipsum corporum se contingentium est locus. — Tertium quoque terrae locum dicimus capacitatem illam spatii intra superficiem terrae inclusam, si intellectu mathematico absque terrae corpore aliisque corporibus attendatur. Et hoc quidem spatium, quoniam penitus incorporeum eum[3]) ac prope nihil est sub praedicamento quantitatis ponetur. Triformiter itaque terrae locum advertimus, eum videlicet primum, quem appetit gravitatis pondere; secundum, qui terrae extremitates ambit, ac tertio capacitatem illam incorpoream spatii, quod terrae mole plenum est. Et haec tria in singulis quatuor elementis cuique per se advertere facile est, insuper et in minoribus corporibus per singula elementa distributis v. gr. animalium in terris, piscium ceterorumque motabilium in aquis, avium in aëre, solis ac lunae ceterorumque planetarum et stellarum in coelo, quae singula sicut ipsa etiam elementa secundum suorum ponderum proportionem vel infimum vel supremum vel medium inter extrema locum sortita sunt, ita quoque ex eis orta secundum suae originis materiam et ponderum proportionem propria loca obtinuerunt. Hinc enim est, ut de ceteris taceam, quod sol et luna et reliqui[3]) planetae singuli proprios circulos in aethere sortiti sunt, prout quisque ex levibus et gravibus proportionaliter coëuntibus per verbi Dei potentiam simul et sapientiam elementatus est. Unde sicut terra propriae gravitatis pondere in imo fixa et immobilis permanet: ita et illi in aetherea puritate librati secundum firmamenti cursum et ipsi moveantur, proprios tamen circulos nec sur-

---

[1]) Ps. 103. 5. — [2]) cod. bis: nihili. — [3]) sic codex!

sum nec deorsum non ad dexteram vel sinistram excedunt, nimirum propriorum ponderum rationibus et signiferi circuli quadam cognatione infrenati, ut eis evagari non liceat, ipseque eorum error certa lege teneatur. Et haec quidem loca eorum sunt, quae naturaliter appetunt, ceterum circumfundens eos locus aether contiguus est, quantitativus vero locus eorum spatium quod quisque ipsorum propria implet magnitudine videlicet incorporea capacitas uniuscujusque ipsorum corporis.

Cap. LXII.

De locis propriis animae bifariam consideratis.

Sed quid nobis ista locorum corporalium cognitio ad Domini nostri Jesu Christi ejusque corporis jam immortalis et invisibilis facti locum investigandum proficiunt, eo quod invisibilia et maxime invisibilia Dei visibilium lege non teneantur? Sed est inter invisibilia Dei ac nostra invisibilia media rationalis anima, in qua aliquatenus experiri possumus, si locum solius invisibilis Dei invenire valeamus. Etenim cum in corporibus trifariam locum ipsorum assignaverimus, primo videlicet eum, quem unumquodque corpus appetit, secundo eum, qui illud superficietenus includens circumscribit, qui et ipse corpus est, eo quod omni corpori alia corpora terminum ponant, ac tertio incorpoream illam corporis capacitatem ad mensuram corporis tensam, quae cum inanitas et prope nihil ipsa sit, soliditate corporis plena est. Nullum ex his tribus animae assignari posse praeter unum aestimamus, eum videlicet, quem proprie naturae pondere appetit, non quod spatio aliquo aëris vel aquae emenso aut evicto ad suum locum sursum vel deorsum appetat, quomodo pulvisculus aut lapillus in aquam missus non quiescit donec ad fundum venerit, vel aër vesicula inclusus et in aquam depressus sursum ad socium aërem festinus emergit, ignisque ut ad sui generis originem et locum perveniat, immensi aëris spatia sursum tendens perrumpit. Sed quoniam anima non corpus sed spiritus est pondus quoque ejus spirituale voluntas videlicet ejus est. Etenim quia rationis et sensualitatis compos humana

anima a Deo facta est, sensibus vero corporalibus uti extra corpus non potest, propter hoc suum corpus diligit ipsumque velut organum suum ad sensuum quinque usum temperat. Et quia numeris ipsa praedita est divinitus ipsum quoque corpus suum numerorum aequalitate in pulchritudine ac parilitate disponit, ut quae habet gemina, v. gr. oculos, aures quantitate paria et loco aequaliter disposita sint, quae vero singula, ut os et nasus medium locum teneant. Et hic locus animae inferior proprium videlicet corpus est, cui tamquam pavimento innititur, sed non totum se debet in ipso more irrationabilium animarum vel animantium sternere. Quia vero et ratiocinandi potens est, quod ipsum etiam ex numerorum ratione descendit, quibus eadem humana anima prae ceteris animabus divinitus praedita est, sola enim ipsa colligit quatuor et tria septem esse ac septem cum tribus decem fieri. Hinc est quod liberalium artium exercitio se libenter ac studiose impendit, eo quod earundem artium naturalium disciplina ac tota facultas propemodum ex numerorum ratione descendit. Quis enim nesciat arithmeticam i. e. recte numerandi scientiam musicae in proportialibus, geometriae vero et astronomiae in reliquis numeris fundamentum existere? Nam logica sive logicae partes non tam naturales artes sunt, quam ut per eas ad naturalium artium notitiam perveniatur inventae. Etiam dialectica pro eo, quod ipsa naturalibus nititur argumentis quodque inveniendi, dividendi et colligendi potens est, numquid non et hoc ipsum ex numerorum ratione proficiscitur? Quis absque numerandi scientia percipiat genus continentis esse sua specie atque ideo illud praedicari, speciem vero subjici debere? Rhetores quoque dum artis suae facultatem in inventione, dispositione, elocutione, memoria, pronuntiatione constituunt dumque orationem absolutam in sex membra i. e. exordium, narrationem, partitionem, confirmationem, confutationem et conclusionem distribuunt, etiam oratoriam facultatem numeris niti demonstrant. Sed et grammatici, dum orationis partes octifariam dividunt, quas iterum in suas species, conjugationes modosque subdividunt dumque inter longam et brevem syllabam discernentes leges metris ponunt, etiam ipsi artis suae peritiam numeris adjuvari et non absque numeris constare declarant. Dum igitur animae humanae

numerandi atque ideo rationis et ratiocinandi compotes factae in his artibus numeros fundamentum habentibus et per numeros dispositis voluntarie demorantur, dumque aliae se in artis mechanicae disciplina insuper et agricolandi usu graviter et libenter exercent, quae et ipsae artes non absque numerorum ratione ac ponderum vigore peraguntur, nimirum minoribus ponderibus ad majorum vim cedentibus quasi in suo elemento et loco velut pisces in aquis naturali pondere ac motu diversantur. Mundum enim nimirum numerorum ratione compositum ac dispositum tradidit Dominus disputationi hominum, ut in ipso non solum corporali usu sed etiam rationis exercitio diversentur, sed non ad hoc, ut in eo suae requietionis finem constituant, sed ut ex beneficio collato muneris auctorem Deum cognoscant, venerentur et diligant. Quae igitur animae ipsum per fidem et sacramentorum ejus perceptionem cognoscentes secundum ejus legem naturalem vel scriptam ad honorem ejus proximorum utilitatibus et necessitatibus deserviunt et in consorte naturae ad imaginem Dei factae auctorem imaginis venerantur, ut tandem ad videndam ejus faciem plenam gratiarum pertingant: hi bene activi sunt et pro intentione ac spe sua velut quodam suo sed divinitus collato pondere saltus super aquas quasi mundi pisces faciunt. Qui vero etiam consilio veritatis in carne apparentis recepto mundo ejusque concupiscentiis renuntiantes verbo Dei ac divinitatis cultui vacare delegerunt hi velut mundae aves ac pondere leviores locum in coelo super aquas sortiti sunt.

Cap. LXIII.

De tribus coelis consideratio.

Et quia corporis dominici in coelum assumpti jamque spiritualis facti locus quaeritur, quod utique infra tertium coelum remansisse credendum non est, de tribus hic coelis, in quorum tertium se raptum dicit apostolus, aliquid nobis dicendum ratio suggerit. Itaque mundanarum et visibilium rerum sive per quinque sensus facta recordatio sive per imaginationem in anima vigilantis sive dormientis facta recordatio seu de visibilium naturalibus

causis earumque effectibus quantumcumque subtilis facta disputatio vel investigatio sive etiam scripturarum non solum mundanarum sed et divinarum intellectus litteralis et historicus ipsorumque apicum imaginaria vel per sensus facta collectio, totum hoc mihi ad primum coelum pertinere videtur, quod bonis aeque malisque suo pondere commune est se agentibus, sed boni illud atque perfecti per usum solum non per dilectionem et velut peregrini inhabitant, mali vero et infideles atque imperfecti in eo etiam per dilectionem conversantur. Ad secundum vero coelum pertinere arbitror spiritualium et divinorum intelligentiam, ad quam per istud visibile coelum vel magistris docentibus vel proprio suffragante ingenio aut etiam divino spiritu usualiter instruente et propria singulis dona dividente quisque conscendere potuit. Et hoc jam coelum quamvis nonnullis malis pro parte accessibile est, tamen magis proprie spiritualium et sanctorum locus et inhabitatio est. In quo qui digne Deo in humilitate spiritus conversantur ipsi interdum et in carne viventes mente excedere Deo atque in tertium illud coelum, quod solis bonis post hanc vitam repositum est, tamque improprie proprium locum suum rapi et inusitatis quibusdam excessibus divinitus sublevari merentur gratia Dei eadem in eis et cum eis merita operante, ut illic in brevi consummati postmodum expleant tempora multa ciboque illo opimati[1]) agones proferre sufficiant, quos eis pro nomine Dei subire contigerit, semper memores illius diei quo steterunt in monte coram Domino. Qualibus dicere conveniat cum apostolo: n o s t r a a u t e m c o n v e r s a t i o i n c o e l i s e s t, u n d e e t i a m s a l v a t o r e m e x s p e c t a m u s D o m i n u m n o s t r u m J e s u m C h r i s t u m.[2]) Sive enim re et usu in secundo coelo conversantium sive mente Deo excedentium et ad tertium coelum raptorum, attractorum seu admissorum utique conversatio talium sive re, ut dictum est, sive spe in coelis velut in suo loco est. De quibus coelis vel de quo tertio coelo, in quibus justitia habitat et unde Salvator exspectatur[3]) a beatis et electis quis digne quid aestimare vel dicere valeat? Nam si apostolus vas electionis, qui ad illius tertii coeli secreta

---

[1]) cod. optimati. — [2]) Phil. 3. 20. — [3]) cod. exspectat.

et in paradisum raptus est, archana verba, quae audivit, homini loqui non licere ait, quis temerarius eodem irrumpat, ut, quae tanto apostolo concessum loqui non est ipse, temerario ausu in lucem producat? Etenim, ut ait angelus ad Tobiam, secretum regis celare bonum est, opera autem Dei manifestare honorificum.[1] Quod vero non solum arcana sed etiam omni humano sensui inaccessibilia divinitatis ac tertii illius coeli secreta sint Isaias quoque testis accedit dicens: Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti diligentibus te.[2] Nam quod oculum pro omni humano sensu propheta posuerit apostolus testis est, quod eadem verba Isaiae de graeca translatione sumpta vel certe verborum sensum epistolae suae inserens, quod oculus, inquit, non vidit nec[3] auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.[4] Nemo enim in illud tertium coelum ascendit, sicut ait Dominus, nisi qui de coelo descendit filius hominis, qui est in coelo.[5] Quid ergo? Silendum erit penitus an aliquid nobis opinari de secretis coelestibus licet, quod vel secundum scripturas sit vel contra earum auctoritatem non sit? Dicente enim Domino electis discipulis: regnum Dei intra vos est.[6] Itemque dicente Domino: coelum mihi sedes est,[7] aliasque scriptura assumente ac dicente: quoniam sedes sapientiae est anima justi, inde colligitur quod coelum sit anima justi. De talibus namque coelis dicitur: Coeli enarrant gloriam Dei.[8] Item. Rorate coeli desuper et nubes pluant justum.[9] Item. Qui sedes super thronos et judicas aequitatem.[10] Item. Qui sedes super Cherubim manifestare.[11] Quis enim dubitet vivos et rationales esse coelos vivam sapientiam gestantes et enarrantes gloriam Dei? In his ergo coelis sursum in angelicis choris et in ecclesia sanctorum in terris habitat Deus tamquam in templo Silo, non quod ipse templo sed

[1]) Tob. 12. 7. — [2]) Is. 64. 4. — [3]) deest in cod. auris. — [4]) I. Cor. 2. 9. — [5]) Joan. 3. 13. — [6]) Luc. 17. 21. — [7]) Is. 60. 1. — [8]) Ps. 18. 1. — [9]) Is. 45. 8. — [10]) Ps. 9. 5. sed. s. thronum et jud. justitiam. — [11]) Ps. 79. 2.

quod templum ipso habitatore indigeat. Alioquin ipso subtrahente se non jam templum sed tenebrosus carcer eadem rationalis creatura existeret, quomodo solaris lucis praesentia in aëre diem creat, qua subtracta nox fit in qua pertranseunt omnes bestiae silvae.

Cap. LXIV.

Locus Dei Deo inferior creatura rationalis electa.

Per quid autem in hoc templo suo inhabitat Deus, nisi pondere suo, quod est charitas ejus? Per hunc sibi consubstantialem amorem sursum in angelis, per hunc deorsum in ecclesia sua tamquam sponsus in sponsa manet et requiescit in terris, ipsaque rationalis creatura in ipso versa vice mutui amoris pondere delectatur et requiescit tamquam vere in loco sancto suo sine quo ei bene non est nec esse potest. Unde etiam falsi ac decepti homines verique Dei notitiam non habentes, ne sine Deo miseri essent vel de mortuis hominibus vel de inanimatis rebus sibi Deos confinxerunt in quorum fide et spe cor ipsorum tamquam in suo loco requiesceret; sed miseriores effecti sunt, dum decepti a daemonibus, qui eis per simulacra dabant responsa, quos amicos putaverunt tandem hostes experti sunt. Verus namque locus et requies cordis nostri unus et solus Deus super quo comminatio illa contra hypocritam in libro Job, qua dicitur: Et non cognoscet eum amplius locus ejus.[1]) Hoc enim nisi de vivo et rationali loco non diceretur. Itaque et nos Deo locus existimus et ipse nobis, quorum utrumque prodest non ipsi sed nobis. Ipse enim bonorum nostrorum non indiget, nos absque illo salvi esse non possumus.

Cap. LXV.

Sublimissimus Deo locus ipse Deus sibi est.

Si autem locus sublimior Dei inquiretur, quam vel nos sumus vel angelica creatura est, in quo etiam ante mundi consti-

[1]) Job. 7. 10.

tutionem requieverit et de quo illud dictum esse videatur: qui habitat lucem inaccessibilem[1]) non in cor nostrum ascendat, ut aliquam lucem materialem existimemus, cujus inhabitatione ipse perfruatur et in qua velut in loco suo requieverit ante mundi originem aut hodie ipsam inhabitet sed lux illa inaccessibilis non aliud ab ipso est. Siquidem sapientia est increata, quam non fecit Deus, sed sibi consubstantialem et coaeternam genuit, quae Λόγος et Verbum illud est per quod omnia facta sunt. Quae etiam loquitur de semetipsa: Dominus possedit me initio viarum suarum antequam quicquam faceret a principio et cetera usque: cum eo eram cuncta componens et delectabar per singulos dies.[2]) Quae etiam dies ille septimus intelligitur, in quo perfecto mundi per sex dierum distinctiones opere Dominus requievit eique benedixit et sanctificavit eum. Quae etiam versa vice sapientia in illo, a quo genita est, tamquam in suo principio requiescit. Unde etiam incarnata testificatur dicens: Quoniam ego, inquit, in Patre meo et Pater in me est.[3]) Per quid vero hic filius in Patre ac Pater in Filio, uterque videlicet in altero tamquam in loco suo requiescit, nisi item coaeterno et consubstantiali sibi pondere, quod est charitas et spiritus amborum? Sicut enim firmamentum quod igneae naturae est, cum non habeat locum superiorem in quem feratur, sphaerico motu ac lege sibi divinitus data in semetipsum fertur, et sicut ignis camino inclusus, cum jam tota ei materia subjecta fuerit, ut nihil habeat in se praeter se placida in se pace quiescit atque in semet inundat, cum et ipse caminus totus in ignem versus sit: ita Pater in Filio et Filius in Patre mutua charitate requiescit et in semetipsos aeternae dilectionis lege ac pondere feruntur. Sed et in spiritibus beatis eorumque spiritualibus corporibus ejusdem spe et charitatis suae pondere delatus tamquam in loco subteriore suo requiescit Deus. Etenim Pater Filio et Filius Patri itemque ipsi amborum spiritui ipseque eis locus coaequalis et consubstantialis est, at rationalis creatura, ut diximus, locus eis subterior est, cujus tamen loci per ipsorum substantialem et sensibilem ac

---

1) I. Tim. 6. 16. — 2) Prov. 8. 22—30. — 3) Joan. 10. 11.

potius supersubstantialem et supersensibilem inhabitationem participatio in idipsum est.

Cap. LXVI.
Theorica consideratio de luminaribus coelestibus.

Sicut enim omnia sidera una cum firmamento ad occidentem ac per occidentem ad orientem tendunt, ita et electi in illo regno stabiliti, cum in summa sublimitate sint, tamen etiam summae humilitatis custodes sunt per quam velut per occidentem semper ad divinae contemplationis orientem tendunt. Non mihi nunc vacat nec intentionis est, etiamsi facultas ingenii suppeteret, omnem illam coeli rotationem et concentum in spiritualibus significationibus exhibere, quamquam[1]) ecclesiastico sensu satis usitatum est in sole, qui medius planetarum fonsque aetherei ignis est, Christum mediatorem Dei et hominum intelligere, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,[2]) de quo etiam canitur, quoniam sol cognovit occasum suum; in luna vero lumen suum a sole mutuante itemque in stellis, quae et ipsae singulae a sole, ut credi potest, lumen suum mutuant, ecclesiam et singulos electorum accipere, vel id solum nunc advertere praeter rationem non est, quod coelestia illa corpora cum igne vel proprio sicut sol vel alieno ut luna et stellae flagrent ac perpetuo splendeant, ignis idem coelestis eorum substantiam non diminuit vel absumit sed conservare absque omni diminutione potens est, ut exinde liqueat, quod nostrae quoque animae vel corpora, quae per Dei gratiam in illum divinitatis spleudorem assumi fuerint vel nunc assumpta sunt, idem divinus ignis, cum eadem vehementer afficiat, potenter inundet, tantae tamen gratiae et suavitatis est, ut naturam ignitorum, animorum videlicet et corporum spiritualium, conservare potens sit, quemadmodum beatae quoque virgini dictum est Dei genitrici: Spiritus sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi.[3]) Unde in ejus-

[1]) cod. tamquam. — [2]) Joan. 1. 9. — [3]) Luc. 1. 35.

dem gratiae signum rubus quidem ardere visus est sed a combustionis detrimento immunis. Sic aurum finaliter purum rogum sine diminutionis detrimento sustinet. Sic, quod plenum est miraculi, animal, quod salamandra dicitur, quomodo pisces in aqua ita vitam ducit in igne illaesam. Non ergo mirum, quod ignis quoque ille divinus sic vehementer animas et corpora earum spiritualia afficit tamque potenter penetrat, ut penitus sibi subjiciat, cum tantae etiam suavitatis sit, ut eadem conservando refoveat.

Cap. LXVII.
Non esse contrarium in corporibus spiritualibus esse simul palpabilia et incorruptibilia et qualiter hoc sit.

Et hoc dicimus ac dicendo sentimus, ne illorum sectas incipamus, qui sub typo haereticorum sanctae terrae detrahentes olim dixerunt: Terra haec devorat habitatores suos [1]), iidemque ipsi contra semetipsos divisi, ut detrahentium se insanus furor habet: stirpem, inquiunt, enachim vidimus ibi. [2]) Etenim quod dixerunt, corpora illa ventis aërique subtiliora quasi dicere fuit, quoniam terra haec devorat habitatores suos. Qui vero de contra eadem corpora sensu animali imaginantes carnales sibi delitias per mille annorum tempus promiserunt quasi stirpem Enachim se illic vidisse mentiti sunt. At nos mediam tenentes veritatem cum patribus orthodoxis sentimus ac dicimus, corpora resurgentium ejusdem, cujus ante fuerant, naturae sed alterius gloriae, utriusque nimirum rei in Domini nostri Jesu Christi corpore tenentes experimentum, qui, ut nos ad veri et solidi corporis formaret fidem, resurgens a mortuis discipulorum manibus se palpabilem praebuit, ut vero ad incorruptionis invitaret praemium clausis se idem ipse januis introduxit. Qua in re duo nobis in uno eodemque corpore contraria demonstrata sunt, ut simul palpabile et incorruptibile visum sit. Nam ut beatus quoque Gregorius ait in Homilia" [3]): necesse est corrumpi quod palpatur et palpari

[1]) Num. 13. 33. — [2]) Num. 13. 29. [3]) Hom. 26 in Evang. Joan. ed. Paris 1675 tom. I. p. 1439.

non potest quod non corrumpitur." Sed Dominus noster Jesus Christus etiam in hoc lapidem se nobis angularem exhibuit, dum nostri corporis visibilem ac palpabilem speciem suae incorruptionis immortalitati conjunxit. Quod quidem contrarium esset, si nostrorum more corporum corpus resurgentis Domini aliorumque resurgentium corpora visibilia ac palpabilia essent. Sed absit, ut in Dominum Jesum atque in resurgentes cum ipso vel post ipsum ac secundum ipsum quicquam cadat contrarium. Unde cum resurgentium corpora visibilia ac palpabilia dicimus opere pretium scire est, quod non usum et actum cottidianum in eis palpandi ac videndi nostrorum more corporum, sed potentiam cum volunt palpabiles ac visibiles se nobis demonstrandi praedicamus, sicut angeli quoque, cum volunt et ratio postulat, in propriis corporibus solent visibiles ac palpabiles apparere. Alioquin nisi propria natura invisibiles et inpalpabiles essent apparitionis eis verbum non conveniret. Illi namque recte dicuntur apparere, qui sui natura invisibiles possunt etiam praesentes latere. Unde verba Ambrosii[1]) in apparitione in Lucam haec sunt: „Seraphim quando „voluit apparuit et vocem ejus Isaias solus audivit. Apparuit an„gelus et nunc praesto est, sed non videtur. Neque enim in pote„state nostra est videre, sed in potestate illius apparere. Tamen, etsi „potestas non est videndi,est gratia promerendi, ut videre possimus, et „ideo qui habuit gratiam meruit copiam.Nos copiam non meremur,quia „Deum vid ndi gratiam non habemus."Aut certe sancti resurgentes, si perpetuo visibiles atque palpabiles sunt, sibi utique inter se ac Deo quantum ad veram attinet beatitudinem non etiam adhuc mortalibus id sunt; siquidem eos videre aut colloqui cum eis nisi illi nobis apparere dignentur non valemus. Credimus autem eos sibi invicem atque angelis ac Domino Jesu Christo sentiendis corporeis fungi sensibus sed in melius commutatis atque in spiritualem usum redactis sicut scriptum est: Et in carne mea videbo Deum salvatorem meum[2]), quali videlicet auditu apostolus in paradisum raptus audivit arcana illa verba, quae non licet homini loqui, qualibus etiam sensibus tertii coeli secretis admissus est.

[1]) s. Ambr. Comm. in Luc. c. 1. lib. I. ed Paris 1603 tom. III. pag. 11. 12. — [2]) Job. 19. 26.

Cap. LXVIII.
De differentia tertii coeli ac paradisi et quid proprie paradisus.

Et quia tantus apostolus experimentis edoctus discrete de utroque raptu loquens differentias inter paradisum ac tertium coelum esse docuit, nobis quoque, nisi quod tantis mysteriis loquendis sumus indigni, inter utrumque licitum sit differentias aestimare, sic tamen, ut aestimatio nostra secundum scripturas sit. Itaque paradisus dicatur hortus et locus deliciis spiritualibus refertus, qui animabus hinc transeuntibus et corporibus resurgentium ac sensibus eorum spiritualibus repositus ac praeparatus a Deo est, in quo videntur visiones coelestes animas desuper coelestibus secretis per imagines theophanicas mire afficientes pariter et instruentes, in quo audiuntur cantica angelica animas mire afficientia et ad conjubilandum eas excitantia et provocantia, spirant nares auras vitales ac mellifluas omnium odoramentorum coelestium deliciis plenas, sapit gustus panis angelorum hic in sacramento praegustati miram suavitatem, virtutem et gratiam, sentit tactus divini amoris utpote sponsi legitimi in rationalem [1]) creaturam sponsam suam miram suavitatem et efficaciam, qualem hic sponsa, praeelecta videlicet anima, praesentiens in amoris cantico loquitur dicens: Dilectus meus misit manum suam per foramen et venter meus intremuit ad tactum ejus.[2]) Anima Verbi Dei se diligentis ac dilecti experimentis edocta scit quae loquor, novit hunc manus Verbi attactum, novit divinum illum ventris sui tremorem, novit et fructum et effectum ex tali attactu ac tremore provenientem. Hunc enim verbis subsequentibus eadem sponsa exprimit dicens: Surrexi, ut aperirem dilecto meo, manus meae stillaverunt myrrham, digiti mei pleni myrrha probatissima. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo at ille declinaverat atque transierat.[3]) Non enim negare valet talis anima in benedictionibus dulcedinis prae-

---

[1]) cod. legitimi irrationalem. — [2]) Cant. 5. 4. — [3]) Ibid 5. 5. 6.

venta obsequium suum Verbo Dei, non, inquam, negare valet, quamvis otium tale valde diligens, quin surgat ac tale otium intermittens pessulum oris sive loquendo sive scribendo dilecto suo aperiat, quatenus eum ad corda etiam aliorum diligendum introducat. In quo nimirum opere non aliud loquendo sive agendo potest docere, nisi quod prior ipse in se didicit, videlicet non seminandum esse in carne, unde metenda sit corruptio, sed seminandum esse in spiritu, unde vita aeterna metenda est, et quoniam qui diligit mundum non esse charitatem Patris in eo, neminemque posse his duobus dominis servire, quod est digitos stillare myrrham plenosque esse myrrha probatissima. Et id quidem, ut aestimo, de paradisi delitiis sentiendum, in quo et hoc pariter sentiri oportere non dubito, neminem posse, quamdiu in corpore vivitur, ad illius gratiae plenam notitiam pervenire, quin potius interdum revelationem illusionem[1]) existimat. Id vero quod se indubitanter quasi per fenestram corruptibilis parietis divini attactus gratiam sentit percepisse modumque ejusdem gratiae in se operantis seque ad loquendum vel agendum suscitantis etiamsi velit nemini posse loquendo sicut est communicare.

Cap. LXIX.

Quid vel quale tertium coelum aestimandum sit.

De tertii vero coeli secretis tanto minus quicquam dicere ausim, etiamsi quid dignum sentire possem, quanto adhuc me ab illa puritate longe abesse recognosco, cui visio Dei promissa est dicente Domino: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.[2]) Huic enim munditiae sive in angelis sive in hominibus soli illa debetur cognitio, qua immediate non jam per figuras et aenigmata, non per somnii imaginaria visa sed facie ad faciem videbitur Deus sicuti est ab his, qui illa visione per gratiam se purificantem digni invenientur. Et hanc ego visionem ad tertii coeli secreta arbitror pertinere, eo quod principalis sit ac duabus

[1]) cod. illusiono. — [2]) Math. 5. 8.

illis theoriis, quae vel in affectibus vel in sensibus peraguntur in paradiso ex eo praecellentior, quod illae propter istam fiunt et quasi praecursoria signa sive etiam causae efficientes praecedunt: haec vero theoria, quae in intellectu fit ipsius veritatis hac sapientiae creatricis praesentia, illas praecedentes, utpote illarum effectus, subsequitur. Et per illas quidem paradisiacas praecedentes sicut olim in prophetis multifariam multisque modis loquitur Deus heoricis animabus et affectibus ea, quae secundum ipsum sunt insinuans, per hanc vero coelestem novissimam tamquam in Filio suo loquente Deo veritas Deus semetipsam mentibus et intellectibus theoricis sicut est immediate infundit. Et solent interdum extollentiae nasci de illis visionibus paradisiacis, quae in sensibus vel imaginibus theoricis exhibentur, ita ut talis anima increpatione sponsi digna interdum sit dicentis ei: nisi cognoveris te, o pulchra inter mulieres, egredere et abi post vestigia gregum[1]) etc. sed hoc in praesenti dumtaxat vita. At vero illa visio, quae jam non per imagines, sed per veritatis praesentiam exhibetur, non extollere solet cor, sed humiliare juxta illud: Cognovi Domine, quia aequitas judicia tua et in veritate tua humiliasti me,[2]) ita ut talis anima mitis et humilis effecta ex sententia dicere valeat: Incurvatus sum usquequaque.[3]) Dum enim propriae infirmitatis et ignorantiae Deique gratiae et veritatis in se operantis plenam cognitionem perceperit, quid aliud nisi humiliari de se totumque id quod est gratiae Dei tribuere didicit.

Cap. LXX.

Exempla de theoriarum differentia in Moyse et Aaron atque Maria.

Haec theoriarum differentia, ut aestimari non incongrue potest, olim in tribus illis prophetis Moyse, Aaron et Maria exemplata est. Etenim Aaron et Maria, propheticis somniis et visionibus eruditi ac per hoc in quandam extollentiam elati, dum detra-

---

[1]) Cant. 1. 7. — [2]) Ps. 118. 75. [3]) Ps. 118. 107. Vulg. humiliatus.

hunt Moysi homini Dei dicentes: num per solum Moysen locutus est Dominus, nonne et nobis locutus est,[1]) illius visionis et revelationis, quae per sensa corporea sive imaginaria peragitur quaeque extollentiae plerumque causa est, rem simul et figuram in se praetulisse videntur. Unde et a Domino increpari meruerunt dicente: Audite sermones meos. Si quis fuerit inter vos propheta Domini in visione apparebo ei vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquar ei et palam non per aenigmata et figuras Dominum videt. Quare igitur non timuistis detrahere servo meo Moysi?[2]) Sed et Maria lepra perfusa est, Aaron vero per peccati recognitionem poenam evasit. Igitur sicut illi duo illius theoriae, quae per somnium et visiones fit quaeque extollentiae vicina est, rem pariter et formam praeferunt: ita Moyses ore ad os cum loquens illius cognitionis in se figuram simul et rem praeferebat, quae in solo intellectu fit quaeque visionibus tertii coeli quodammodo cognata est.

Nam dum in sensibus corporis theoriae aguntur, etiamsi caro corruptibilis aliquid in se humanum, unde ei erubescendum sit, patitur, affectus tamen, quoniam divinissimus est, licet in aliquo theoricis illis delectationibus condescendat, quae in carne erubescendae putantur, propriae tamen puritatis fretus testimonio simul et humilitatis adjutus merito, qua id, quod in sua condescensione culpabile sibi reputat, humiliter recognoscit et confitetur, hic, inquam, affectus cum Aaron leprae poenas evadit. At vero caro velut altera Maria pro suae levitatis et elationis irrationabili motu inter ipsas theorias, dum revelatio illusio reputatur, erubescenda sibi interdum lepra videtur perfusa, ita ut se aliorum Deo militantium coetu arbitretur indignam. Sic et Abraham cum Deo loquente, dum Sara vel promissionum coelestium diffidentia vel muliebri levitate risisset a Domino increpata est, ut in Abraham spiritus ac mentis nec non affectus cum Deo sive in oratione sive in laudibus colloquentis puritatem, in Sara vero carnis adhuc cor-

[1]) Num. 12. 2. — [2]) Num. 12. 6—8.

ruptibilis petulantiam, qualem inter divinissima interdum spiritus cum Deo colloquia solet perferre, non incongrue intelligere valeamus. Id vero maxime tunc evenire solet in sanctis cum theoria usque ad sensuum paradisiacam quandam suavitatem descendit nimirum vel mirificis odoribus vel attactu quodam divino animam demulcentibus, dum manus Verbi ventrem animae interdum usque ad quendam divinum tremorem contingit, de quo sponsa: et venter inquit, meus intremuit ad tactum ejus.[1]) De tali naevo animae theoricae illud in Job recte valet intelligi quasi derisus Sarae increpatione divina et erubescentia digno, illud, inquam, quod ab eo quasi in propriae infirmitatis recognitionem dicitur: Si fulserint velut mundissimae manus meae, tamen sordibus intinges me et abominabuntur me vestimenta mea.[2]) Sic et Joseph de somniis suis juveniliter elatum eademque coram fatribus ac patre indiscreta levitate referentem increpavit pater suus, rem tamen ipse fratribus invidentibus tacite considerans, insuper et gladius i. e. dura tribulatio pertransivit animam ejus donec veniret verbum ejus.

Et quid miramur, sanctos viros magnos apud Deum praedestinatos sive etiam feminas Sarae matri similes post visiones divinas et somnia juveniliter elatos increpatione sive humiliatione dignos extitisse, cum ipsa quoque mater Dei, cujus utique theoriae non in solo spiritu, in quo prophetissa consecrata est, nec in solis affectibus sed in carnis maxime virginalis sensibus peractae sunt, de qua materia ad incarnandum Verbum ministranda erat, quid, inquam, ceteros miramur, cum ipsa sanctitatis pariter et humilitatis speculum mater Jesu post partum virginalem ob gratiam humilitatis ab ingressu templi more aliarum feminarum sibi aestimaverit abstinendum nec absque hostiis gemituasarum avium illud ingressa sit? — Infelix ego homo, ait apostolus, quis me liberabit de corpore mortis hujus?[3]) nimirum aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suae, sustinensque angelum satanae se colaphizantem, et ego tumidus atque arrogans incedo, qui nondum de meis passionibus tale divinitus quale ipse

[1]) Cant. 5. 4. — [2]) Job. 9. 31. — [3]) Rom. 7. 24.

responsum accepi, quod videlicet mihi quoque virtus in infirmitate perficiatur? Praedicanda vero et admiranda in tanto heroe tanta humilitatis gratia, qui quanto major erat humilians se in omnibus etiam de virtutis in se perfectione humilia novit sentire. — Amplius autem in matre Domini eadem humilitatis virtus efferenda laudibus est, quae Domino quoque virtutum prae ipsa etiam castitate in ea complacuit, siquidem in matre Domini electa, dum a sponso suo Deo Patre Verbi prae omnibus mulieribus tam in spiritu quam in carne benedictionibus dulcedinis praeventa est, nequaquam juveniliter elata vel de singulari sua electione gloriata inter coaevas suas est, quin potius oris sui diligens custos et secretum suum sibi conservans, nec ipsi, ut aëstimo, cognatae suae Elisabeth secreti sui gratiam leviter manifestasset, nisi prior illa prophetiae spiritu docta protulisset. Ceterum magnitudinem miraculi modumque secreti nec illa, quamvis prophetissa totum valuisset agnoscere, nec virgo, licet experta, edicere potuisset.

Cap. LXXI.

De eo, quod dicitur sponsae ab amicis sponsi: Murenulas aureas etc.

Nec incongrua assimilatio theoriarum, quae in aliorum quoque sensibus vivit sanctorum, ad virginalis secreti theorias quamvis longe proportione inferiore. Etenim sicut illa per suorum sensuum admirabiles theorias mater Domini effecta est, ita post eam etiam alii nonnulli divinis quibusdam imaginum apparitionibus vel etiam in sensibus et affectibus secretis quibusdam spiritus sancti operationibus matres Verbi Dei effecti sunt. Hae namque imaginariae simul et illae in sensibus exhibitae theoriae similitudines auri, sive, ut habet nostra translatio, murenulae illae aureae sunt vermiculatae argento, quas sponsae, Deum videlicet diligenti animae, amici sponsi promittunt in amoris cantico pro quadam desiderii sui interim consolatione, donec sponsum suum sicut est videre et cognoscere fiant idoneae. His namque apparitionibus per angelos exhibitis animae Deum diligentes ineffabili quodam modo foetae et efficaces redduntur ad loquendum seu scribendum my-

steria Verbi Dei, quatenus idem Verbum Verbique dilectionem in cordibus aliorum pariant, quo ipsi divinitus illustrati sunt. Nec mirum tale artificium in sponso Deo ejusque amicis angelis, quo animas sanctas juxta similitudinem visorum ac sensorum coelestium Verbo Dei foetas reddunt, quatenus tale quid loquendo seu scribendo pariant quale ipsi prius in visionibus hauserunt, non, inquam, hoc mirum de Domino, cum patriarcha quoque Jacob a Deo doctus in ovibus foetandis tale quid in hujus secreti figuram olim fecerit. Sicut enim oves illae ex aspectu virgarum coloris varii varia et ipsae pepererunt, sic noster Dominus verus Jacob timore et amore suo sanctas novit foetare animas, ut talia in verbi Dei opere seu ministerio pariant qualia in similitudinibus illis auri spirituali visione hauserunt. Quod in visione illa Petri de vase linteo manifestum est, ubi dictum est ei de animalibus immundis: macta et manduca, et quae Deus mundavit tu ne commune dixeris[1]), quam visionem conversio gentium idolatria immundorum per ejus ministerium subsecuta est. Similiter autem et Johannes theologus mirabilium visor, quae prius ipse in spiritu factus paradisiaca suavitate in Patmos insula praevidit, eadem ad quandam similitudinem visorum postmodum scribendo evangelium quasi de tertio coelo illustrato ejus intellectui sublimiter eructavit. Quid enim est, quod factus in spiritu audivit vocem magnam tamquam tubae dicentis: quod vides scribe,[2]) nisi quod postmodum rebus completum est circa ipsum, postulante nimirum magno desiderio ecclesia cum Ephesum rediisset, quatenus obrefutandam haereticorum illius temporis immo et aliorum temporum refellendam haereticam pravitatem scriberet Evangelium in quo de divinitate Verbi Dei doceret ac loqueretur quae sentiret? Et quid est, quod ait: et conversus sum ut viderem[3]), nisi quod idem apostolus instituit ab ecclesia pro se jejunium et orationes fieri, quatenus ipse de tanta re digna scribere mereretur. Idem quid est, quod ipse denuo conversus filium hominis vidit in medio septem candelabrorum aureorum, cujus caput et capilli erant candidi tamquam lana alba et tamquam nix, quid, inquam, caput

[1]) act. 10. 13. — [2]) apoc. 1. 11. — [3]) apoc. 1. 12.

illud et capilli candidi, nisi antiquitas et aeternitas est Verbi, de qua item ipse conversus ad scribendum sublimiter inchoavit: In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum?[1])

Cap. LXXII.

Quae theoriae ad paradisum, quae etiam ad tertium coelum pertineant.

Et haec dicimus non quod arbitremur, omnes illas apostoli visiones ad scribendum ab eo Evangelium pertinuisse, quin et ecclesiae Dei processum et consummationem respiciunt ex parte maxima. Sed ne illas quidem, quae scribendum Evangelium respiciunt, per singula adaptare nostri propositi est. At vera ea, quae diximus, ad hoc illata a nobis sunt, quod videatur nobis illas visiones imaginarias vel quae in sensibus et affectibus peraguntur esse ac dici posse paradisiacas, illas vero, quae secundum eas subsequenter in intellectibus divina revelatione proveniunt, esse ac dici posse coelestes, insuper vero et ad tertium coelum eas arbitror pertinere. Nisi enim tertii coeli secreta Johannes adisset Verbum in principio apud Deum intelligentiae oculo non vidisset. Et illarum quidem interdum vel maxime angeli operatores sunt, istas vero coelestes ille per se ipsum operatur, qui solus, utpote singularis magister, docet hominem scientiam.[2]) Etenim etsi aliquando per angelos vel per homines edocemur intelligentias visionum, sicut dictum est Gabrieli ab alio nescio quo angelo: fac intelligere istum visionem,[3]) sicut Daniel quoque interpres visionum ac somniorum factus est, illi tamen summo magistro recte principatum doctrinae recognoscimus, qui et primus doctorem angelum vel hominem erudit, quique ipsa corda erudiendorum solus ad intelligentiam pandit, qui, sicut scriptum est, habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit.[4]) Et haec quidem de scripturarum auctoritate vel etiam de hujus tem-

[1]) Joan. 1. 1. — [2]) Ps. 93. 10. — [3]) Dan. 8. 16. — [4]) Apoc. 3. 7.

poris in sanctis hominibus facta experientia loquimur, ceterum sanctis animabus, quae jam exutae corpore [1]) sunt, vel etiam corporibus in spiritualem gratiam et virtutem commutatis qualiter vel quanta abundantia torrens ille voluptatis paradisiacus influat vel qua se intellectuum admiratione quantave se claritate lumen illud divinitatis in tertii coeli secretis mundis cordibus infundat nulli hominem in [2]) praesenti vita nosse vel loqui concessum [3]) est. Unde et Paulus eodem raptus, audivi, inquit, arcana verba, quae non licet homini loqui. [4]) Et bene sive in corpore sive extra corpus, ait, nescio. Quod ego non solum ad hoc arbitror pertinere, ut nesciret apostolus, utrum anima exuta corpore an corpus cum anima eodem raptum sit, sed ut sua referens nostra quoque in spiritu praedixerit. Talia enim illic et nostra futura aestimamus corpora, quae, cum natura simul et usu spirituali quinque sensuum corpora sint, pro spirituali tamen potentia et efficacia quodammodo corpora esse dubitari valeant. Unde et apostolorum illa de veritate corporis Christi a morte resurgentis ad horam extitit dubitatio eo quod januis clausis ad eos ingressus sit, sed: palpate, ait, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet. [5]) Similiter autem et nobis palpare et videre concedetur illic, ut de salute corporis nostri simul et animae illuminatione confirmatis in nos dubitare penitus non sinamur. Orietur enim nobis tunc plene sol justitiae, ut in tertii coeli claritate veram lucem immediate hauriamus per mundi cordis intellectum et sanitas in pennis, ut corporis quoque sensibus spiritualibus integris paradisiacas suavitates quodammodo palpando sentiamus. Itaque et nobis tunc rebus ipsis dicente Domino: palpate et videte inaestimabili quodam modo palpabimus et videbimus, palpabimus in paradiso per quinque sensus ejus hauriendo delicias, videbimus in tertio coelo divinae illuminationis hauriendo potentias procul pulsis, quas nunc per peccatum sustinemus, ignorantia et miseria.

---

[1]) cod. corpora. — [2]) in cod. deest „in." — [3]) cod. conc. non est. — [4]) 2 Cor. 12. 4. — [5]) Luc. 24. 39.

Cap. LXXIII.

De duplicitate sexus in regno non incongrua opinio.

Et hanc ego illic existimo sexuum fore duplicitatem an etiam alia sit non contradicens; hanc, inquam, ut quasi in muliebri et molliori sexu deputentur theoriae, quae in intellectibus peraguntur. Nam si licet nobis de futurae vitae theoriis secundum eas, quae in praesenti vita sanctis expertae sunt, judicare, theoria, quae in sensibus agitur, quasi muliebri habitu velata caput incedit, dum imaginum obscuris interdum significationibus obtexitur, dumque sensus spirituales virginea quadam verecundia ad torrentis divinae illius voluptatis ingressum obstupescunt, At vero theoricus intellectus ex tali matre divinissime natus ipse masculus filius est, qui et revelata facie gloriam Domini speculando ad eandem imaginem transformatur a claritate in claritatem tamquam a Domini Spiritu. Sic nimirum sic puerum Jesum cum matre ejus in superna illa Bethlehem, quae domus veri panis est, intra nosmetipsos omnes veri adoratores cultores salvantem nos inveniemus, regnum enim Dei intra nos est, quemadmodum nunc puerum Jesum etiam per picturas in gremio matris cernere christianus delectatur aspectus et sicut in terrena Bethlehem a tribus Magis corporaliter inventus et adoratus ac muneribus mysticis honoratus est. Nec vero contradixerim etiam carneis oculis visuros nos illic Dominum Jesum matremque ejus gloriosam coeli reginam, immo vero omnem angelorum sanctorum et hominum unanimem in Dei laudibus chorum, sed eisdem oculis carnalibus in spiritualem virtutem et usum commutatis, qualibus etiam nunc a sanctis angelis videtur Dominus Jesus ipsique se invicem mutuo contuentur. De quorum sensuum seu corporum spiritualium qualitate, potentia vel gratia nostrum disputare ac diffinire non est, eo quod nullus sensus vel intellectus, quamdiu in praesenti vivitur vita, capere idoneus sit, quemadmodum divinus loquitur Isaias dicens: Oculus non vidit absque te Deus, quae praeparasti diligenti-

bus te.[1]) Culpat autem et apostolus inquisitores ejusmodi temerarios dicentes, quali autem corpore veniunt, ita ut dicat: Insipiens tu, quod seminas, non vivificatur nisi prius moriatur etc.[2]) Unde sicut de resurrectione corporum humanorum dubitare non est fas, ita de qualitate resurgentium eorumque sensibus nulli mortalium ad plenum nosse concessum est. Illud vero secundum scripturae auctoritatem sentire rem nobis licet, quia replebitur illic in bonis desiderium nostrum, ut amplius non esuriamus, non sitiamus, sicut scriptum est: sancti non esurient neque sitient amplius[3]), et renovabitur ut aquilae juventus nostra, ne quasi nimis aduncato rostro delicias appositas more in senium declinantis aquilae capere nequeamus vel sensibus hebefactis modice gustatas fastidiamus. Erit enim illic et cum desiderio plenitudo et plenitudo carens fastidio, eo quod is, qui videtur et sentitur, plenus gratia et veritate sit. Plenus est veritate ut impleat; plenus gratia, ut fastidium plenitudinis tollat. Plenus gratia in paradiso ad sensum, plenus veritate in tertio coelo ad intellectum. Plenus gratia quasi ad nocturnae quietis dulcedinem plenus veritate ad meridianam illuminationem ac fervorem.

Quamvis enim vicissitudo diei ac noctis non erit illic, sed una dies nota Domino, tamen sopor ille paradisiacus deliciarum plenus potest anagogice pro nocturnae quietis gratia intelligi, unde et scriptura morientes in Christo solet dormientes appellare, eo quod sensus eorum in deliciis illis paradisi sopiti sint, facile excitandi a Domino cum voluerit. Sed nox illa sicut dies illuminabitur et nox illuminatio[4]) ipsorum in deliciis suis, quibus refecti ad hauriendam illam divinitatis ac tertii coeli quasi diurnam lucem validiores assurgant. Sic ascendunt et descendunt illic angeli supra filium hominis. Medius enim est ipsarum theoriarum Dominus Jesus, Deus et homo, humanitatis suae gratia nos refovens in paradiso, divinae majestatis splendore mirabiliter illuminans in coelo, sicut in picturis quoque inter matrem virginem et discipulum quem diligebat medius solet exhiberi, immo vero sicut in cruce medius amborum dolenter ab utrisque visus est. Medius,

[1]) Is. 64. 4. — [2]) I. Cor. 15. 36. — [3]) apoc. 7. 16. — [4]) Ex cantico „Exultet", quod in officio Sabbati sancti in ecclesia catholica canitur.

inquam, est et erit inter duas illas theorias Dominus Jesus utramque in se uniens utraque suos in se ipso ascendentes ac descendentes refovens, ascendentes ad contemplandam Verbi in coelo tertio claritatem, descendentes ad hauriendam carnis Verbi in paradiso suavitatem. Et cum altera ipsarum theoriarum suavior, altera sublimior sit, quae ipsarum alteri praeferri debeat potest dubitari. Quamvis enim una ipsarum propter alteram, illa videlicet suavitatis propter eam, quae est claritatis, videatur exhiberi, sicut non propter mulierem vir sed propter virum, ut ait apostolus [1]) mulier facta est, tamen quia rursum ait idem apostolus in Christo Jesu non esse masculum neque feminam[2]), sed omnes unum esse i. e. indifferenti honore vel gratia, quantum ad fidei spectat unitatem, pollere, ita et de istis duabus theoriis quasi masculo et femina sentiendum puto, ut apud Deum et in Christo, qui earum medius est, paris dignitatis et gratiae sint. Etenim etsi virilis sexus fortior et ad praedicandum verbum Dei constantior invenitur, muliebris tamen sexus devotior simul et officiosior atque ad obsequendum promptior est. Unde et sedulitas illa mulierum sanctarum circa sepulchrum Domini prior viris dominicae apparitionis consolationem meruit eisque resurrectionis gaudia nuntiavit. Visa sunt autem verba earum apostolis quasi deliramenta, eo quod ejusmodi theoriis, quae in sensibus fiunt vel imaginibus non semper vel temere credendum sit, sed hoc dumtaxat in vita praesenti, quamdiu adhuc tenebrae ad sepulchrum dominicum esse possunt, ita ut dici necesse in theoriis ejusmodi: noster es an adversariorum? Unde et Maria ipsum Dominum sustulisse Dominum ad horam arbitrata est, eo quod aliquantulum suspectas esse theorias tales oporteat, donec nos familiarius et quasi ex nomine alloquendo certificent. Dum vero theoricus intellectus quasi vir apostolicus etiam ipse suae illuminationis fructum ex ejusmodi theoriis acceperit omnis illa dubitatio conquiescit conversa nimirum tristitia ejus in gaudium. Ipse est enim, cujus, cum tempus fuerit, sonus in omnem terram exire oporteat, nimirum cum secundum gratiam sibi collatam vel scribere vel loqui coeperit aut aliud divinum

---

[1]) I. Cor. 11. 9. — [2]) Gal. 3. 28.

opus operari. At vero mulieri ejusmodi, de qua nunc anagogice sermo est, loqui non permittitur in ecclesia, eo quod secretum suum videlicet qualiter acceperit sibi esse debeat. Hae sunt enim aquae, quas habere soli debemus nec alienos participes admittere. Ipsum vero donum acceptum fontes sunt foras derivandi aquarum in plateis ad utilitatem aliorum aquae dividendae.

Cap. LXXVI.

Geminam theoriam in regno fructum esse communicati in Sacramento corporis et sanguinis Domini.

Et quidem discipulorum Domini sanctarumque feminarum de morte Domini tristitia, quae matris ac discipuli, quem diligebat Jesus, crucifixo adstantium animas validus pertransiit, viso ac palpato resurgente Domino in gaudium versa est, et sic universae ecclesiae virorum ac mulierum salutaris de morte Domini, quam pro peccatis nostris subiit, tristitia per duas has theorias quasi palpato ac viso in universali resurrectione Domino immo tunc vere palpato ac viso Domino in gaudium convertetur, siquidem et ecclesia per multorum milium tam mulierum quam virorum passiones pro Christo susceptas simul et per sacramentorum dominicorum perceptionem tristitiae discipulorum ac discipularum de morte Christi veraciter communicans etiam consolationis et gaudii consors veraciter efficietur. Sive enim baptismi lavacrum sive corporis et sanguinis dominici sacramentum utrumque nobis in morte Domini conditum est, nimirum sanguine et aqua de latere ipsius lanceato nobis in pretium simul et lavacrum profluentibus ipsaque nocte illa, qua capiendus erat, dicente de pane in manus suas venerabiles accepto: accipite et manducate ex hoc omnes, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; itemque de calice: accipite et bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum; hoc facite etc.[1]) His, in-

[1]) Math. 26. 26. seq. I. Cor. 11. 24.

quam, verbis veritatis morte Christi jam instante sacramentum nobis vivifici epuli praeparatum est, quod in fide accipientes mortis duplicis evademus laqueum, qui nobis a primis parentibus per vetiti pomi praesumptionem inductus est, nimirum justitia misericordis Domini id exigente, ut tantum credamus verbis ejus in salutem quantum a parentibus nostris deceptori diabolo creditum est in mortem. Atque, ut aestimo, gemini hujus sacramenti in futura vita gemina illa theoria res atque fructus est, ut quemadmodum in sacramento simul et re fideliter sumentes mortis laqueos evadimus primamque animae vitam conquirimus, sicut primus homo statim videlicet comesto pomo primo animae mortem incidit post etiam corpore certissime moriturus, ita illic rerum veritate sola effectuque sacramentorum communicantes vitam simul corporis et animae induamus aeternam. Dum itaque sensibus quinque corporis vel animae spiritualibus quasi solidum quid ex paradisi deliciis sumemus hic fructus esse putetur corporis dominici quod hic in sacramento sumptum est. Etenim illic Dominus veraciter non solum animae sed et corpori nostro spirituali spiritualiter more sponsi ac sponsae unietur cum sensus nostri casti et sacramentorum communione fideles quasi quinque prudentes virgines cum ipso sponso ad nuptias introierunt fatuis et fatuorum sensibus foras exclusis. Et ne llud quidem mirum sensus quinque nostros illic ad[1]) illius unionis gratiam admitti, sicut apostolus quoque sentit dicens, corpus nostrum non fornicationi sed Domino et Dominus corpori,[2]) cum ipse sponsus ecclesiae atque uniuscujusque sanctae animae Dominus Jesus pro ipsis quinque sensibus in nobis sanctificandis in proprio corpore quinque vulnera susceperit. Quid enim illic deliciarum paradisi quinque sensibus nostris de plenitudine illius accipientibus non importabit unione sui corporis cum et nos perfecte unum corpus et unus cum eo spiritus fuerimus sicut ait apostolus: Qui adhaeret Domino unus est[3]) et sicut una gloriatur sponsarum experimentis edocta jam inquiens corpus ejus corpori meo sociatum est. Quid, inquam, deliciarum illic quinque sensibus nostris unione sui corporis non portabit,

---

1) cod. ab. — 2) I. Cor. 6. 13. — 3) I. Cor. 6. 17. unus spiritus.

qui in hac vita et quinque plagarum vulnera pro eisdem sensibus sanctificandis et beatificandis sustinuit, quique ipsum corpus nobis sub specie panis alimentum vitale reliquit. Dum ergo ex corporis illius unione, quod utique paradisus nobis verus est, sicut nostra quoque corpora ex eadem unione paradisus effecta paradisi augent amplitudinem, dum, inquam, ex tali unione solidae illius ac paradisiacae dulcedinis gratiam per quinque sensuum spiritualem usum sumimus sicut scriptum est: torrente voluptatis tuae potabis eos[1]), hoc est panem illum coelestem aeternaliter in regno Dei comedere. Cum vero ex ipso luminis aeterni fonte mentibus puris liquamen illud sapientiae immediate hauriemus sicut scriptura ait: in lumine tuo videbimus lumen[2]), hoc est in illa sapientiae mensa calicem illum novum in regno Dei atque in tertio coelo bibere, quo inebriati in gratiarum actione dicamus: et calix meus inebrians quam praeclarus est.[3]) Haec est utique mensa coelestis convivii, quam Filius Dei Dominus Jesus discipulis suis promisit dicens: Vos estis, qui permansistis mecum in temptationibus meis et ego disponam vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.[4]) Et o mira circa nos divinae pietatis in Domino Jesu dignatio, qui propriae passionis suae angores plagasque vulnerum nobis in sanctificationis lavacrum et in vitae commutavit epulum, quae et hic suaviter et absque difficultate a nobis in sanctificationis fructum sumuntur et a quibus in regno secundum duas jam saepe dictas theorias vita aeterna speratur et sumitur.

Cap. LXXV.

Theorias sive sensuum sive affectus sive luminosi intellectus diverse in regno dispensari idque in regno Dei diversas esse mansiones.

Sane ipsae theoriae non omnibus uniformiter sed diverse juxta meritorum diversitates distribuuntur, dividente uno eodemque

[1]) Ps. 35. 9. — [2]) Ps. 35. 10. — [3]) Ps. 21. 5. — [4]) Luc. 22. 29.

Spiritu prout vult et prout cuique ante meritorum diversitates praerogavit. Non potest autem velle Spiritus sanctus, nisi quod vult Pater et Filius, a quibus et quorum voluntas ipse est, qui volunt unicuique reddi secundum opera ejus. Igitur ipsarum theoriarum diversitates ipsae sunt diversae in regno Dei mansiones, de quibus Dominus in Evangelio, in regno, inquit, Patris mei mansiones multae sunt.[1] Et haec sunt, quae nobis de tertii coeli ac paradisi diversitate, quasi a lipientibus de lumine, dicenda visa sunt, non dubitantibus majora et sublimiora illic inveniri quam valeant ab ullo mortalium aestimari. Quis enim digne vel sicut est impletionem hujus promissi aestimare valeat, quod ait Dominus: si quis diligit me, sermonem meum servabit et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus,[2] itemque illius: si quis diligit me diligetur a Patre meo et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum.[3] Quid enim est gratiarum aut gloriae quod possit deesse, ubi auctor boni totius Deus Pater et Filius et amborum dilectio Spiritus sanctus semetipsum rationali creaturae sicut est communicabitur. Quales nos illa manifestatio perficiet apostolus Johannes interrogatus respondeat: Scimus, inquit, quoniam cum apparuerit similes ei erimus, videbimus enim eum sicuti est.[4]

Cap. LXXVI.

De videndo Deo sicuti est.

Quid est videre eum sicuti est, nisi quemadmodum ipse invariabilis gratia et lux est ad se communicandum, de quo scriptum est, qui est misit me,[5] quique de se ipso, ego sum qui sum [5]), et de quo psalmista, tu autem idem ipse es,[6] ita nos quoque per ipsum impermutabiles erimus ad capiendum et hauriendum! Unde apostolus vas electionis: Videmus, ait, nunc per speculum et in aenigmate, tunc autem facie ad

[1]) Joan. 14. 2. — [2]) Joan. 14. 23. — [3]) Joan. 14. 21. — [4]) I. Joan. 2. 3. — [5]) Exod. 3. 14. — [6]) Ps. 101. 28.

faciem, nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.[1]) Videbimus in coelo tertio facie ad faciem i. e. indeficienter, sicut ipsa est indeficiens, lucem aeternam sapientiam a fine ad finem fortiter pertingentem, cognoscemus in paradiso eandem sapientiam Deum et Christum Jesum omnia suaviter disponentem nobisque amplexu quodam inaestimabili paradisi delicias per Spiritum sanctum infundentem, quas quinque corporis nostri spirituales quasi quinque virgines atque animae sensus indeficienter ac plene haurient, quod est ipsum cognoscere sicuti est. Sicut enim illae deliciae inaestimabiles atque indeficientes sunt, sic inaestimabiliter atque indeficienter hauriemus, etenim illic non satiabitur oculus visu nec auris auditu, eo quod illae deliciae nec onus ventri inducunt nec stercus conficiunt. Spiritus enim est Deus Pater et Filius sicut is quoque, qui ab utroque procedit, Spiritus amborum, non solum Spiritus sed et spirituum spiritus est, nimirum potens non solum corpora sed et animas omnesque spiritus penetrare, quod solius Dei esse cognoscitur. Unde et spirituum rationabilium omnium solus ipse vita est. Nam angelus quidem sive bonus sive malus ingredi quidem cavernas orporis valet, sicut vini quoque vapor aut febris ingreditur, animam vero ingredi atque implere solius, ut diximus, Dei est Patris et Filii atque Spiritus sancti ab utroque procedentis.

[1]) I. Cor. 13. 12

Tractatus contra Graecorum errorem negantium Spiritum s. a. Filio procedere.

1 Sed dum Spiritum sanctum a Patre simul et Filio procedere secundum romanum symbolum dicimus Graecorum auditum offensimus negantium Spiritum sanctum a Filio procedere. Nam solius, inquiunt, Patris proprium hoc est de se Spiritum sanctum emittere sicut Filium quoque ex se generare. At nos magis Evangelio atque apostolicis litteris quam Graecorum vaniloquiis intendimus. Quid enim nobis aliud Dominus Jesus stans in medio discipulorum significare voluit insufflando et docendo Spiritum sanctum, nisi ut sciremus ipsum non minus potentem Patre de se Spiritum sanctum emittere, data nimirum non solum Verbo in eo, quod genitum est, sed etiam homini propter obedientiam consummatam, sicut ipse testatus est resurgens a mortuis, omni potestate in coelo et in terra. Unde idem filius alias quoque testatur dicens: quaecumque enim ille et Pater facit haec et Filius similiter faciet.[1]) Item. Sicut enim Pater, inquit, habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.[2]) Quae est autem vita i. e. potestas vivificandi mortuos, de qua spiritualiter in hoc dicto agitur, nisi Spiritus sancti insufflatio, sine qua nullus mortuorum sive in anima sive in corpore plene vivificari potest? Nam quomodo membrum pretiosum a corpore vitali spiritu alienum mortuum est, ita qui a corpore Christi, quod est ecclesia, extraneus est, utpote vitali spiritu Christi carens, in anima mortuus est. Unde apostolus: qui, inquit, Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.[3]) Qui autem

[1]) Joan. 5. 19. — [2]) Joan. 5. 26. — [3]) Rom. 8. 9.

non est ejus, qui de se loquitur dicens: ego sum resurrectio[1]) et vita, quomodo vivere potest? Unde item apostolus: Qui habet Filium habet vitam, qui non habet Filium non habet vitam.[2]) Et quid ultra quaerimus, cum in hoc dicto apostolico, qui non habet spiritum Christi hic non est ejus, Spiritum sanctum non solius Patris sed et Spiritum Filii et Christi esse teneamus? Hoc autem et alias idem apostolus plane confitetur dicens. Quoniam estis, inquit, filii Dei misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: abba, pater?[3]) Quid huic veritati Graecus contradicit? Nam si Spiritus sanctus Spiritus Filii Dei atque hominis Christi est, immo vero quia absque contradictione Spiritus ejus est, quomodo eum de se ad communicandum aliis emittere potens non est? Quasi vero solem de mundo tuleris, cujus calore ac splendore vitam terrenam carpimus totusque vegetatur mundus, si Dominus Jesus verus sol caloris et splendoris sui radios secundum assertionem tuam in me atque in omnem maxime rationalem creaturam transmittere impotens est: Quid mihi prodest, quod Filius Dei mea ex me factus homo suscepit, si, quae sua sunt, mihi conferre non poterit? Suum autem esse spiritum apostolico testimonio probatum est. Suum, inquam, i. e. Filii Dei, suum hominis Christi, qui unus est filius hominis atque Dei.

2 Puto autem, quod plene Graeco praevaluerimus, si quod ipse generaliter Filio Dei i. e. non solum homini facto sed Verbo aeternaliter a Patre genito negat, nos in hominis filio Christo Jesu non solum evangelicis et apostolicis insuper vero propheticis testimoniis monstraverimus. Quid enim est aliud, unde supra diximus, quod Dominus stans in medio discipulorum suorum humanitus insufflavit dicens: accipite Spiritum sanctum[4]) etc. nisi ut sciremus sanctum vivificationis spiritum dari nobis per hominem Christum. Unde et apostolus spiritum Christi dicere non dubitavit, unde item supradictum est. Nam sicut per hominem mors, ita et per hominem resurrectio et vita mortuorum.[5]) Probat hoc et apostoli Johannis divinissima revelatio

[1]) Joan. 11. 25. — [2]) I. Joan. 5. 12. — [3]) Gal. 4. 6. — [4]) Joan. 20. 22. — [5]) I. Cor. 15. 21.

dicentis: Vidi, inquit, in medio throni et animalium et in medio seniorum agnum stantem tamquam occisum habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt spiritus Dei missi in omnem terram.[1]) Quid de hac revelatione divinissima tibi videtur o Graece? Quem enim alium dicas esse hunc agnum, quam hominem Christum, non invenies. Numquid ergo de hoc agno cornua ipsius septem atque oculorum ejus septem radii non procedunt? Quia igitur de agno, homine videlicet Christo, cornua ipsius atque oculorum ejus radii procedunt, ipsa vero cornua et oculi septem sunt spiritus Dei teste Johanne in omnem terram missi, itaque necesse est fateare Spiritum Dei de agno Christo Dei atque hominis filio procedere aut apostolum tantum in spiritu Dei loquentem mentitum esse, quod utique dictum nefas est.

3 Audi vero et prophetica super eodem verbo testimonia. Numquid apud Ezechielem non legisti, templum ab eo visum, de cujus latere dextro aquae egrediebantur, quae ad quoscumque venerunt salvi facti sunt? Non manufactum est hoc templum salutares fundens aquas, sed ipse est vivens et vivificans Dominus Jesus, qui in eo quod homo templum, in eo vero quod Deus templi habitator est. De quo templo aquae egredientes non aliud quam spiritus ejus est, sicut evangelica nos veritas edocet. Ipso namque in die magno solemnitatis stante in templo ac dicente de se: si quis sitit veniat ad me et bibat et de ventre ejus fluent aquae vivae[2]) subjecit Evangelista dicens: Hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Igitur ipse templum et aqua de templo egrediens spiritus ejus secundum evangelicam et propheticam veritatem intelligendus est et hujus vivae ac vivificae aquae illa salutaris aqua signum fuit, quae de latere ejus in cruce lanceato manavit. Quod vero haec aqua de latere templi dextro egredi visa est hoc significare Spiritus sanctus voluit, quod homo Christus Jesus vivum et verum ac singulare Dei templum, quamvis aquam hanc, sanctum videlicet Spiritum, fundat ac fundere in eo quod homo est potens sit, non tamen ex eo quod est homo fundere

[1]) apoc. 5. 6. — [2]) Joan. 7. 38.

potens est, sed ex eo quod Deus, quod quasi latus ejus dextrum est. Unde est et illud, quod ex eodem Spiritu ait idem Dominus Jesus: Quem ego, inquit, mittam vobis a Patre.[1] Quod idem est ac si dixisset: ex paternae nativitatis jure vel potestate. Quod tamen et aliter intelligi non inconvenienter valet, ut hoc sit dictum a Patre: cum in paternae dexterae gloriam fuero exaltatus, unde est et illud, nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus non fuerat glorificatus.[2])

4 Non autem negamus, immo vero cum Evangelio adstruimus, etiam a Patre i. e. a Patris persona eundem spiritum sanctum procedere sicut ait filius: qui a Patre procedit.[3]) Procedit enim a Patre non solum in nos, sed et in ipsum procedit aeternaliter atque ab aeterno processit filium, multo vero aliter in ipsum atque in nos vel quemlibet excellentissimum angelorum. In ipsum enim processit tamquam in Filium Patri consubstantialem, cujus omnia sunt, quae Patris sunt, in eo quod eum Pater talem genuit, ut hunc vivificationis et renovationis Spiritum non minorari jure vel potestate, quam Pater suus cui vult et dignatur dare possit. Hinc enim est illa filii confessio superius commemorata: sicut Pater habet vitam in semetipso sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. Quod nulli umquam angelorum vel hominum concedi debuit aut concessum est. Hoc enim solius divinitatis est privilegium, ut[4]) cum Patre de se dare hunc vivificantem Spiritum possit, utpote suum ac de se procedentem, ipse quoque Spiritus tamquam Deus propriae libertatis jure ubi vult spiret. Solus filius secundum haeresim tuam o Graece hac libertate simul et potestate quasi degener privatus est, ut hunc vivificationis spiritum, has gratiae suae divitias, quibus absque dubio plenus est, in alios participes ac dilectores suos transfundere non posset? Aut quomodo participes ejus secundum psalmigraphum aliqui dicendi sunt, quae ea quae illius sunt ab ipso utpote nihil impertinente secundum sensum tuum non accipiunt? Non hoc sensit Johannes amicus sponsi, sed de plenitudine, inquit, ejus omnes nos accepimus et gratiam pro gratia.[5]) Non hoc sensit tecum psalmista, qui in gratiarum actione patri

[1]) Joan. 5. 6. — [2]) Joan. 7. 39. — [3]) Joan. 15. 26. — [4]) cod. aut. [5]) Joan. 1. 16.

loquitur dicens: Filii hominum in tegmine alarum. Inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis tuae potabis eos.[1]) Et quasi quaereret quis: Unde Patri haec suos inebriandi facultas, subdit dicens: Quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen.[2]) Quis enim est alius fons vitae foecundus apud Dominum Patrem ens, nisi hic unigenitus ejus, Verbum ejus, quod Johannis testimonio in principio erat apud Deum? Aut quae est haec vita de tali ac tanto fonte manans, nisi consubstantialis amborum spiritus rationalem creaturam vitali calore sensificans, vegetans, innovans et illuminans? Neque vero in Deo contrarium est fontem simul esse ac lumen. Reficit enim, purificat atque innovat quasi fons et illa refectio atque innovatio sanctorum illuminatio est. Nam si unusquispiam dicere potuit, gustans gustavi de melle et illuminati sunt oculi mei, quanto magis spiritus sapientiae super mel dulcis suo in lapsu animas vivificat, solatur et illuminat? Unde et psalmista praemisso, ut praedictum est, quoniam apud te est fons vitae, consequenter subdit: et in lumine tuo videbimus lumen. De semetipso item Dominus Jesus cum samaritana illa talia locutus est, ut nemo dubitare sinatur, quin ipse tamquam fons vitae ac luminis aquam vivam, quae testimonio evangelico non aliud quam Spiritus sanctus est, de se dare ac fundere potens sit. Qui biberit, inquit, aquam, quam ego dabo ei non sitiet iterum sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam[3]) et plura in hunc modum. Aut quaenam aqua alia est vel esse potest de Christo fonte procedens in vitam aeternam bibenti proficiens, nisi Spiritus sanctus? Quamvis enim et de doctrina ejus hoc dici vere valeat Evangelista, tamen de Spiritu sancto, quem accepturi erant, credentes in eum ejusmodi verba ipsum esse locutum, ut supra docuimus, manifestat.

5 Si vero tu contentiosus non acquiescis sanae doctrinae, quae est secundum Evangelium gloriae Dei, mihi tecum diu sermonem conserere propositum non est. Vide autem, ne Arius in te revixerit, minorem potentiam in Filio quam in Patre spiritu-

[1]) Ps. 35. 9. — [2]) Ps. 35. 10. — [3]) Joan. 4. 14.

que sancto confitente. Nam cum Pater de se Spiritum dare possit, itemque Spiritus sanctus semetipsum dare potens sit, utpote ubi vult spirans et dividens singulis dona sua prout vult, cum Filius secundum tuam doctrinam in hac parte impotens sit, secundum te Deus verus non erit. Hoc enim solo excepto, quod, si fieret personarum confusionem induceret, nihil unaquaelibet[1]) in trinitate personarum potest, quod alteri impossibile vel minus possibile sit. Nam quod Pater solus potuit talem sibi videlicet consubstantialem filium generare, cum filius aut Spiritus sanctus hoc ipsum non possit, non est impotentiae sed convenientiae deputandum. Inconveniens enim esset, si filius sibimet ipsi Pater existeret vel alium de se sibi coessentialem Filium generaret. Hoc enim esset secundum Sabellium personas confundere aut ultra ternarium multiplicare. Quod utique inconveniens sicut nullum quoque aliud in Deum cadere impossibile est, nec in hoc ullius in Trinitate personae potentia minuitur, sed salvatur, quod omne apud eam inconveniens impossibile est. Jam vero si ista pauca apud te non proficiunt nec plura posse apud te proficere arbitror.

6 Unde cum mihi sermo tecum breviandus sit, veniam ad argumenta, quae unus tuorum sapientum regis tui ad nostrum imperatorem in una domorum nostrarum p i t a t i o[2]) inscripta reliquit. Quasi enim non tibi sufficiat soli errare nostros quoque in errorem tuis argumentis mittere conaris. Argumenta ipsa subjungimus, si forte annuente Domino dissolvere valeamus.

7 **Graecus.** Si quoniam, inquis, unum sunt Pater et Filius, sunt autem omnino unum natura, ideo quemadmodum de Patre, ita et a Filio concedendum est procedere Spiritum sanctum hoc enim vaniloquium latini spiritus exigit, concedendum utique eadem ratione esset et Filium necessario, sicut a Patre, ita et a Spiritu generari, quia et Pater et Spiritus unum sunt natura. Sin autem κινδύνῳ i. e. periculo[3]) demonstratur Spiritus non unum esse cum Patre et Filio et rursus audacior efficitur Macedonius. Omnino fides nostra fixum tenet unum esse natura Patrem et Filium et Spiritum sanctum.

Latinus. Quaero autem a te, quis umquam sapiens Lati-

---

[1]) cod. ima quacl. [2]) Πειθοῖ sermo persuasorius a verbo πείθω persuadere. [3]) cod. Kyndedo.

norum concessit tibi, quod quia duae aliquae res unius naturae sunt v. gr. duo homines, statim necessario consequi, id quod de una ipsarum procedit ex alia procedere, cum frequenter uno sermonem proferente alius taceat, uno spiritum attrahente alius emittat, sed ne idem quoque flatus corporaliter ab utroque procedat? Unde ergo tibi tale argumentum, ut quia unius naturae sunt Pater et Filius ideo Spiritum sanctum, qui a Patre procedit a Filio procedere? Nam quod alicubi fallit ubique repudiandum est. Non negamus autem unitatem naturae in Patre et Filio ad hoc proficere, ut Spiritus, qui a Patre procedit, etiam a Filio procedat, sed non sola ipsa hujus rei vel principalis causa est, siquidem relationis vis, quae inter Patrem et Filium et amborum Spiritum est in hoc ipsum amplius facit. Est autem relatio Patris et Filii ad amborum Spiritum tamquam datoris ad donum, mittentium ad missum, et si dici convenit spirantium ad spiramentum. Quod si identitati naturae et non personarum ac relationis differentiae processio spiritus adscriberetur, tale utique sequeretur inconveniens, ut duae personae, Filii scilicet ac Spiritus sancti, vicissim ex alterutris essent, sicut in argumentatione Graeci ex falso falsum illatum est.[1]) Quod in subjectis quoque naturalium patebit exemplis, v. gr. arbor ejusque ramus, si quoniam unius naturae et substantiae sunt, necesse est, ut flos sive fructus arboris ac de arbore egrediens de ramo quoque arboris procedat, consequetur a simili, ut quia unius naturae sunt arbor et fructus, ut ramus de arbore procedens de fructu quoque arboris procedat. Item vena fontis et fons si quoniam unius naturae et substantiae sunt, rivus ex uno manans de altero quoque manet necesse est, consequetur a simili, ut, quia unius naturae et substantiae sunt, vena ejusque rivus fons de vena prodiens de rivo quoque procedat. Unde palam est in his primam hypotheticam ex relationis proprietate potius quam ex naturae identitate veritatis suae constantiam obtinere. Undecumque enim falsum sequitur, ipsum quoque falsum esse monstratur. Est autem non incongrua similitudo de vena fontis ipsoque fonte et amborum rivo ad Patrem et Filium et amborum Spiritum, quod psalmistae quoque probat in spiritu loquen-

[1]) cod. falsum est illatum est.

tis auctoritas. Quoniam, inquit, apud te est fons vitae.[1]) Dominum enim Patrem cui loquitur tamquam fontis venam constituit fontem Filium, qui ad se bibendum sitientes invitat dicens: si quis sitit veniat ad me et bibat, vitam de vena ac fonte procedentem Spiritum sanctum volens intelligi. Sicut itaque vena fontis et fons non ex eo, quod uterque unius naturae i. e. aqua sunt, de se rivum producunt, sed potius ex eo, in quo ab alterutrum differunt et tamquam causa ad causatum referuntur, ita Pater vena et fons Filius non ex eo quod unius naturae i. e. unus Deus sunt, sed potius ex eo quo unius naturae subsistentes singuli a se invicem simul et Spiritu sancto personalibus proprietatibus discreti sunt quoque ad Dei vicem referuntur eundem ex se Spiritum sanctum in corda et ventres rationalis creaturae emittunt. Quo hausto et repletae dilectae ac diligentes animae memoriam suavitatis divinae loquendo interdum etiam scribendo eructare consueverunt.

Primae itaque propositionis suae veritate non constante noverit se Graecus in argumentatione sua corruisse. Quamquam et hoc adversus Graecum faciat, quod argumentum a simili datum non magnam vim apud philosophos obtinet; similitudo enim, ut ait quis, mater deceptionis est. Pariter et hoc sciat Graecus, fidei nostrae fundamenta non argumentis rationum vel argumentorum rationibus sed scripturarum auctoritatibus constare. Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Christi.[2]) Et nisi credideritis, ait scriptura, non intelligetis uti ne prius ex rationum argumentis intelligere quam credere velimus. Et scimus, ait apostolus, cui credidi, credulitatis suae causam in auctore fidei Christo, quam in argumentis rationum constituens. Legimus autem in scripturis spiritum Christi et spiritum filii Dei sed eundem Christum Dei filium versa vice filium Spiritus sancti non legimus, unde jure illud recipimus, istud improbamus. Multa vero et alia processionis Spiritus sancti ex Filio nobis documenta sunt, quae supramemorata nunc in tanto repetere opus non est.

8 **Graecus.** Si unus est Spiritus et perfectus quia Deus, unus vero Deus et perfectus quia et bonus, et una utique est et

[1]) Ps. 35. 10. — [2]) Rom 10. 17.

perfecta principalis ejus causa. Si vero non ex uno hoc solo sed et a Filio neque hic ergo unus. Quomodo enim unum, quod non ex uno neque cujus principalis causa unum, sed duo Pater et Filius? Et neutrum horum perfectum sed et imperfectum, in quantum indigent sui ad invicem ad emissionem Spiritus. Neque ipse igitur Spiritus perfectus. Quomodo enim perfectus ex imperfectis? Nihil enim perfectum ex imperfecto. Et sic dyarchia monarchiam a simplici expellit deitate.

Latinus. Primo quod ait Graecus: si unus est Spiritus et perfectus, quia Deus; unus vero Deus et perfectus quia bonus, et utique est et perfecta principalis ejus causa, bene et fideliter dictum concedimus, siquidem unius Spiritus et perfecti, una et principalis et perfecta est causa, unus solus et verus Deus Pater et Filius. Quod autem subjicit, si vero ex uno hoc solo videlicet Patre sed et a Filio neque hic ergo unus et cetera ad idem pertinentia quodque subjicit ex imperfectis, quales nos existimare putat, Patrem et Filium atque alteriusutrius ope ad invicem indigentibus quantum ad emissionem Spiritus, quod, inquam, ait ex taliter imperfectis nihil perfectum esse posse, nos falsum esse monstramus; siquidem in naturalibus ex duobus parentibus alteriusutrius ope invicem ad generandam prolem indigentibus singulisque ad idem perficiendum imperfectis, unus nascitur filius atque idem in suo genere perfectus, videlicet ex anima rationali et humana carne subsistens. Non autem nos arbitramur, sicut Graecus nobis impingit, vel Patrem vel Filium ad ullam rem quam volunt peragendam imperfectos existere, quantominus ad emissionem Spiritus, utpote quod utrisque naturale est, sicut igni de se calorem seu flammam emittere, sicut rationali quoque creaturae homini vel angelo naturale est vel amare vel odisse. Alioquin sancta vita et aemulatio sanctorum angelorum et hominum jam olim extincta fuisset, nisi hic vitalis calor, nisi hic torrens divini amoris sanctaeque voluptatis de sede Dei Patris et Agni jugiter inter eos tamquam a sua vena et fonte procederet. Nunc vero quoniam is, qui genuinnm calorem animantibus inseruit etiam ipse validissime amat, sicut qui plantavit aurem finxitque oculum etiam ipse prae omnibus audit et considerat hinc est, quod rationalis creatura

torrente divini amoris, qui Spiritus ejus est infusa etiam ipsa redamare non cessat. Ad hunc amorem uterque, Pater scilicet ac Filius, emittendum de se perfectus sufficiens ac potens et liber sui est, quamvis is, qui ab eis procedit, amor ac vitalis calor non divisus sed unus et individuus est, sicut rivus non alius et [1]) alius sed unus atque idem fontis qui et venae est. Hunc namque vitalem calorem et amorem, hanc vitam sicut Pater indeficienter ac plene habet in semetipso sic dedit et Filio habere in semetipso. Et perinde hoc ipso vitali calore, sicut Pater quos vult vivificat, ita et Filius eodem vitali calore quos vult vivificat, nec minus potenter ipse quam Pater. Non vult autem alios vivificare Filius quam quos et Pater vult, nec alios Pater quam vult et Filius, eo quod summa inter eos unitas sicut potentiae ita et voluntatis sit. Itaque non sicut tu dicis dyarchia monarchiam sed monarchia dyarchiam expellit, eo quod sicut unus est Deus Pater et Filius, ita et potestas amborum similis voluntas quoque amor et Spiritus non divisus sed unus sit.

9 Graecus. Spiritus processio, quae a Patre et Filio est, vel una et eadem est, vel alia et alia. Si quid una, commune est duorum Patris et Filii emittere Spiritum ex se ipsis, non igitur proprium est Patris. Quod enim proprium est commune non est, neque quod commune proprium. Sed est proprium Patris ex se emittere Spiritum, competit enim confiteri et istud, Patrem esse Patrem perfectum et ex se ipso generare Filium simul et emittere Spiritum et totum hoc ei πατρικόν attribuere idioma, quemadmodum et Filio generari et Spiritui ex ipso procedere. Et quomodo commune fit proprium, nisi et Pater et Filius in unam coadunentur personam? Et hinc rursus Sabellius revixit, quod enim unum est et personale idioma unius necesse est esse personae. Si vero non una et eadem, sed alia quidem, quae a Patre, alia vero quae a Filio Spiritus processio vel simpliciter hae duae diversae vel etiam contrariae. Si quidem contrarias eas dicere Marcionis Pontici et Manetis Persae est haeresis, qui contraria duo asserunt principia. Si vero simpliciter processiones diversae quae earum

---

[1]) cod. sed.

differentia et quomodo quod ex his existit unum est et simplex non duo vel compositum?

Latinus. Diffinitum apud fidem nostram scias, unam esse processionem Spiritus sancti a Patre et Filio nec esse aliam atque aliam. Quod vero exinde pro inconvenienti infers, siquidem una commune est duorum Patris et Filii emittere Spiritum ex se ipsis et non igitur proprium est Patris. Quod enim ais proprium est, commune non est, neque quod commune proprium, hoc non pro inconvenienti repellimus, sed pro convenientissima recipimus veritate. Quod deinde subjicis dicendo sed est Patris proprium ex se ipso emittere Spiritum, competit enim confiteri et istud Patrem esse Patrem perfectum et ex se ipso generare Filium et emittere Spiritum et totum hoc ei attribuere idioma quemadmodum et Filio ex ipso generari et Spiritui ex ipso procedere, hoc inane est graeci spiritus figmentum tuaeque sententiae non secundum scripturas facta positio, de qua penitus non curamus, hoc solo excepto, quod nobiscum confiteris Patri competere esse perfectum et ex se ipso generare filium. Nam Spiritum sanctum emittere non ei proprium sed Filio una cum ipso commune est. Aut si hoc totum, quasi unum paternum idioma dixeris Filium de se generare et Spiritum sanctum emittere eo quod hoc totum nulli in Trinitate personae propter[1]) Patrem conveniat, nequaquam illi veritati contradixerunt, sed audi me quoque versa vice tibi dicentem etiam Filii hoc totum simul esse proprium, a Patre Deo genitum esse Spiritumque sanctum de se producere. Neque enim et hoc illi in Trinitate personae praeter Filium competere manifestum est, sicut Spiritui quoque sancto soli proprium est de Patre simul et Filio procedere. Aut si hoc Spiritui sancto negaveris de Patre scilicet et Filio procedere quod ei proprium assignes puto non facile invenies. Nam si hoc solum ei proprium dixeris de Patre procedere, ego idem tibi Filium de se confitentem demonstrem. E g o e n i m, inquit, a D e o p r o c e s s i e t v e n i[2]). Dum ergo verbum processionis a Patre non in solo Spiritu sancto sed et in Filio invenias, quaere si potes aliud

---

[1]) praeter? — [2]) Joan. 8. 42.

Spiritui sancto proprium, nam verbum et significatum processionis secundum te a solo Patre non ei jam proprium sed cum Filio commune est.

10 Et hoc quidem de processione non solum Spiritus sancti sed et Filii a Patre contra Graecum dictum sit. Nam nos Latini inter processiones illas Filii Spiritusque sancti a Patre differentiam esse non nescimus. Proprium namque est Filii semel a Patre genitura perfecta processione ad creandam mundanae facturae machinam cum his quae in eis sunt, unde idem Filius de se loquens praeterito perfecto verbo usus est: ego enim a Deo processi et veni. At Spiritus sancti processio cum et ipsa perfecta sit, non tamen perfecta sed semper ad innovationem rationalis creaturae a Patre Filioque procedit atque in aeternum procedere non desinit. Propter quod idem Dominus de processione ejusdem Spiritus sancti loquens non praeteriti perfecti sed praesentis temporis usus est verbo dicens: Spiritus qui a Patre procedit![1]) Sic ergo erit proprium Filio semel a Patre processisse vel genitum esse, sicut Spiritui sancto proprium est semper a Patre Filioque procedere. Nam quod et a Filio procedat multis scripturarum testimoniis confirmatum est. Unde superflua est illa Graeci admiratio dicentis: quomodo fit commune id quod proprium est, nisi et Pater et Filius in unam coadunentur personam? Et quasi inclamans. Et hic rursus, inquit, Sabellius revixit. Quod enim unum et personale idioma est unius inecesse est esse personae. Haec omnia Graecus convenienter inferret, si proprium Patris esset de se Spiritum emittere et non idem Patri cum Filio commune Latinus confiteretur. Nunc vero cassa erit ejus de sabelliana haeresi inlatio, quoniam et unam communem[2]) Spiritus sancti processionem a Patre simul et Filio confitemur; sicut unus rivus communiter de fonte fontisque vena procedit et Patrem tamen ac similium propriis ab invicem differentiis distare non negamus.

11 Et haec fidei nostrae a Patre simul et Filio processionis Spiritus sancti confessio subsequentia quoque Graeci verba

---

[1]) Joan. 15. 26. — [2]) cod. commune.

explodit, quibus ventum verberans ait: Si vero non una et eadem, sed alia quidem, quae a Patre; alia vero, quae a Filio, Spiritus processio vel simpliciter hae duae diversae vel contrariae. Sed quidem contrarias eas dicere Marcionis Pontici et Manetis Persae est haeresis, qui contraria duo asserunt principia. Si vero simpliciter processiones diversae, quae earum differentia et quomodo, quod ex his duobus existit, unum est et simplex et non duo vel compositum? Haec, sicut dictum est, nihil faciunt contra nos, qui non aliam atque aliam, sed unam eandemque Spiritus sancti processionem a Patre et Filio confitemur. Ubi enim unitas procedentis et processionis est ibi contrarietas vel diversitas processionum locum non habet. Quamvis non omnem diversitatem processionis Spiritus a Patre Filioque a fide nostra excludamus. Procedit enim a Patre sicut a primo et principali principio, procedit a Filio sicut a principio de principio. Procedit a Patre sicut rivus de sua et fontis vena, procedit a Filio sicut rivus de fonte venae ac suo.

12 At haec differentia magis personarum Patris et Filii quam processionis vel procedentis ex eis Spiritus sancti est, cum non minori potentia et efficacia simulque perennitate a Filio, quam a Patre procedat, quamvis totam illam efficaciam Spiritus dandi ex se Filius a Patre, a quo est, possideat. Unde est illa Filii confessio jam supra memorata: Sicut Pater habet vitam in semetipso sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. In quibus verbis et Patri defert quod est, quodque Spiritu suo alios i. e. mortuos vivificare et conservare potens est, nihil tamen minus esse confitens, quod ipse paternae generationis privilegio est consecutus. Etenim sicut noster ait Hilarius et ratio consentit: Patrem quidem generatio majorem constituit sed Filium minorem nativitatis natura non patitur. Unde ad emittendum quoque Spiritum etsi Pater, dum Pater est, major est, Filius, dum Filius est, ad idem peragendum minor non est.

13 Quod vero Graecus inquirit, quomodo, quod ex duobus diversis existit, unum esse potest, multa in naturalibus hujus rei suppetunt exempla, v. gr. Vena fontis et fons propriis inter se distant differentiis et tamen qui ex eis procedit rivus unus est.

Item pater et mater diversi parentes et homines sunt et tamen quae ex eis procedit proles una est. Quae etiam non dimidia unius et dimidia alterius parentis est, sed tota utriusque parentis esse dignoscitur. Et haec dicimus non quasi duorum parentum filium seu filiam sanctum constituentes Spiritum, sed unitatis unius rei ex duobus principiis afferentes exemplum. Alioquin jam duo essent in Trinitate filii vel filius et filia, quod a fide nostra penitus alienum est.

14 Et haec inserere nostro huic opusculo visum est, ne Graecorum errori, quem nobis ingerunt, taciti acquievisse vel falsae illorum argumentationi contraire non potuisse videamur. Quos non mirum est offerre fermentatum, eo quod fides eorum errore tali fermentata in azymis sinceritatis et veritatis non sit. Sicut enim panem non solidum sed vacuitatis plenum offerunt, ita et soliditati potentiae Christi quantum ad fidem eorum non parum vigoris detrahunt, qui ex ipso Spiritum in nos vivificantem non procedere contendunt, contra quod scriptum est de Aser, quod interpretatur beatus: *Aser pinguis panis ejus et praebebit delicias regibus*[1]). Quae namque beatitudo deliciarum ecclesiae in Christo pane suo esset, si non de ipso corpore ejus, quod in altari sumimus, Spiritus sancti in nos pinguedo procederet?

15 Et haec quidem nobis disputationis pugna contra Graecos modernos fidemque ipsorum depravatam extiterit; nam antiqui et orthodoxi patres graeci Didymus atque Athanasius insuper et sancta Ephesina synodus non contra nos, sed contra eos pro nobis est. Quorum etiam verba subjungimus, ut si non nostris vel suis Graecus cedat doctoribus. Athanasius in symbolo: „Spiritus, inquit, sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.“ Item ex symbolo[2]) Ephesini concilii ducentorum episcoporum, quod habitum est contra Nestorium: „De Spiritu dicit

---

[1]) Gen. 49. 20. — [2]) Errat Gerhohus, nam locus iste ex epistola s. Cyrilli Alexandrini ad Nestorium depromptus est. Mansi collect. conc. ed. Florentiae 1760 tom. IV. col. 1079—1081. Hardouin Acta concil. ed. Parisiis 1715. col. 1291; sed concordant haec verba Gerhohi cum C J. C. c. 39 de consecr. dist. 5 — Ivo p. 1. c. 4.

„Dominus in Evangelio: Ille me clarificabit. Hoc rectissime sen„tientes unum Christum et Filium non velut alterius egentem „gloria confitemur a Spiritu sancto gloriam consecutum: quia „Spiritus nec melior, nec superior ipso est, sed quia humana opera „faciens ad demonstrationem suae deitatis virtute proprii spiritus „utebatur ab ipso clarificatus dicitur, eo quod virtus sua vel di„sciplina quaelibet unumquemque clarificet. Quamvis enim in sua „sit substantia Spiritus ejus et intelligatur in persona proprietas, „juxta id quod Spiritus est et non Filius; attamen alienus non est „ab illo, nam Spiritus appellatus est veritatis et veritas Christus „est. Unde etiam ab ipso similiter sicut a Deo Patre procedit. „Denique hic ipse Spiritus etiam per manus sanctorum aposto„lorum miracula gloriosa perficiens Dominum glorificavit Jesum „Christum, postquam ascendit in coelum. Nam creditur Christo „existere per suum Spiritum virtutes efficiens. Ideoque dicebat: „De meo accipiet et annuntiabit vobis.[1])" Item Didymus in libro de Spiritu sancto[2]): „Salvator, qui[3]) et veritas ait: Non „enim loquetur a semetipso[4]), hoc est non sine me et sine „meo et Patris arbitrio, quia inseparabilis est a mea et Patris „voluntate et amplius, quia ex se non est, sed ex Patre et a me „est. Hoc enim ipsum, quod est et consistit et loquitur a Patre et „a me illi est. Ego veritatem loquor i. e. inspiro, quae loquitur[5]), si„quidem Spiritus veritatis est. Dicere autem et loqui in Trinitate „non secundum consuetudinem nostram, qua ad vos sermocinamur „et loquimur, accipiendum est, sed juxta formam naturarum incor„porearum et maxime Trinitatis, quae voluntatem suam ingerit[6]) in „corda credentium et eorum cordibus inseritur, qui eam digni sunt „audire. Liquido ergo est dicere Patrem et audire Filium vel

[1]) Joan. 16. 15. — [2]) C. J. C. c. 14. de consecr. dist. 5. — [3]) cod. quae. — [4]) Joan. 5. 30. — [5]) cod. loquor. — [6]) C. J. C. inserit in corde cr. et e. qui eam audire sunt digni, hoc est dicere et loqui. Loqui ergo patrem et aud. f. v. e. filio loquente a. p. e. n. in patre et filio consensusque significatio est Spiritus quoque sanctus q. e. Sp. v. et sp. s. n. p. filio loquente audire qu. n. c. h. i. sit q. p. a f. i. e. pr. a veritate et cons. m. de cons. Denique . . . . Didymus de spiritu s. lib. II. inter opp. s. Hieronymi ed. Parisiis 1706 tom. IV. p. I. col 515.

„econtra Filium loquentem audire Patrem ejusdem naturae esse „Patrem et Filium et in Patre et in Filio est connexus et com- „munio Spiritus sanctus, qui est Spiritus veritatis, Spiritus sa- „pientiae non potest audire Filium loquentem quae nescit, cum „hoc ipsum sit, quod profertur a Filio i. e. procedens Deus de „Deo, Spiritus veritatis procedens a veritate et consolator manans „de consolatore. Denique ne quis illum a Patris et Filii voluntate „et societate discerneret scriptum est: Non enim a semetipso „loquitur sed sicut audit loquitur.[1]) Cui simile etiam de se „ipso salvator loquitur: Sicut audio et judico[2]). Et alibi: „Non potest Filius a se facere quicquam nisi quod „viderit Patrem facientem.[3])"

16 Haec tria ex tuis sapientibus patribusque orthodoxis tuis, o Graecia, oculis ingerimus testimonia, ut in ore duorum ac trium ex tua domo testium stet contra te fidei nostrae verbum, quamvis potius nubem testium dicere possim Ephesini concilii ducentorum patrum unanimem sententiam. Dum ergo nos non solum Evangelia et apostolos simul et prophetas, sed ex tua quoque domo tantos patres fidei nostrae auctores et consentaneos teneamus, tu vide, quos tuae perfidiae producas ex patribus reverendis praecentores. Nam neque Nicaena synodus, neque ullum ex quatuor primis et principalibus conciliis, sed neque Constantinopolitana, neque alia quaelibet authentica synodus processionem Spiritus sancti a Filio umquam negare praesumpsit, quamvis eandem ipsam licenter potuit, sicut Evangelistae quoque singuli quaedam licenter ex dictis et factis Domini Jesu tacuerunt, quae vel ab aliis dicta cognoverunt vel dicenda in Spiritu praenoverunt, aut certe quae ipse Spiritus ab aliis dicenda praenovit, qui per ora ipsorum prout voluit locutus est.

17 Sic ergo et ab illis conciliis contra singulas vel plures haereses Spiritu sancto auctore convenienter disputatum ac diffinitum est. Quod vero ab illis de processione Spiritus sancti omissum est in symbolo Nicaenae synodi, in qua nulla est mentio

---

[1]) Joan. 16. 13. — [2]) Joan. 16. 13. — [3]) Joan. 5. 19.

de processione Spiritus sancti, sed solummodo adversus Arium consubstantialitatis Filii cum Patre affirmatio per Romanos Pontifices evidenter suppletum est, Spiritu sancto agente et loquente per eos, prout voluit, qui etiam tibi id quod aliter sapis revelare dignetur.

Jamque hic mihi disceptandi tecum simul et libri hujus finis sit, qui de propriis Christi coeptus eisdemque exquirendis contra antichristum intentus praeter intentionem meam in longum protelatus est. Nam dum sermonem indirectum tenderem nostri temporis haereses pariterque homines Christi mortem superfluam quadam falsa pietate arbitrantes quidam etiam super hoc ipso non solum errantes, sed alios in errorem mittentes, quasi bestiae quaedam occursando morae mihi causa extiterunt, quibus dum singulis pro posse meo scripturae sacrae armis ac telis obviare et concertare connitor, tardius quam volui coeptum iter quasi lassus viator explevi. Unde pausatione mihi modica velut in medio bestiarum praesumpta reliqua de antichristi latibulis ac propriis investiganda duce sancto Spiritu novo sumentur exordio.

Liber III

Cap. I.

Recapitulatio libri primi.

In primo hujus investigationis libro id primo quaerendum visum est, utrum res, de qua inquisitio est, investigationem ad, mitteret, quod dum investigatum et inventum est, nullam videlicet scripturae canonicae auctoritatem certam super iniquitatis hujus i. e. antichristi mysterio investigationem excludere, nec solum non excludere, sed ambiguitate potius dictorum investigationem easdem scripturas requirere, eo quod et nomen Babyloniae, de qua nasciturus, et templum, in quo sessurus, dicitur, antichristus suis aequivocationibus multiplicitatem sensuum inducant, sed et reliqua scripturarum verba super eodem iniquitatis mysterio ambigua et obscura existere et multiplices intellectus admittere, sed et de abominatione desolationis, in quo templo stare habeat, ubi dictum est, quaedam perinde impietates et abusiones nostra tempora contingentes prope hystorice scribendi modo a nobis exaratae sunt, quae junctae praecedentium temporum malis et impietatibus nostrae investigationi quasi quaedam indago sint, intra cujus sinum bestia haec, quae antichristus dicitur, ejusque cubile videtur requirendum, non quod nobis de bestiis ejusmodi loqui sit jocundum, sed ad hoc potius an forte illa, quae jam olim diabolus contra ecclesiam est machinatus, quaeque ipsa perpessa est, ad impletionem scripturarum de his loquentium sufficiant, an adhuc deteriora in hanc ipsam scripturarum impletionem exspectari necesse sit.

Cap. II.
Recapitulatio libri secundi.

In secundo vero hujus operis libello propria Domini nostri Jesu Christi consideravit investigatio, verbis ipsius Domini pro materia et quasi speculo sibi propositis, quibus de se Philippo locutus est dicens: Ego sum via et veritas et vita[1]), quae nimirum tria verba seu trina Domini de se professio ipsum Dominum Jesum in eisdem tribus professionibus triformis ecclesiasticae in terris hierarchiae declarant auctorem, sicut coelestis quoque inter angelos hierarchiae Pater, Verbum et Spiritus trinus et unus fons existunt, ex cujus redundantia ter trini illi ordines in coelo formantur, ex quibus alii purgatores, alii illustratores, alii perfectores ab antiquo patre Dionysio divinitus illustrato nuncupati sunt, inter quae et domini nostri Jesu Christi adventus ad homines, insuper et mors ejus propter justificationem nostram omnimodis necessariam propter quorundam pusiolam fidem multis argumentis in nobis monstrata est. Deinde occasione turris babylonicae, in qua primordialem haeretica pravitas spirabat audaciam, aliquantisper[2]) contra nostri temporis haereses Christi divinae naturae simul et gloriae detrahentes disputatum est, simul et Graecorum errori, quo Spiritum sanctum a Filio procedere negant obviatum. Quae quum[3]) in longum disputationes protelatae sunt libellum ipsum tensum terminare compulsi sumus, nondum judicio Spiritus sancti contra Sodomitas ultione assignata. Sic enim sermo noster processit, ut, quoniam triformis in coelo et in terra demonstrata fuerat Deo placens hierarchia, in diabolum quoque ejusque imitatores homines sanctae et a Deo dispositae hierarchiae contrarios ac desertores etiam summae Trinitatis judicium processisse a principio et adhuc procedere monstraremus. Quemadmodum enim contra diabolum hominis in serpente deceptorem triformis judicii a summa Trinitate tres sententiae quasi tres sagittae jaculatae

---

[1]) Joan. 16. 6. — [2]) cod. aliquantis. — [3]) cod quem.

sunt dicente Domino: Super pectus tuum gradieris, terram comedes[1]), ac tertio, quoniam caput ejus a muliere foret conterendum, de quibus praecedente libello dictum ex parte est, quarum prima superbiam diabolicam percutit, secunda vanam curiositatem ejusdem diaboli in serpente latentis condemnat, tertia immunditiae in eodem diabolo poena est: ita et contra virum simul et mulierem trinae sententiae ab eadem sancta Trinitate prolatae sunt, triforme etiam in illis peccatum condemnantes. Mulieri namque a Deo dictum est: multiplicabo aerumnas et conceptus tuos[2]), in quo curiositatis ejus poena est; secundo quod dictum est: in dolore paries filios, concupiscentiae atque immunditiae flagellum est; tertio quod ait: sub viri potestate eris et ipse dominabitur tui, superbiae illius condemnatio est, qua ipsa contra Deum dans consilium viro quasi in eum dominari ausa est. Item cum dictum est Adae: maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae, spinas et tribulos germinabit tibi et comedes herbas terrae[3]) curiositatis poena est, qua ille non solum bona sed mala scire appetiit; secundo quod dictum est: in sudore vultus tui vesceris pane tuo concupiscentiae atque gulositatis poena simul et remedium est, quatenus ipsa cibi sui difficultate gastrimargiae[4]) in eo immunditia simul puniatur ac temperetur. Tertia vero sententia, qua dictum est: donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris superbiae non solum in viro sed et in muliere poena pariter ac remedium est. Si enim adhuc superbit homo pulvis et cinis, quid faceret, si absque timore mortis in aeternum viveret? Similiter autem qui solo sapientiae cibo et potu in spiritualibus contentus fuisse debuerat atque insuper mala scire appetiit, qualia sunt cum daemonibus colloquia et nigromantiae scientia, experiri int terra spinas et tribulos germinante sibi debuit, qualis ipse suo

---

[1]) gen. 3. 14. — [2]) gen. 3. 16. — [3]) gen. 3. 17. ss. — [4]) cod. castrimariae.

factori et cultori terra extiterit, ut saltem talis vexatio intellectum daret auditui ejus.

Cap. III.

Duo judicia ss. Trinitatis in homines.

Sic vero et mulier, dum super electorum numerum ejus in malis filiis multiplicantur conceptus, didicit atque experta est, quantum mali fuerit curiose cum serpente miscuisse colloquium, ex quo videlicet colloquio male et curiose praesumpto serpentina illa generatio multiplicata est, juxta maledictum Domini dicentis: multiplicabo aerumnas et conceptus tuos. Nam si illa cum Domino simpliciter ambulasset soli ex ea benedictionis primae filii nati fuissent. Nunc vero ex maledictione jam dicta in tantum ejusdem maledictionis filii multiplicati sunt, atque per eos adeo multiplicata sunt mala in terra, ut superba crudelitas eorum atque crudelis superbia humana viscera comedentium non aliter quam diluvio universali deleri potuisset. Qui etiam primi justorum persecutores fuerunt, a primo patre ipsorum Cain in typum sanguinis Christi et martyrum ejus Abel justo occiso. Similiter autem et post diluvium filii Adam moti de oriente i. e. relicta veritate turrim aedificare cupientes atque aedificantes, cujus culmen pertingeret ad coelum, primitiae haereticorum extiterunt. Quorum conatus Dei sapientia sapienter elisit dividendo et confundendo linguas eorum, ut non intelligeret unusquisque proximum et fratrem suum. Per hoc enim etiam Christianis temporibus haeretica vesania valde dubitata est, dum haeresis in unaqualibet linguarum exorta non se facile in alterius linguae valet nationes diffundere. Et hoc quidem judicium contra typicos haereticos sapientiae i. e. Filio Dei facere convenit, sicut illud praecedens per diluvium contra giganteam crudelitatem et superbiam majestati paternae atque creatori cunctorum fecisse congruit.

Et de his quidem praecedente libello dictum sed ad hoc repetere eadem visum est, ut de Sodomitarum subversione, quod

judicium magis proprie Spiritus sancti personae competit praecedentibus duobus judiciis Patris et Filii personas respicientibus ordine suo jungeretur.

Cap. IV.

Tertium judicium contra Sodomitas ad Spiritum pertinere.

Etenim cum Spiritus sanctus moralitatis magis quam singularis atque ipsa omnium sanctificatio sit, cui personae contra immunditias et morum corruptionem facere vindictam magis proprie quam illi convenit, salva tamen totius Trinitatis indivisa cooperatione in propriis singularum personarum judiciis et operibus? Cum enim Sodomorum aliarumque finitimarum civitatum fuerit peccatum superbia, saturitas panis et otium absque eo quod contra naturam masculi in masculos turpitudinem operabantur, quis rectius quam Spiritus sanctus ille Dominus intelligitur, de quo scriptum est: Pluit Dominus a Domino ignem et sulphur de coelo?[1]) Pluit ergo Dominus a Domino, Spiritus sanctus de Patre et Filio. Quamvis enim tres illae personae non tres Domini sed unus Dominus sint, unaquaeque tamen persona etiam ipsa persona Dominus est. Pluit itaque sanctificatio Dominus ignem et sulphur contra faetidos et immundos; pluit miseratio Dei, Dominus Spiritus sanctus, ignem contra immisericordes, impios et superbos peccata sua eleemosynis non redimentes sed superbe incedentes; pluit moralitatis magister Spiritus sanctus ac totius piae operationis auctor Dominus ignem contra otiosos, vaniloquos, curiosos. Quamvis enim diabolus superbus, vanus et immundus veluti canis tricerberus in suis tribus fortibus glorietur, qui sunt superbia, curiositas et immunditia, tribus nimirum fortibus[2]) veri nostri David contrariis, sicut et summae Trinitati contrarii sunt, quamvis, inquam, diabolus in his fortibus suis glorietur omne sibi fere humanum genus subjecisse, tamen summa Trinitas unus Deus fortior in

[1]) gen. 19. 24. — [2]) 2. reg. 23. 16.

suis judiciis contra diabolum et suos tres fortes inventa est, sicut in his de quibus praelibavimus tribus judiciis manifestum est.

Cap. V.

Item alia consideratio judiciorum s. Trinitatis.

Quod in ceteris quoque judiciis suis contra superbos, curiosos et intemperantes Trinitatem Deum declarasse facile est praevidere. Hinc enim Aegyptii superbi, Pharao et exercitus ejus in curribus et equis gloriantes in mari rubro submersi sunt majestate divina superbiam praecipitante. Hinc israeliticum quoque regnum per duos vitulos aureos a domo David scissum in typum videlicet haereticorum se ab unius ecclesiae fide scindentium per aureolos suorum figmentorum vitulos sapientia Dei decies in semetipsos scindi fecit, quod per decem quoque pallii Jeroboam scissuras praefiguratum fuit, dicente illi propheta Ahia Silonite, ut tolleret sibi decem scissuras, tandemque nullis ex regibus Israel a peccatis Jeroboam recedentibus etiam gens tota post eos fornicans in Assyrios captiva deducta est, sapientia nimirum Dei in haereticos vindicante, sicut majestas contra Pharaonem simul et contra Chananaeos sanctae illius terrae inhabitatores crudeles et impios judicaverat, quos quia Dominus Pater exhorruit sancta eos terra evomuit, et sicut sapientia judicante regnum Israel in typum haereticorum a domo David per vitulos aureos scissum post decem scissiones, quas in semetipso sustinuit, regibus videlicet eorum totiens occisis et occisoribus ipsorum pro eis regnantibus in Assyrios cum gente sua abductus est: ita consequenter sancti Spiritus liceat assignari judicio, quod Jerusalem una cum templo igni succensa Judaea in Babylonem deducta est. Nec mirum judicium istorum per ignem factum judicio Sodomorum pro parte esse consimile, siquidem et ipsi paulominus a Sodomitis corrupti moribus extiterant. Quam corruptionem eorum atque lasciviam spiritus propheticus per Amos arguit dicens: Vae qui opulenti estis in Sion[1]) paucisque

[1]) Amos 6. 1. 3.

interpositis, qui separati, inquit, estis in diem malum et appropinquatis solio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis et lascivitis in stratis vestris. Qui comeditis agnum de grege et vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterii. Sicut David putaverunt se habere vasa cantici bibentes in phialis vinum et optimo unguento delibuti et nihil patiebantur super contritione Joseph. Qua propter nunc migrabant in capite transmigrantium et auferetur factio lascivientium.

Cap. VI.

Peccatum Jerosolymorum Sodomitis assimilatur et praefertur.

Quid peccato Sodomorum similius istorum corruptione opulentorum comedentium et bibentium et in stratis suis otiose ac luxuriose lascivientium? De quibus et quod dictum est, quia nihil patiebantur super contritione Josephi fratris. Pro quolibet enim fratre nominatus est Joseph a fratribus suis absque compassione venditus, quod, inquam, dictum est et nihil patiebantur super contritione Joseph, hoc est similes illis fratribus in nullo fratri compatientibus extiterunt, idem prope est illi quod et de Sodomitis dictum est. Manum egeno et pauperi non porrigebant. Amplius autem ac multo deterius peccatum Sodomitis immisericordibus commiserunt iidem Jerosolymitae ac Judaei in Dominum Jesum morti eum condemnantes absque misericordia, sicut fratres Joseph quoque fratris venditores in scelere valde supergressi sunt. Quod propheta Jeremias licet nondum factum considerans et quasi jam factum deplorans ajebat: Major est iniquitas populi mei peccato Sodomorum, quae subversa est in momento et non coeperunt in ea manus.[1]) Quasi enim quaereres in quo major istorum iniquitas peccato Sodomorum extiterit, causam declarat dicens: et non coeperunt in ea manus.

[1]) Thren. 4. 6.

Etenim Sodomitae quamvis immundi ac protervi extiterint vimque Loth vehementissime fecerint volentes duobus illis viris illudere, tamen manus eis non injecerunt nec manibus scelus contra naturam in eos peregerunt, eo quod percussi coecitate ostium invenire non potuissent, qui tamen nihilominus a Domino in momento subversi sunt. At vero Jerosolymitae in Dominum angelorum et prophetarum scelus manibus etiam peregerunt, dum ei crapulati et ebrii tota illa nocte paschali illuserunt faciem ejus velantes atque alapis eum caedentes, in faciem ejus reverendam sputa sua foedissimi nebulones jacentes. Et numquid non major haec fuit iniquitas peccato Sodomorum? Nam illic quidem duo angeli inhonorati sunt sed manus iniquitatem non peregerunt; hic vero in una Dei et hominis persona Deus et homo inhonoratus est, insuper et illusum morte turpissima condemnaverunt. Quapropter et Sodomitarum judicio subvertendi fuerunt, sicut et primo per Babylonios propter sanguinem prophetarum et innocentum ad tempus deleti sunt, deinde vero propter sanguinem Jesu et martyrum ejus per Romanos, modernos nimirum Babylonios, irrecuperabiliter subversi, postque multas calamitates et inenarrabiles miserias in ipso excidio perpessas in omnes gentes captivi abducti sunt; sed neque sic peccatum suum, pro quo tantum malum eis evenit, recognoscunt aut poenitentiam agunt. Quod eis quoque per Amos prophetam Spiritus sanctus improperat atque a semetipso culpas negligentiae submovens in eos totam causam refundit dicens inter cetera: Subverti vos sicut subverti Sodomam et Gomorrham et nec sic redistis ad me.[1]) Sed et propheta Isaias principes eorum principes Sodomorum et populum ipsorum populum Gomorrhae nuncupare non dubitat, siquidem titulus prophetiae ipsius, quo sic inchoat visio Isaiae, quam vidit super Judam et Jerusalem[2]) quibus loquatur manifestat. Praemisso namque tali titulo interpositis[3]) subintulit dicens: Audite hoc principes Sodomorum et auribus percipite legem Dei mei populus Gomorrhae[4]) etc. Et cur eos Sodomitas et

---

[1]) Amos. 4. 11. - [2]) Is. 1. 1. — [3]) deest: paucis verbis. — [4]) Is. 1. 10.

Gomorrheos Spiritus sanctus appellat, nisi quia iniquitas populi hujus peccato Sodomorum similis vel sicut Jeremias deplorat peccato eorum major erat? Quae igitur ex Trinitate persona justi vindictam contra ejusmodi Sodomitas exercuisse arbitranda est, quam Spiritus sanctus, cujus sanctitatem et morale magisterium iidem, Jerosolymitae dicam an Sodomitae? spurcis et iniquis moribus maxime ac specialiter offendisse agnoscuntur.

Cap. VII.

Triforme ante datam legem processisse s. Trinitatis judicium. Itemque triforme post datam legem ac legislatoris missionem.

Igitur sicut ante legem triforme hominum peccatum triformi judicio punitum est videlicet per diluvium, per confusionem linguarum, per incendium et subversionem quinque civitatum, ita et post datam legem sive legislatoris in Aegyptum missionem item triforme peccatum triformi vindicta punitum est, dum Pharaone submerso sancta terra septem gentes Chananaeorum evomuit, dum regnum Israel a domo David scissum post decem in semetipso scissiones in Assyrios translatum una cum populo est, dum Jerusalem propter corruptos mores et sanguinem prophetarum atque innocentem effusum destructa et incendio flagrata, maximaque pars populi in Babyloniam abducta est, dumque eadem Jerusalem occiso Domino ac de sanguine ejus mensura patrum ipsorum completa subversa funditus una cum templo est, gente, quae gladio superfuit, in omnes gentes fune captivitatis abducta. Quod si displicet aut displicere debet singula jam memorata judicia singulis nos in sancta Trinitate assignasse personis vel hoc nemo, qui contradicat aut contradicere debeat, ipsam trinam ante datam legem simulque trinam post legis datoris adventum judiciorum vindictam sanctae Trinitatis operationem respicere, quae tyrannicum diaboli regnum simul et hominum ejus superbiam atque vanam curiositatem nec non immunditiam imitantium pacatum sinere non debuit, quin potius in-

terim perturbare, donec regnum ejus in aeternum mansurum paulatim sicut aurora consurgeret, quod regnum diabolicum, peccati videlicet ac mortis, tandem penitus destruet, sicut illa visione Nabuchodonosor regis Daniele interpretante praemonstratum est, ubi lapis abscissus de monte sine manibus statuam illam caput aureum, pectus cum brachiis argenteis, ventrem ac femore ex aere, tibias ferreas pedesque partim ferreos partim testaceos habentem contrivit atque in pulverem redegit. Qui etiam lapis crescens mons magnus factus est et implevit universum orbem.

Cap. VIII.

Quod puer ille Dominus Jesus etiam antequam nasceretur in carne dominatus sit et regna contriverit.

Novit ecclesiastica eruditio lapidem hunc interpretari Dominum Jesum, qui de monte, de patriacharum stirpe, abscissus sine complectentium manibus parvulus quidem nobis et in nostris natus est sed humilitatis suae virtute etiam antequam nasceretur quatuor illa principalia regna babylonicum, persicum ac medicum, macedonicum atque romanum contrivit et conterere coepit, quae per aurum, argentum, aes atque ferrum in statua illa grandi praemonstrata sunt. Unde et nomen ejusdem apud Isaiam prophetam vocatum est: accelera, spolia detrahere, festina praedari[1]. Causa quoque nominis ejusdem subjuncta est, quia antequam sciat puer vocare patrem et matrem auferetur fortitudo Damasci et spolia Samariae coram rege Assyriorum. Multum puer iste praedari festinavit, multum acceleravit spolia detrahere, qui Damasci fortitudinem ac spolia Samariae per regem Assyriorum abstulit, utpote suae parentelae i. e. tribui Juda infestos expugnans ante etiam quam patrem suum i. e. nutritium Joseph et matrem suam Mariam virginem secundum hominem sciret. Nec mirum quia idem puer antequam secundum carnem nasceretur Deus aeternus fuit. Sicut

---

[1]) Is. 8. 3. 4.

ergo Damasci fortitudinem et spolia Samariae antequam nasceretur abstulit et auferre valuit, ita tria regna generalia populo suo infesta antequam nasceretur in carne, quartum vero i. e. romanum jam natus homo jamque propter passionem mortis gloria et honore coronatus fidei suae subjecit, stulta ejus quam in idolis habebat confidentia contrita, veraque illi divinitatis suae potentia et sapientia demonstrata, cujus solius nutu ac defensione reges regnant et conditores legum justa decernunt. Insuper vero etiam idem Romanum imperium jam in tam multa regna idem puer subdivisit, ut etiamsi velit generalem persecutionem in Christianos ultra exercere non possit. At vero lapis ille, de quo scriptum est: petra autem erat Christus[1]), jam crevit in montem magnum et suis implevit cultoribus orbem universum nec est ullus terrae angulus, quo fidei illius notitia et cultura verae divinitatis ejus non pervenerit aut in quo se quis a calore ejus abscondere possit sicut scriptum est: Exaltare super coelos et super omnem terram gloria tua[2]) In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum.[3])

Cap. IX.

Quo tempore sancta Trinitas insignius innotuerit.

Regnat autem duobus modis ubique dominus Jesus vel fidei suae corda mitium subjugando eosque in pace regendo vel adversarios pertinaces virga regni sui conterendo. Quod si non modo atque in instanti tunc utique cum judicii sui tempus advenerit. Postula, ait Dominus Pater eidem Filio suo, a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae, et reges eos in virga ferrea, tamquam vas figuli confringes eos.[4]) Hoc sane Domini nostri Jesu Christi regnum non subito aut ex improviso toto suo fulgore debuit irruere sed suo in tempore paulatim, ut paulo ante dictum est, sicut aurora consurgere atque per incre-

---

[1]) I. Cor. 10. 4. — [2]) Ps. 56. 6. — [3]) Ps 18. 5. — [4]) Ps. 2. 8. 9.

menta ad perfectum usque diem et fulgorem proficere. Perturbato autem effusione diluvii, linguarumque confusione diaboli regno jamque per instantem Sodomorum subversionem tertio perturbando, tunc sancta Trinitas pene primo suae cognitionis ortu manifestius radios ad homines protulit, quando in tribus angelis apparens Abraham conceptum ei Sarae promisit, ubi et Sara tria sata similae commiscente typice illud convivium celebratum est, quo nunc eadem Trinitas unus Deus in cognitionis suae deliciis itemque fidei nostrae spei et charitatis abundantia seu pinguedine cum hominibus epulatur. De quo convivio ipsa postmodum veritas apparens in carne sic promittere dignata est. Ecce, inquit, ego sto ad ostium et pulso, si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi, introibo ad illum et coenabo cum illo et ipse mecum.[1]) Item diligenti se et sermones suos audienti promittit, quoniam ego, inquit, et Pater ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.[2]) Item ipse de Spiritu sancto discipulis suis ait: Quem mundus non potest accipere, vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit.[3]) Sed et illud quod idem Abraham angelos alloquens modo a singulari ad pluralem, modo a plurali ad singularem transiit numerum: si inveni, inquit, gratiam in oculis tuis ne transeas servum tuum sed afferam pauxillum aquae et laventur pedes vestri et requiescite sub arbore[4]) et cetera in hunc modum; quid, inquam, ista sermonis variatio praemonstrabat, nisi quod nunc ecclesia Dei unitatem in Trinitate ac trinitatem in unitate venerando adorat? Sed et Domini nostri Jesu Christi mors in eodem convivio per vitulum illum tenerrimum et optimum occisum praesignata est, cujus cum carnem etiam butyrum sumptum animam Christi sancti Spiritus repletam pinguedine mysticabat. Et utique mira clementia et proprietate sancta trinitatis in eodem convivio fidei nostrae maxima sacramenta praelusit, dum in tribus unius naturae angelis sancta

---

1) Apoc. 3. 20. — 2) Joan. 14. 23. — 3) Joan. 14. 17. cod. apud nos. — 4) gen. 18. 4. ss.

Trinitas unus Deus apud nos hospita et vescens agnoscitur, nosque semen Abrahae tres unius generis panes in ejusdem sanctae Trinitatis et unitatis fide ac dilectione Christi vescendos apponimus. Sed et cum pane carnes vituli optimi atque tenerrimi simulque butyrum offerimus, cum in una Domini nostri Jesu Christi persona tres essentias unitas una adoratione veneramur: in pane Verbum, in vituli carnibus carnem Verbi, in butyro animam carnis agnoscentes Spiritus sancti pinguedine saginatam.

Cap. X.

Item quod s. Trinitas in tribus patriarchis Abraham, Isaac et Jacob assimilata sit et qualiter.

Quid hic sacramentorum ad fidem Trinitatis pertinentium est, praetermissum est, ubi et unius divinae naturae in personis proprietas triumque personarum in essentia unitas praemonstrata est, et trium naturarum in unam Christi personam unitio praesignata est. Perinde ea sancta Trinitas in tribus illis patriarchis Abraham, Isaac et Jacob, quam vere et proprie assimilata sit, quemadmodum in propheta ipse Dominus ait, quoniam in manu prophetarum assimilatus sum[1]) hujus brevitatis evolvere non est, quamvis tamen aliqua inde perstringere non pigeat. Abraham namque dum filium suum liberae, Sarae videlicet matris, unigenitum Domino jubenti holocaustum parat et filius, dum patri ad mortem subeundam patienter obedit, numquid non pater offerens filiusque obediens Patris Dei Filiique sui unigeniti pro nobis ex voluntate Patris oblati expressam praetulere figuram. Siquidem et quod filius holocaustum factus insuper vixit oblato pro ipso ariete, qui inter vepres haerebat cornibus, hoc mystificabat, quod idem Dominus noster Dei Patris unigenitus etsi mortuus est crucisque cornibus haerebat ex nostra infirmitate, vivit tamen atque in ipsa morte vixit ex virtute Dei. Qua etiam virtute Dei potestatem habebat ponendi

[1]) Ose. 12. 3.

animam suam et iterum sumendi eam. Simul autem et Pater Deus in tam arduae obedientiae praecepto viam clementiae suae ad homines praeparabat ne quis temerarius ultroneam nimis atque inordinatam judicaret clementiam ejus pro nobis filium suum unigenitum offerentis cum simile quid homo quispiam prior pro ejus dilectione perficere paratus extiterit.

Cap. XI.

De Jacob ad Spiritum sanctum assimilatio.

Jacob quoque in eo vel maxime operationis Spiritus sancti figuram praetulit, quod duas uxores habens liberas ambarumque ancillas ex quatuor his filios terrae promissionis omnes cohaeredes et consortes genuit, sicut nunc Spiritus sanctus non solum per legitimos Christi sacerdotes ac per eos, qui in charitate Dei ad libertatem Spiritus profecerunt, sed et per alios verbum Dei adulterantes et in verbi ministerio non quae Jesu Christi sed quae sua sunt quaerentes atque in spiritu timoris adhuc servientes fidelium multitudine omnes regni Dei cohaeredes generat. Quibus nihil ad haereditatis Dei possessionem officit nihilque inter eos discernit, quod sive per bonos sive malos ministros Deo acquisiti filii sunt, tantum sint ecclesiastice in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizati. Cujus etiam, videlicet Spiritus sancti, opus proprium hoc est, quod duas sibi uxores legitimas, activam scilicet et contemplativam vitam, ad generandam Deo sobolem sociavit, quarum unius i. e. Rachelis spiritualis spiritualem copulam more illius Jacob ipse amplius diligit, eo quod spiritualis decoris venustas in ea magis complaceat et quasi simile ad simile conveniat, cum tamen altera secundo gradu dilecta foecundior sit. Quid etiam illud quod Jacob pascens soceri greges, ut suo juri atque mercedi foetus manciparet, virgas in canalibus ponendas partim decorticabat, ut color efficeretur varius, ex quarum contemplatione varios quoque foetus oves conciperent et generarentur? Quid, inquam, hoc spiritualiter attentum, nisi

opus Spiritus sancti est, sanctas scripturas partim mysterialiter exponentis ad aedificationem fidei, partim vero litterae virorem quasi corticem ad moralitatis exempla relinquentis, ut sic color in Christo generandarum animarum efficiatur varius? Nempe scripturas sanctas exponere spiritualesque ex ea intellectus eruere proprium Spiritus sancti opus est dicente Domino: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.[1]) Item. Cum venerit Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem[2]) Igitur, ut dictum est, in tribus illis patriarchis proprie tres divinae personae assimilatae sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, propterea non confunditur Deus vocari Deus eorum. Ego, inquit, sum Deus Abraham et Deus Isaac et Jacob et hoc mihi nomen in aeternum. At vero diabolus hujus nominis aemulus eam, quam diximus, trini hujus sancti nominis assimilationem in jam dictis tribus viris vel extinguere vel saltem inquietare molitus est. Unde Abraham futurum patriarcham deorum falsorum culturam spernentem in Ur Chaldaeorum ignem pro Deo colentium extinxisse voluit et haec exordia persecutionis ejus contra sanctum hoc nomen trinum fuerunt, sed dominus conatus diabolicos praeveniens eundem Abraham de Ur Chaldaeorum illaesum eduxit sibique patriarcham et prophetam quasi per ignem probatum consecravit. Similiter autem et Isaac patriarcham puteos in usum suum et gregum suorum fodientem Palaestini infestaverunt, nimirum typum praeferentes haereticorum. Nam dum puteos ab eo et servis ejus fossos humo implent, dum pro aqua inventa contendunt dicentes, nostra est aqua, tunc in typo haereticorum spirabant audaciam. Siquidem Judaei haereticorum primi vel maximi terreno solum et animali sensu scripturae suae puteos interpretari conantur nihil in eis spiritualis intelligentiae asserentes, quod est puteos humo implere. Alii vero sub nomine christiano haeretici easdem scripturas in usum suae pravae doctrinae interpretari nituntur. Quod utique facientes nimium contentiosi, quasi di-

---

[1]) Joan. 16. 14. 15. — [2]) Joan. 16. 13

cunt, nostra est aqua nostro sensui sancta famulatur scriptura. -- Jacob quoque moralis gratiae in eo vel maxime dux est, quod ait fratri suo Esau comitatum suum sibi offerenti: Nosti frater mi, quod habeam parvulos teneros et oves ac boves foetas, quas ambulando plus fecero laborare, morientur una die cuncti greges.[1]) In hoc enim dicto summae discretionis, quae moralitatis et virtutum mater et nutrix est, praelucet gratia cunctis pastoribus ecclesiae usque in finem saeculi imitanda. Illum, inquam, Jacob ex Spiritus sancti gratia moralitatis ducem Esau frater suus persecutus est, eo quod benedictionem ejus praeripuerit. Unde et ait; Venient luctus patris mei et occidam Jacob fratrem meum.[2]) Ad hanc similitudinem et illud facit, quod Jacob sicut moribus humanus fuit, ita et in corpore humanae lenitatis speciem praeferebat; Esau vero sicut moribus bestialis et hispidus, ita et bestialem piloso corpore formam praetendebat.

Cap. XII.

Trium patriarcharum ad tres ordines ecclesiae i. e. martyres, confessores seu doctores atque pastores assimilatio.

Itaque in Abraham, qui de Ur i. e. igne Chaldaeorum liberatus est, quique in trecentis, quorum character Tau apud Graecos formam crucis exprimit, junctis eis decem et octo vernaculis i. e. perfectione legis cum fide resurrectionis, in hoc, inquam, Abraham taliter triumphante ignesque superante victoria praelucet martyrum, in Isaac puteos fodiente diligentia confessorum et doctorum vivam in scripturis aquam requirentium et haereticorum tamquam Palaestinorum contentionibus resistentium, insuper et Judaeorum animalem sensum velut ingestum terrae egerentium; in Jacob vero, sicut praestrinximus, pastorum ecclesiae rationabiliumque gregum ipsorum moralis praefulsit gratia

---

[1]) Gen. 33. 13. — [2]) gen. 27. 41.

non cogentium greges dominicos amplius in ambulando laborare, ne una die moriantur simul. Hi etiam bestialibus Esau confligunt moribus humanam ipsi lenitatem verbo et exemplo . . .

Cetera desunt in codice nostro Reichersbergensi.

Supplementa quaedam libro primo de investigatione antichristi addenda.

Scripsit Dr. E. Mühlbacher.

Prol. p. 2. De fide historica relationibus Gerhohi exhibenda prae ceteris consulendus est „Wattenbach, Deutschlands Geschichtsquellen 3. A. 2, 218—222", proprie vero de auctoritate relationis de electione pontificum anno 1159 facta „Moritz Meyer, Die Wahl Alexander III. und Victor IV., Gött. 1871, 52—58", de expeditione illa Jerosolymitana calamitosa „Kugler" loco cit.

P. 4. De Gerhoho insuper scripserunt „Reuter, Geschichte Alexander III. 2, 120—131, Delloo, De Gerhoho, dissert. Berol. 1867" cf. „Heinzel, Heinrich von Melk 25, 33, 41."

Praefationes jam edidit „Jod. Stülz, Archiv 20, 132—137", praefationem aliam in „Tengnagel, Monum. vetera contra Schism." jam pridem publici juris factam iterum typis mandavit „Watterich, Vitae pontificum 2, 509 n. 1."

In epistola ab Alexandro III. ad Eberhardum archiep. Salisb. 1159 Oct. 5 data (Mansi, Coll. conc. 21, 868, Jaffé, Reg. pont. nr 7130[1]) inter cetera haec legimus: „Ipse (Octavianus) autem antichristi tempora praefigurans usque adeo erectus est supra se, ut etiam in templo dei sederit ostendens se, tamquam sit deus et multi abominationem desolationis stantem in loco sancto non sine multa lacrimarum effusione corporeis oculis inspexerunt." Haec verba Gerhohi antichristum et abominationem desolationis in

---

[1]) Confer litteras in eadem verba scriptas, quibus idem papa Bononienses et Syrum archiep. Januensem de sua electione certiores facit, Gesta Frid. IV, 51, MGs. [Monum. Germ. script.] 20, 472, Cafari Ann. Gen. MGs. 18, 28.

schismate investigantis animo obversata esse eo probabilius mihi videtur, quod antichristus in schismate quoque Anacletiano gravem egerat personam.[1]) Persaepe eadem aetate occurrit persuasio antichristi tempus adesse vel appropinquare cf. Ekbert adv. Catharos, Bibl. max. 23, 601, Ottonis Fris. chron., prol. l. VIII, MGs. 20, 278, Petri Ven. ep. I, 34, Bibl. Clun. 702, Order. Vit., MGs. 20, 57, s. Bernardi ep. 56. De antichristo Gerhohus plurima disserit in opusculo quoque „de quarta vigilia noctis."

De necessitudine, qua Eberhardus partes Alexandri III. attingebat cf. „W. Schmidt, Die Stellung der Erzbischöfe und des Erzstiftes Salzburg zu Kirche und Reich unter Kaiser Friedrich I., Archiv für öst. Gesch. 34, 14, 171, Meiller, Regesten der Erzbischöfe von Salzburg p. 86 ss. nr. 150, 189, 195—197, 207, 214, 218, 219, 221, 237, 241."

P. 8. Litteras card. Jacincti de Alexandri electione laudat Gerhohus in epistola ad cardinales, Archiv 47, 363 cf. Pez Thes. VI, 1, 542, 546, 564. In opusculo de quarta vig. noctis nr. 11 discipulus sic affatur magistrum: „Huc accedit, quod hoc ipsum quod exigo tu promisisti circa principium schismatis huius, cum accepisses epistolas utriusque partis" — ex parte Alexandri per monachum quendam Morimundensem, Pez thes. VI, 1, 548 — „et nondum potuisses ad plenum dignoscere, quid respondendum esset his, qui te interrogaverunt."

P. 12. Albertus Frising. Eberhardo 1163 c. Mart. haec nuntiat: „Ad d. imperatorem modo nuntii venerunt: Illi tandem aperiunt, ut principem Romani imperii ad unitatem et pacem ecclesiae revocent, Romanam ecclesiam de conspiratione cum Siculo purgent", Sudendorf. Registrum 1, 67 nr. 24 cf. litteras Alexandri Turonae IV. Kal. Junii datas, Meiller 105 nr. 241 et „Prutz, Kaiser Friedrich I., 1, 345."

C. IV. p. 22. l. 18, „Praemunit", quod praebet codex, emendandum esse videtur in „praemonet", p. 23 l. 27 „quam" in „quomodo", p. 25 l. 5 „quae" in „qui."

---

[1]) Qui dei sunt, libenter iunguntur ei (Innocentio), qui autem ex adverso stat, aut antichristi est aut antichristus. S. Bern. ep. 124. Anacletum et „antichristi praeambulum" et ipsum „antichristum" appellatum esse docent Chron. Maurin., Du Chesne 4, 376 et Arnulfi Lexov. Invect. c. 3, MGs. 12, 712.

P. 23 locus ille: „Peccatum ariolandi est non obedire“ etc. dictio erat Gregorio VII. gratissima, Registrum II, 67, VII, 14*, 16, 24, VIII, 15, 21, 43, 57, ep. coll. 9, 28.

C. V p. 25 jam edidit Stülz' Archiv 20, 130—131.

C. XVI p. 41 n. 2. Stephani ep. Halberstad., „qui et Herrandus“ (MGs. 17, 10, Wattenbach 2, 61), epistola hic allegata exstat apud „Annales s. Disibodi“ olim „Dodechini“ nomine insignitos MGs. 17, 10 cf. Wattenbach 2, 302 n. 2; de aliis editionibus vide Böhmer Fontes rer. Germ. 3, 195 n. 1.

P. 42 n. 1. Brun de bello saxon. MGs. 5, 331 s.

Loca, quae eisdem verbis affert „Chronicon Reichersbergense,“ ex libro primo de invest. antichr. sumpta esse jam pridem Wattenbach in nova „annalium Reichersbergensium“, qui nunc dicuntur, editione (MGs. 17, 446) denotavit.

Ib. n. 2. Vocabulum „caminata (kemenâte)“ medio aevo prorsus non inusitatum, du Cange, Glossarium 2, 95.

Ib. n. 4. Helmoldi Chron. Slav. I, 28, MGs. 21, 23 cf. adnotationes ibidem adnexas.

De hac Gerhohi relatione Heinrico IV. nimis infensa cf. „Giesebrecht, Geschichte der deutschen Kaiserzeit 3. A. 3, 1182, Wattenbach Geschichtsquellen 2, 220.“

C. XVII p. 44. Versus hic allegatos edidit „Wattenbach, Anzeiger für Kunde der deutschen Vorzeit (1873) 20, 101.“

C. XIX p. 46 l. 24 ss. cf. Ann. Reichersberg. ad a. 1073, MGs. 17, 446.

P. 47 n. 5. Exstat hoc anathema in Greg. VII reg. VII, 14*, Jaffé Bibl. 2, 401 cf. Brun de bello saxon. MGs. 5, 353.

Ib. n. 6. Greg. VII. epist, coll. 14, Jaffé Bibl. 2, 538 cf. Brun. l. c. 354 et Ann. Reichersb. ad a. 1077, MGs. 17, 446.

Harum litterarum textus a Gerhoho exhibitus scatet mendis, quorum gravissima adnoto.

P. 47 l. 24 pro „quondam“ Gerhohi legendum quosdam.“

P. 48 l. 2 pro „sumus“ Gerhohi legendum „simus.“

P. 48 l. 15 cf. n. 1 pro „imperium“ Gerhohi leg. „imperatorem.“

P. 48 l. 16 leg. „licet indigni venimus, cum.“

P. 48 l. 24 cf. n. 3 leg. „multoties male sibi suasum atque consultum sit.“

P. 48 l. 25 pro „promiserat“ Gerh. leg. „promisit.“

P. 49 l. 12 loco Gerhohiani „omnes pene episcopos in Italia“ leg. „episcopos, pene omnes in Italia, in Teutonicis vero partibus.“

P. 49 l. 14 pro „coegit“ Gerh. leg. „fecit.“

P. 49 l. 19 pro „quod“ Gerh. leg. „pro.“

P. 49 l. 21 supplendum „poenitentia“ non „fide.“

P. 49 l. 26 pro „nec“ Gerh. leg. „ne.“

P. 49 l. 29 pro „iniustam“ Gerh. leg. „iniuste.“

P. 50 l. 1 leg. „quid consona vox sanctorum patrum iudicet patienter audiens acquiescat.“

P. 50 l. 8 pro „communi“ leg. „cum omni.“

P. 50 l. 9 pro „nunc“ Gerh. leg. „non.“

P. 50 l. 10 pro „nunc“ Gerh. leg. „nec.“

C. XX p. 51. Errat Gerhohus; Gregorius VII numquam in Gallia exulavit. Litterae, quas auctor memorat, exstant in Greg. VII reg. VIII, 9, Jaffé Bibl. 2, 438.

C. XXII p. 55. Cf. Ann. Reichersb. ad a. 1087, MGs. 17, 449.

C. XXII p. 55 l. 22 „Proprius“ ille de expugnatione Jerosolymae „contextus libellus“ est epistola principum cruciferorum exstans in Udalrici codice nr. 92, Jaffé Bibl. 5. 176—180 cf. „Hagenmeyer, Forschungen zur deutschen Geschichte 13, 400—412.“

C. XXIII p. 57. Errat Gerhohus; excommunicationis sententia ab Urbano II. jamjam 1089 Apr. 18 renovata est, Jaffé Reg. 4031.

Quos allegat Gerhohus versus ex poemate prolixiore anno 1090 scripto mutuati exstant in Udalr. cod. 79, Jaffé Bibl. 5, 158.

C. XXIV p. 58 n. 1. Vide Ann. Reichersb. MGs. 17, 449.

C. XXIV p. 58 l. 24. Heinrici IV de violentia sibi illata conquerentis epistolae „ad principes“ directae (Ep. Bamb. 12, 13, Jaffé Bibl. 5, 505—508) non afferunt verba a Gerhoho proposita; ad Philippum vero, Franciae regem, scribit imperator: „Cum igitur ipso sacratissimo die nativitatis suae omnibus redemptis suis ille sanctus sanctorum puer fuisset natus, mihi soli Filius ille non est datus“, Udalr. cod. 129, Jaffé Bibl. 5, 244.

C. XXV p. 59 n. 2. Ann. Reichersb. ad a. 1106, MGs. 17, 451.

C. XXVI p. 60. Conventionem illam inter Heinricum V et Paschalem II ejusdemque papae privilegium affert Udalr. cod 149, Jaffé Bibl. 75, 271 ss. Verba „hominia cum beneficiis“ desiderantur in documentis authenticis, quae textum magna ex parte diversum exhibent.

C. XXVII p. 62 n. 1. Cf. Vita Chunr., MGs. 11, 68, Ott. Fris. chron. VII, 14, MGs. 20, 555, Ann. Admunt., MGs. 9, 577.

C. XXVII p. 63 n. 3. Ekkeh, chron., MGs. 6, 250, Registr. Pasch. Wattenbach 2, 73 cf. Udalr. cod. 161.

C. XXVII p. 63 n. 4. Reg. Pasch. l. c. 74, Ekkeh. chron. l. c.

C. XXIX p. 64, 68, c. XXX p. 69. Confundit Gerhohus nomina pap. Calixti et Gelasii. Gelasius II Heinricum V nec ad correctionem invitavit nec Remis concilium celebrans ipsum excommunicavit, sed Calixtus II.

C. XXIX p. 65 ss. De regalibus ecclesiae collatis cf. expos. in ps. LXIV, Baluze Miscell. 5, 89, 111, 123, De aedif. dei c. 27, Pez thes. II, 2, 338, De quarta vig. noctis. nr. 17 [versus ibidem allegati in Udalr. cod. 51, Jaffé Bibl. 5, 110], Petri Nonantuli lib. de honore ecclesiae, Pez II, 2, 75, Ott. Fris. chron. prol. l. IV, MGs. 20, 193, Ficker, Ueber das Eigenthum des Reichs am Reichskirchengut, Sitzungsbericht der wiener Akad. 72, 112, 425.

C. XXIX p. 68 l. 3. Dictum illud S. Petri in ordinatione Clementis finxit Pseudo-Isidorus, ed. Hinschius p. 32 ; eodem loco usus est Wezel, ep. Wibaldi 404, Jaffé Bibl. 1, 541.

C. XXX p. 69 n. 1. Hessonis relatio de concilio Remensi in Udalr. cod. 190, Jaffé Bibl. 5, 353—365.

C. XXX p. 70 l. 1. Verba „quasdam-subtrahentibus" in Ann. quoque Reichersb. ad a. 1116, MGs. 17, 453.

C. XXX p. 70 l. 14. Ad haec Gerhohi verba appellans Scheffer-Boichorst (Ann. Patherbr. 195) opinabatur concordatum Calixtinum non Wormatiae, sed „in loco lobwise" ad effectum perductum et proclamatum esse, quam opinionem correxit Falk, Forschungen 13, 398.

C. XXIX p. 83. De divisione et distinctione duorum gladiorum Gerhohus disserit in libro de aedificio Dei c. 7. 10, 11, Pez II, 2, 269, 281, 283, expos. in ps. LXIV, Baluze 5, 66, 92, 122 ss. ep. ad card. Archiv 47, 364, de quarta vig. noctis 17 cf. Reuter 2, 120 ss.

C. XXIX l. 17. De episcopis in regno Francorum regalia accipientibus cf. Hessonis rel. Udalr. cod. 190 Jaffé Bibl. 5, 354.

C. XXXIX p. 84 l. 19 pro „fabulae" forsan emend. „fabulam."

C. XLII p. 88. Gerhohi de nece Arnoldi iudicium celeberrimum, quod jam pridem Gretserus publicans condemnavit, recudi fecerunt „Franke Arnold v. Brescia und seine Zeit, Zürich 1825, 193 n.,

Clavel, Arnauld de Brescia et les Romains du XIIᵉ. siècle, Paris 1869, 392 cf. 308" et „Guibal, Arnauld de Brescia et les Hohenstaufen, Paris 1869, 128;" de nece Arnoldi cf. „Prutz, Kaiser Friedrich I, Beilage 6, p. 411." In libro ad Hadr. IV (Cod. Admunt. 434 f. 125 cf. expos. in ps. LXIV, Baluze 5, 78) Gerhohus narrat se Romae contra Arnoldistas publice disputasse. Verba ille: „Quem ego vellem pro tali doctrina sua quamquis prava vel exilio vel carcere aut aliqua poena praeter mortem punitum esse" illustrantur his, quae dicit in expos. ps. LXIV, Baluze 5, 93, 124.

C. XLIV p. 91 l. 1. Dictum Urbani ex decr. Pseudo-Isid. desumptum proferunt Anselmus de Lucca (Richter, Adnot. in c. 9 c. XII, qu. 1 decr. Grat.) et decretum, quod dicitur Ivonis, III, 139.

C. LII p. 105. De abusione potestatis ecclesiasticae simili mode disseruerunt Ivo Carnot. ep. 133, s. Bern. de consid. III, 1, 3, de off. episc. c. 9, ep. 238, Joannes Saresb. Polycr. VII, 1921.

C. LIII p. 106. Cf. c. XX, LXXXIV, p. 53, 171, ep. ad card. 362, Bern. de off. ep. c. 8, Polycr. VIII, 23.

C. LIV p. 108. Cf. Ivo Carnot. ep. 60, 87, Bern. de consid. IV, 5, ep. 290, Polycr. V, 16, Sigib. cont. Aquicinct., MGs. 6, 408 etc.

C. LV p. 109. Cf. de quarta vig. noctis nr. 12, de consid. IV, 5, Polycr. V, 15.

C. LVI p. 110. Contra appellationum abusionem clamaverunt quoque Hildeb. Turon. ep. 82, Bibl. max. 21, 159, Bern. de consid. III, 2, ep. 178, 325, Wibaldus ep. 231.

C. LVII p. 111. Ediderunt Tengnagel Vet. mon. 413—420, ex quibus repetiit Gretserus l. c., a verbis „Obeunte papa" p 113 Wattenbach, MGs. 17, 466 et Watterich, Vitae pont. 2, 505 ss.

C. LVII p. 112 l. 20. De schismate Petrileonino [Anacletiano] cf. c. LI p. 103, ep. ad card. Archiv 47, 372.

C. LVII p. 113 n. 2. De Bernardo ep. Port., anno 1153 legato in Germania (Gesta Frid. II, 9, MGs. 20, 394, de quarta vig. noctis nr. 12), dein Bisuntii (Gesta Frid. III, 8, 15, 22), epist. Eberh. Bamb. primo in „Tengnagel Vet. mon. 393" allata exstat et apud „Hansiz Germ. s. 2, 257" et „Watterich Vitae pont. 2, 454." Huic Gerhohi relationi singulari plenam fidem adhibendam esse docet „Reuter Gesch. Alex. III. 1 (2. A), 492."

C. LVII p. 113 l. 30. Cf. ep. elect. Alex., Watterich 2, 494.

C. LVII p. 115 l. 15. De conspiratione illa cum Siculo et Mediolanensibus cf. Gesta Frid. IV, 52 (ep. elect. Octav.), 69 (ep. Frid. I ad Eberh. Salisb.). 71 et 72 (epp. Bamberg. episc. et Heinr. praepos. Berthesgad. ad eundem), MGs. 20, 473, 484, 487, 488, actio. conc. Pap. MGs. 2, 126.

C. LVII p. 116 l. 2. Cf. Rescriptum gen. syn. Pap., Gesta Frid. IV, 70, MGs. 20, 486, Actio conc. l. c.

C. LVII p. 116 l. 10. Locutio „agnus mansuetus“ ex rescr. gen. l. c.

C. LVII p. 116 l. 23. De litteris Hadriani IV et Alexandri III ad inimicos imperii directis cf. Gesta Frid. IV, 69, 71, 72.

C. LVII p. 116 l. 30. Cf. ep. ad card. Archiv 47, 368 s.

L. LVIII p. 117. Ed. Tengnagel 420—421.

„ „ **l. 22.** Cf. ep. Alex. III, Gesta IV, 51 ejusque elect., Watterich 2, 496.

C. LIX p. 118 l. 17. Cf. ep. ad card. Archiv. 47, 369.

„ „ **l. 6.** Cf. ep. ad card. Archiv. 47, 370.

„ **p. 121 l. 11.** Dictio „Melius est minus egere quam plus habere“ ex regula s. August. c. 3.

C. LX p. 121. Gerhoho praesto erant epist. Frid. ad Eberh. („Alter vero, eo quod puriorem haberet conscientiam, d. Victor vide licet, iudicio ecclesiae se ultro obtulit, altero videlicet Rolando contumaciter renitente et dicente, quia cum ipse omnes deberet iudicare, ipse a nullo vellet iudicari. In d. Victore nichil reprehensibile inventum est, nisi quod pauciores numero cardinales omnino a conspiratione illa exortes eum elegerunt“), Gesta Frid. IV, 69, rescr. gen. syn. ib. 70, ep. Eberh. Bamb. ib. 71 cf. 72 et act. conc.

C. LXI p. 122 n. 1. Concilium Tolosanum jam anno 1160 exeunte celebratum esse denotat „Reuter 1, 499.“ 1161 Jan. 20 Alex. III Eberh. Salisb. haec nuntiat: „Orientalis ecclesia in concilio Nazareth praesente Jerosolymarum rege sollemniter celebrato, Francorum, Anglorum, Hispaniarum et tota occidentalis ecclesia cum regibus, archiepiscopis, episcopis et toto clero et populo suo schismaticum eiusque principales fautores damnaverunt nosque in patrem spiritualem et summum pontificem receperunt.“ Tengnagel, Vet. monum. 408, cf. epist. ib. 409—412, 432—434 allatas. Ex Gerhohi verbis „dum haec scribimus . . . alii ac novi rumores per certos internuntios advolitant“ apparet hanc operis partem anno 1161 ineunte vel mediante scriptam esse.

C. LXI ed. Tengnagel 421—422.

C. LXI p. 23 l. 6. Quae praestat codex: „cui centum partes inter episcopos abbates interfuerunt" emendandum esse videtur: „cui centum patres episcopi [et] abbates interfuerunt."

C. LXII p. 123 ed. Tengnagel 422—423 (usque ad „mutarent" p. 124 l. 19.)

C. LXII p 123 l. 27. Cf. ep. ad card. Archiv 47, 372.

C. LXII p. 124 l. 29. Cf. ep. Eberh. Salisb. ad card. Hildebertum, Tengnagel 429.

C. LXII p. 125. Cf. ep. ad card. Archiv. 47, 378.

C. LXII p. 127 n. 2. Haec verba s. Pauli in ep. quoque ad card. Archiv. 47, 364.

C. LXIV p. 130. Haec expurgatio Leonis papae, quae ex Ivone Decr. V. 313, Panormia V, 4) sumpta esse videtur, occurrit etiam in ep. ad card. Archiv 47, 379.

C. LXV p. 131 cf. p. 128 l. 18. Papam soli coelo debere innocentiam denotant Deusdedit (Coll. can. ed. Martinucci) I, 108, Anselm I, 24 (25), I v o Pannormia IV, 8, Decr. V, 10, Gratianus c. 14 C. IX qu. 3. Sententia, ad quam appellant canonistae, non est Symmachi papae, sed Ennodii in apologetico pro syn. Rom. IV. Quae Gerhohus hic affert, exempla, paparum se expurgantium vide in ep. ad card. Archiv 47, 370, 379.

C. LXV p. 133 l. 22. Cf. ep. ad card. Archiv 47, 365.

C. LXVI p. 135 l. 17. Eundem in modum scribit Heinricus IV: „Haec enim sunt verba eius se (Greg. VII) a nemine iudicari debere. Et est sua sententia, quasi dicat: Q u i d q u i d l i b e t, l i c e t Sed non haec est Christi regula . ." Ep. Bamb. 9, Jaffé Bibl. 5, 501.

C. LXVII p. 139. Ed. Gretser 3, 111—114, Wattenbach, MGs. 17, 461 s

C. LXX p. 143 n. 2. De Ottone Fris. Cf. R. Wilmans in praefatione opp. Ott. MGs. 20, 89.

C. LXXIV p. 147. Cf. s. Bern. de consid. IV, 4, Gieseler Lehrb. der Kirchengesch. II, 2, 214 n. h.

C. LXXVIII p. 154 n. 2. „Libellum de consideratione" Gerhohus itemque collegat in op. de quarta vig. noctis nr. 11.

C. LXXX p. 157. Hujus „turbinis vehementissimi" mentionem faciunt Ann, Mellic. ad a. 1145, MGs. 9, 503 et Cont. Admunt. ib. 581.

C. LXXX p. 158 n. 2. i. e. expos. in ps. LXIV.

C. LXXXI p. 158. Cf. de quarta vig. noctis nr. 8.

C. LXXXI p. 160 l. 2. Cf. ep. ad card. Archiv 47, 370.

C. LXXXV p. 167 l. 22. Idem consulit s. Bernardus. „Puto non poenitebit exilii orbe pro Urbe commutato.“ De consid. IV, 3.

C. LXXXV p. 167 l. 4. Legendum esse videtur: „quomodo etiam n o n omne cor moerens sit?“

C. LXXXVII p. 169. De statuto Ludovici, quod et affert Deusdedit III, 150 p. 333 cf. „Ficker Forschungen zur Reichs- und Rechtsgesch. Ital. 2, 332 ss., Lorenz, Papstwahl und Kaiserthum 43.“

C. LXXXVIII p. 174 n. 2. Cf. et expos. in ps. LXIV, Baluze 5, 120, Gesta Frid. III, 10, MGs. 20, 421.

C. LXXXVIII p. 175 n. 3. Cf. ep. ad card. Archiv 47, 376.

C. LXXXIX p. 178. Cf. ep. ad card. Archiv 47, 381.

Index locorum s. scripturae.

Index rerum.

Corrigenda:

p. 25 l. 28 spectacula
p. 28 l. 14 natura
p. 58 l. 15 destitutus
p. 196 l. 17 superexaltaretur
p. 241 l. 15 offerre
p. 254 l. penult. solummodo
p. 255 l. 1 tam secundum
p. 256 l. 1 alias
p. 337 l. 22 illud.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.